C. VALERII CATULLI

CARMINA

VARIETATE LECTIONIS

ET

PERPETUA ADNOTATIONE

ILLUSTRATA

A

FRIDER. GUILIEL. DOERING

ILLUSTR. GYMNASII GOTH. DIRECTOR.

ACCEDUNT

INDEX UBERRIMUS,

ET

HANDII NOTÆ CRITICÆ.

LONDINI:

TYPIS EXCUDIT J. F. DOVE;

PROSTANT VENALES APUD R. PRIESTLEY.

MDCCCXX.

ERNESTO,

SAXONUM GOTHANORUM

ET

ALTENBURGENSIUM

DUCI,

LITERARUM LATINARUM

UT

BONARUM OMNIUM

AMANTISSIMO,

DOMINO SUO INDULGENTISSIMO,

CATULLUM, AB SE RECOGNITUM,

D. D. D.

FRIDERICUS GUILIELMUS DOERING.

Cujus vis fieri, Catulle, munus?
Festina tibi vindicem parare,
Ne dentes metuas maligniorum,
Rumoresque senum severiorum,
Qui vultu tetrici Catoniano
Horrent versiculos pii poëtæ;
Et quicquid lepida procacitate
Laxat lætifico labella risu,
Oderunt cane pejus et veneno;
Dic vates, pater elegantiarum,
Dic, quo vindice tutus ambulabis?—
Sic dixi, lepidissimi poëtæ
Curis carmina perpolita nostris
Cum spectare viderem ad umbilicum.
Respondit mihi leniter susurrans
(Ut solent animæ beatiorum)
Vates Elysiis redux ab oris:
"ERNESTO, PATRIÆ PIO PARENTI!"—
ERNESTI cupis in sinum volare?
Cepisti eximium tibi Patronum!
Nam Dux Optimus et Disertus idem
Admittet placido, suoque vultu,
Quo nil supplicibus solet negare,
Mellitissimum et optimum poëtam
Intra limina sanctioris aulæ.
Quodsi legerit hæc, probaveritque,

Hora, qua, posita severitate,
Sacris otia commodat Camœnis:
Tu securus eris, Catulle, nec post
Lassi marmora Sisyphi revises,
Sed te Fama vehet, tuosque versus
Ad cœlum rapido feret volatu.
O, quantum tibi nominis paratum!

PRÆFATIO.

Prodeunti mihi ante decem annos ex disciplina, qua in schola Portensi usus fueram, cum variæ nec eæ inhonestæ, quibus ad specimen aliquod collectæ mihi supellectilis literariæ edendum impellerer, causæ occurrerent; animus meus, quem Præceptori, æternum mihi Venerando, Cl. *Barthio*, Rectori nunc scholæ Portensis meritissimo, patefeceram, ejusdem suasu et nutu inductus et inclinatus est eo, ut *Catulli*, quocum jam tum arctam familiaritatem contraxeram, *Epithalamium Pelei et Thetidos*, notulis meis instructum publici juris facerem, et captum simul novam aliquando totius Catulli adornandi editionem consilium proponerem. In quo quidem exsequendo consilio non confirmabar solum jam tum, cum juvenilem istum laborem æquis et idoneis harum rerum arbitris haud displicuisse intelligerem, sed accedebat quoque deinde auctoritas Viri, cujus plurimum in his rebus valet judicium, *Summi Heynii*, qui cognita ac probata, quam secuturus eram, interpretandi ratione, ad inchoatam Catulli editionem strenue absolvendam humanissime instigavit, et mira quadam alacritate implevit animum. Nec retundere conatus meos vel animum infringere potuit vociferatio eorum, qui lectione Catulli animos juvenum corrumpi et bonos eorum mores depravari crepant et clamitant; cum vel ea ad susceptum laborem excusandum sufficere videantur, quæ tam *Heynius* in præfat. ad Tibull. edit. prim., quàm *Barthius* in præfatione ad Propertium egregie his objectionibus responderunt, et juvenes venerum poëticarum studiosos ad eos quoque poëtas, qui in rebus levioribus et amatoriis ingenium exercuerunt, animi et delectationis causa post

studia graviora et severiora lectitandos, quovis incitamento allexerunt et incitarunt. Quorum virorum argumenta nisi satisfaciant superciliosis quibusdam et superstitiosis morum censoribus, per me licet Catullum et ceteros poëtas, quos vocant lubricos, ceu pestem detestandos et Vulcano potius quam juvenum manibus tradendos pro genio et sensu suo censeant; quos tamen, quicquid isti garriant, salva honestate et morum integritate, quamdiu honor suus Musis stabit, et nostra et futura ætate magno cum fructu et voluptate lecturos et commendaturos esse omnes antiquæ elegantiæ et venustatis spectatores nullus dubito. Versatus autem sum in recensendo et explicando Catullo ita, ut primum, quantum fieri posset, textum darem emendatissimum, deinde sensum locorum obscurorum breviter explanarem, et tam exquisitiores vel insolentiores loquendi formas notarem, quàm ad notandas singulas poëtæ virtutes et elegantias animum adverterem. Quod igitur ad primum attinet, non unam alteramve editionem, ad quam textum excudi curarem, secutus sum, (animum enim, ex quo textum ad editionem Bipontinam conformaturus eram, et fere ab initio conformavi, ineptis passim et parum probabilibus in illa deprehensis lectionibus, mutavi deinde) sed ex antiquis et potioribus editionibus in Variet. Lect. indicatis, eas delegi et in textum recepi lectiones, quæ vel proxime ad antiquæ lectionis formam accedere, vel rei sensuique accommodatissimæ esse viderentur. Ubi in locos incidi, e quibus, excussis et in partes vocatis lectionibus omnibus, nullo modo elici et extorqueri posset sensus commodus, ibi vel in notis vel in Var. Lect., quod ad locum sanandum suppeditabat ingenium, modeste proposui, longissime ab hac temeritate remotus, ut conjecturam, vel maxime probabilitate se commendantem, in textum importarem. Neque ego tamen, quamquam in larga conjecturarum segete spectari vulgo solet ingenii ubertas et fertilitas, a recepto

mihi veteres interpretandi more recessi aut in posterum recedam, ad quem, si ulla ratione expediri et interpretatione juvari potest locus difficilior et paulo impeditior, haud temere illum nova forma induere audeo, quicquid alii de ingenii mei tarditate judicent. Speraveram quidem, cum ad enarrationem Catulli accingerer, me forte, concesso mihi usu Codicis Catulliani, qui in Bibliotheca Guelferbytana servatur, ad textum emendatiorem reddendum aliquid conferre posse; sed cum Cl. *Wernsdorf*, Professor Helmstadiensis, diligenter hoc codice examinato, nihil plane bonæ frugis inde capere posse futurum Catulli editorem humanissime mihi significasset, spem illam abjeci. Illud autem doleo et mecum dolebunt omnes, qui Catullum amant, quod duorum nobilissimorum Criticorum, *Dukeri* et *Brouckhusii*, in Catullum anecdota, nunquam e tenebris in lucem prolata sunt; *Dukeri* quidem animadversionum in Catullum exiguam partem (ad Carm. XVIII. XIX. XX. *in Priapum*) delibavit et publicavit *Burmannus Sec.* ad Anthol. Tom. II. p. 574.; sed de *Brouckhusii* in Catullum commentariis nil scimus, nisi quod eorum aliquoties mentionem injicit *Burmannus Sec.* ad Propert. et *Dorville* ad Chariton. *Bernardus* autem de iis scribit (in vita *Reiskii* p. 420.): *Catullum prelo subjiciet Wetstenius bibliopola, cui editioni accedent Commentarii inediti Brouckhusii ex bibliotheca Dorvillii.* — Quod ad interpretationem attinet, qua Catullum illustrare studui, quilibet, vel me non fatente, facile sentiet, me ad eam rationem, qua novam lucem Tibullo et Virgilio affundere et eorum lectoribus facem splendidissimam accendere sustinuit *Heynius*, imitandi studium direxisse; sed nemo, opinor, adeo me mihi Suffenum esse arbitrabitur, ut quod solus fere *Heynius* in poëtarum interpretatione præstitit, et pro insigni ingenii et doctrinæ copia facile præstare potuit, id in Catullo me præstitisse, vel unquam pro ingenii et doctrinæ tenuitate præstare posse, stulte mihi

persuadeam; immo gratissimo animo publice profiteor, me ne hanc quidem qualemcunque Catullo navare potuisse operam, nisi præcepta ab *Heynio* in Tibullo et præcipue Virgilio ad omne poëtarum studium proposita mature imbibissem, et ad ejus normam virtutes poëticas et dictiones exigere didicissem. Ne quid ostentationis causa facerem, et ambitiose ad vanam doctrinæ gloriolam aucupandam undique omnia corraderem, non solum diligenter mihi cavi, sed etiam plurimam partem eorum, quæ olim magno cum studio ex commentariis aliorum ad Catullum constipaveram, cum parum utilitatis inde ad poëtæ explicationem redundare videretur, resecui vel plane delevi. Quod autem ad instituendam cum Græcis, e quibus totus Noster pendet, comparationem spectat, animus est, si Deus vitam concesserit, alio tempore ad exemplum studii, quod Virgilio cum Græcis comparato olim impendit Ursinus, in libello peculiari institutam Catulli cum Græcis comparationem proponere.—

Instituerama quidem primum rationes meas ita, ut unus Tomus omnia Catulli carmina complecteretur; sed cum ob nimis longas propter externarum rerum conditionem mihi faciendas moras jure suo operis finem urgeret humanissimus libri redemtor, Hilscherus; facile adductus sum, ut Catulli carmina, genere elegiaco scripta, ad Tomum secundum reservarem; quem, si ad otium, quo nunc fruor, pristina animi, graviter, dum hæc scribebam, unici filii morte perturbati, tranquillitas et serenitas accesserit, brevi tempore absolvam. Quodsi autem in condonandis erroribus, quos pro ingenii et virium imbecillitate hinc illinc me commisisse facile prævideo, lectorum humanitatem expertus fuero, nec plane inutilem laborem me suscepisse intellexero, non solum mirifice lætabor, sed ad alios quoque, quos meditor, labores, præcipue ad Plauti recensionem, fidenti animo pergam. Scribebam Gothæ, a. d. XXIX. April. A. R. S. MDCCLXXXVIII.

INDEX
EDITIONUM CATULLI,
IN SEX ÆTATES DIGESTUS,
QUEM FERE TOTUM EX EDITIONE BIPONTINA DESCRIPSIMUS.

ÆTAS I. NATALIS.

1472 *Editio princeps.* Valerii Catulli Veronensis, poëtæ clarissimi, carmina. Albii Tibulli Equitis Romani poëtæ elegiæ. Aurelii Propertii Umbri Mevani carmina. P. Papinii Statii Surculi Sylvarum liber ad Stellam. fol.—Hæc editio, Brouckhusio nondum visa, Vulpio primum cognita, exstat in bibliotheca Laurentiana Florentiæ. v. Montefalc. Bibl. MSS. T. I. p. 309. et in Museo Britann. e biblioth. Askew. Memoratur a Maittairio Tom. I. P. I. (sive T. IV.) p. 320.—Nondum editionem hanc critico acumine exploratam esse ægre fert Cl. *Heyne.* Ex iis tamen, quæ Vulpius commemorat, tum aliis argumentis probabile fit, alteram anni 1481. ex ea esse descriptam, adeoque lectionem nos ejus jam enotatam habere, dum hujus varietatem Brouckhusius dederit.

1473 Catullus per Steph. *Corallum* editus Parmæ, fol.

1475 Catulli, Tibulli, Propertii Aurelii nautæ poëtæ et Statii Papinii Sylvarum liber. Impressus opera et impensa Jo. *de Colonia* et Jo. Manthen *de Gheretzen*, qui una vivunt feliciter. Venetiis, fol. Vid. Maittaire I. a. p. 350. Est hæc editio, quam Brouckhusius principem esse putabat, et ex qua lectionem adposuit sub lit. D.

1481 Catull. Regii, fol.

—— Tibulli, Catulli, Propertii, cum eorum vita, opera, *Regii lepidi*, accuratissime impressa auctoribus Prospero Odoardo et Alberto Mazali Regiensibus, anno salutis 1481. 19. Kal. Octobr. fol.—Paulo frequentior hæc est editio quam superiores. Adservabatur etiam in bibliotheca Brühliana. Varietatem ex ea descriptam Nic. Heinsius habuerat, et Brouckhusius quoque in Variantium adparatu adposuit.

1481 Catulli, Tibulli, Propert. opera et Statii Sylvæ. Actum Vincentiæ per magistrum *Jo. Renensem* et *Dionysium Berthochum*. Tum in trinis foliis subjicitur Carmen Jo. *Calphurnii*, poëtæ clarissimi, ad Jo. Inderbachium Pontificem Tridentinum de laudibus ejus, et de Interitu beati Simonis infantis a Judæis mactati. fol.—Contigit Cl. *Heynio* versare eam manibus, cum bibliothecæ Georgiæ Augustæ ea illata sit. Præfatur breviter Jo. Calphurnius ad Hermolaum ICtum, et memorat se, ab adolescentibus studiosis rogatum, ut Propertium et Statii Sylvas iis interpretaretur, editionem Venetam percurrere cœpisse; tot autem mendis refertam eam deprehendisse, ut longe plura essent vitiosa et depravata, quam quæ emendata; convenisse itaque se nonnullos impressores, et tradidisse iis exemplar correctum; nec tamen eos partibus suis satis omnino fecisse conqueritur. Manifestum adeo cum ex his, tum ex ipsa exemplaris tractatione fit, esse illud ex Veneta pr. descriptum, sed paulo emendatius. Cum impressionis nota non sub extremam calcem, sed Statii Sylvis subjecta sit, memoratur aliquoties hæc editio sub titulo veteris editionis sine anno: v. c. in Catal. Bibl. Reg. Paris. n. 778.

1485 Catullus, Tibullus, Propertius, cum comment. ant. Venetiis, fol.—Memoratur a Maittario T. I. P. I. p. 469. sed perperam, cum de editione 1475. excusa agere vellet.

Val. Catulli poemata cum scholiis Ant. *Parthenii* Lacisii, Brixiæ, fol.—Quæ editio anno seq. juncta videtur Tibullo et Propertio.

1486 Catullus cum commentariis Parthenii (XI. Kal. Maii) Tibullus cum commentariis (XVIII. Kal. Febr.) Propertius cum brevibus elucubrationibus (XVII. Kal. April.). Brixiæ per *Bonium de Boninis de Ragusia*, fol.—Laudatur vulgo: Cat. Tib. Prop. cum elucubratt. *Domitii Calderini* et aliorum (v. Bibl. Reg. Paris. p. 287. n. 779.) Sed Domitii Calderini notæ tantum sunt in Prop.—Vidit exemplaria Cl. *Heyne*, in quibus diverso ordine se exciperent particulæ; in aliis, quod et in ceteris antiquis edd. sæpe factum, Propertius deerat. Hæc editio jam excussa fuit a Brouckhusio. Convenit ejus lectio fere cum Romana, ut tantum non ex ea descripta videri possit.

1487 Tibullus, Catullus, Propertius. Impressi Venetiis, per Andream *de Paltbaschichis* Catanensem, fol.—De hac editione, quæ ex superiori Brixiensi repetita est, repetitis quoque iisdem commentariis, Editor Cantabr. *Tibullus*, inquit, *anno 1487. in quo autem anno Catullus sit impressus, nulla fit mentio*. Sed Maittarius id definivit l. c. p. 484. et ipsa res docere poterat: *Ex signaturis (f. g.) quarum hæc illam sequitur, constat, Catullum ab eodem typographo et anno eodem*

[illegible] *fuisse; quamvis typographi et anni indicium ad Tibulli solius calcem adponatur.* In aliis exemplaribus Propertium deesse, ex eodem Maittario patet, ubi omisso Propertio, tantum Tibullum et Catullum memorat hunc in modum: *Tibullus cum commentariis per Andr. de Paraschiseis* (ita vitiose appellat, in indice vero *de Paltasthiscis*) *XVIII. Kal. Jan. Et Catullus cum comm. Ant. Parthenii Lacisii Veronensis.* Minus accurate in Append. Catal. Bibl. Lugd. p. 513. *Catullus, Tibullus, Propertius Beroaldi* hujus anni memoratur: nam is ad an. 1491. spectat, ut statim videbimus.

1491 Tibullus, Catullus, Propertius cum commentt. (*Bernardini Veronensis* in Tibullum, Antonii *Parthenii* in Catullum, et Phil. *Beroaldi* in Propertium) Venetiis, fol. Mera est repetitio editionis Venetæ.

1493 Tibullus, Catullus, Propertius cum commentt. Bernardini Veronensis, Ant. Parthenii, Phil. Beroaldi. Impressum per Symonem Bevilaqua Papiensem. Venet. fol.—Nova est repetitio Veneta. Sed et inter incunabula artis typogr. in Bibl. Uffenbach. univ. T. II., app. p. 135. separatim refertur.

1494 Catull. cum comm. *Palladii Fusci*, Venet. fol.

1497 Cat. Tib. Prop. repet. ed. 1491.

1500 Tib. cum comm. Cyllenii Veronensis. Catullus cum Parthenii Veron. et Palladii Patavini. Emendationes Catullianæ per Hieron. Avantium Veronensem, et ejusdem in Priapeias Castigationes. Prop. cum comm. Phil. Beroaldi. Annott. in Prop. tum per Domitium Calderinum, tam per Jo. Cottam Veronensem. Hæc omnia sunt ex exemplaribus emendatis Hieri Avantii. (Hæc in ipsa libri fronte præscripta sunt.) Sub finem: "Impressum Venetiis per Jo. de Tridino de Cereto alias Tacuinum, cIↄIↄ. die vero XIX. Maii. Regnante inclyto principe Augustino Barbadico." fol.—Non infrequens est hæc editio. Etiam ex superioribus Veneta repetita est, exemplar tamen ab Avantio mendis typographicis purgatum esse debuit, antequam operis librariis excudendum traderetur.

ÆTAS II. ALDINA.

1502 *Aldina I.* Catullus, Tibull., Prop., in ædibus Aldi, Venetiis, 8.—Hæc eadem editio, ut in aliis Aldinis factum, sine anni et loci nota prostat. Est autem hæc inter classicas editiones habenda, quandoquidem illa multarum seqq. quasi parens, atque earum quoque, quæ emendatiores prodiere, fundus fuit. Expressam eam esse ex superiore Veneta 1500. liquido constat, pluribus lectionibus comparatis; correctiones tamen viri docti seu Avantii seu Aldi ex-

perta est, in Catullo utique Avantii, id quod in præfatione ipse Aldus testatur. Idem ait nonnulla asterisce notata *in fine operis aliter atque aliter legi excudenda curasse*: quod tamen præstitum ab Aldo non videtur. Nam quæ sub Catulli calcem subjectæ sunt emendationes Avantii, Lucretium respiciunt. Exierant prelo Aldi ad tria millia exemplaria hujus libri, ut mirandum sit, cum non frequentius reperiri.

1503 Cat. Tib. Prop. impressi opera et impensa Philippi bibliopolæ Giuntæ T. Florentini anno MDIII. Nonis August. Petro Sotenno Vexilifero felicissimo. 8. Etiam hæc Aldinæ repetitio est, ut tot alia exempla Aldina a Junta repetita sunt.

1515 *Aldina II.* Cat. Tib. Prop. in ædibus Aldi et Andreæ soceri, Venet. 8. Primo intuitu nihil habet hæc editio, quo a priore magnopere discrepet. Sed pro nova prorsus recensione habenda est; adeo correcta et emendata illa est (in Tibullo utique) a viro docto, etsi ejus nomen non proditum est. Secutus ille videtur in primis rationem criticam, tum vero editiones veteres alterius sectæ passim inspexisse, Italicos quoque codices aut excerpta ex iis ante oculos habuisse. Merito itaque illa facta est plerarumque, quæ secutæ sunt, editionum fons et fundus, in primis autem Muretinæ 1558.

1518 Cat. Tib. Prop. Lugd. sumtu Barthol. *Troi.* an. millesimo quingentesimo XVIII. die XXII. Sept. 8.

1520 Alb. Tib. elegg. libri IV. una cum Val. Cat. epigramm.; nec non Sext. Prop. libri IV. elegiaci cum suis comm.; videlicet Cyllænii Veron. in Tib., Parthenii et Palladii in Cat., Beroaldi in Prop. Habes insuper emendatt. in ipsum Cat. per Hier. Avantium Veron. Nec non et castigatissimam tabulam omnium rerum, quæ in margine sunt positæ, nuper additam et nunquam alias impressam. Venet. in ædibus Guilielmi *de Fondaneto* Montisferati. an. Domini MDXX. die XII. Julii. Inclyto Leonardo Lauretano Principe, fol.

1529 Cat. Tib. Prop. apud Sim. Colinæum, Paris. 8.—Novo characteris literarum genere, quod ad calligraphiæ elegantiam propius accedit, exarata est hæc editio, ex I. Aldina expressa.

1530 C. Val. Cat. Veron. lib. I. Alb. Tib. Equitis Rom. libri IV. Sex. Aur. Prop. Umbri lib. IV. Cn. Corn. Galli fragmenta. *Basil.* excudebat *Henr. Petrus* mense Martio, 8. Repetita est ex Aldina I., ad II. passim correcta, sed parum diligenter.

1531 Cat. Tib. Prop. per Melch. *Sessam*, MDXXXI. XX. Sept. Venet. 8.

1533 Repet. ed. Paris. 1529. 8. emendatis nonnullis gravioribus vitiis. Alii hanc ed. ad an. 1534 referunt.
1534 *Gryphiana I.* Cat. Tib. Prop. cum Gallo. ap. Seb. Gryphium, Lugd. 8.—Editionum genus Gryphianum non contemnendum, totum ex Aldina I., seu ex Basileensi, quæ inde descripta erat, ductum est, etsi passim ex secunda, in sequioribus etiam ex Muretina interpolatum.
1537 *Gryphiana.* Cat. Tib. Prop. Accedentt. Corn. Galli fragmm., *quam editionem a nemine indicatam ipse possideo.*
1539 8. repet. ed. Basil. 1530.
1542 *Gryph.* II. 8.
1543 Paris. 8. repet. ed. 1529. in qua graviora quædam vitia emendata sunt.
1544 *Gryph.* III. 8.
1546 *Gryph.* IV. 8.
1549 Cat. Tib. Prop. His accesserunt Corn. Galli fragmm. Post omnes omnium editiones summa denuo vigilantia recogniti. Venet. ap. Hier. Scotum, 8.—Splendida sed vana professio. Ex Gryph. repetita est, ad Ald. II. correcta.
1551 *Gryph.* V. 8.
1554 Cat. Tib. Prop. multisis locis restituti. Paris. 8.

ÆTAS III. MURETINA.

1554 Catullus et in eum commentarius M. Ant. *Mureti.* Venet. Paulus Manutius Aldi fil. 8. (Isque solus, sine ceteris duobus, Tibullo et Propertio, nam hos poëtas jam tum conjunctos exiise verum non est.) Hæc recensio Mureti doctissime facta est, sed Aldina II. pro fundo substrata. Multa a viro hoc sagaciter partim e critica ratione, partim ex veteribus scriptis et editis emendata.
1558 Catullus et in eum comm. M. Ant. *Mureti.* Ab eodem correcti et scholiis illustrati Tibullus et Prop. Venet. ap. Paul. Manutium. 8.
1559 Repet. ed. Venet. 1558. Lugd. ap. Guil. Rouillium. 8.
1560 E recensione G. *Canteri*, Antuerp. 8.
1561 *Gryph.* VI. Lugd. 12.
1562 Venet. c. comm. Mureti sub signo Aldi, 8. repet. ed. 1558.
1566 Cat. c. commentariis Achillis Statii Lusitani, Venet. in ædibus Manut. 1566. 8.—Memorabilis sed valde infrequens est hæc editio. Aldinam II. secutus est Statius; Muretina correctione posthabita, scriptorum autem librorum varietate adposita et erudita adnotatione magnam laudem meruit. Recusus est ejus Comm. in edit. Morell. 1604.
1569 Repet. ed. Basil. 1530. 8.—sed vitiosissima, cum Horati —*Tuscanella*, qui eam curavit, ineptus homo, ad rhetorices

præcepta posttas hoc exegit, et indice singulorum verborum ad Erythræi exemplum in Virgilio stulte instruxit.

1569 Cat. Tib. Prop. Antverpiæ, ex offic. Christoph. Plant. 12. —Non ex infimo censu hæc est editio, imo vero inter præstantiores superiorum temporum referenda. E Canteri recensione eam esse profectam narrat Fabricius, quod verum non est; nam Prop. tantum Canteri scholiis est illustratus. At Cat. et Tib. a Victore *Gisselio* et Theod. *Pulmanno* varia lectione instructi sunt, quæ potissimum e Statio descripta est, ex quo etiam, adeoque ex Aldina II, quam Statianæ lectionis fundum esse ignorabant viri docti, sæpe correxerunt, saltem mutarunt lectionem Mureti, quam in ceteris sequuntur. Subjecta Tibullo sunt Galli fragmm. cum præf. Pulmanni.

—— Cat. Tib. Prop. et Corn. Galli opp. c. indice Hortensii Tuscanellæ. Basil. ex offic. Henricopetrina, an. Salutis MDLXIX. mense Martio, 8.

1571 *Gryph.* VII. 8.

1573 *Gryph.* VIII. 12.

ÆTAS IV. SCALIGERIANA.

1577 Cat. Tib. Prop. ex recensione *Scaligeri*. Accedit ejusdem castigationum liber. Lutetiæ, ap. Mam. Patisson, 8.—Spreverat ille, Mureti obtrectatione adductus, lectionem ab hoc emendatam, et una cum illa Aldinam II, rediitque ad Aldinam I., ex qua reduxit magnum numerum vitiosarum et importunarum lectionum, quas partim suo more correxit, partim in contextu reliquit, cum dudum sublatæ essent in Ald. II. et Muretina. Secutus tamen eum est cum aliis Brouckhusius. Habuit etiam præter Aldinam I. vel Gryphianam inde expressam, edd. Statii, et Plantini

1579 Catulli Phaselos c. adnotatt. doctorum virorum et parodiis per Sixtum *Octavianum*, Eboraci, 8.

1582 Cat. Tib. Prop. nova editio. *Jos. Scaliger* recensuit. Accedit ejusdem in eosdem castigationum liber. Antv. ap. Ægidium Radæum, 8.—Mera est librarii repetitio, nisi quod ad calcem adjectus est Mureti commentarius in Catull. c. ejusdem scholiis in Tib. et Prop.

1587 Cat. Epithalamium græca metaphrasi poëtica donatum a Q. *Septimio Florente Christiano*, Paris, 4. ap. Morell.

—— Cat. Tib. Prop. serio castigati. Antv. ex offic. Chph. Plantini, 12.

1588 Cat. Tib. Prop. Lugd. Bat. 12. ed. Jano *Dousa* fil. cum pervigilio Veneris et suis in Cat. Tib. Prop. conjectaneis.

1592 Repet. Basil. 1590. 8. Quamvis ex Scaligerianis hinc illinc correcta, tamen vel sic nullo loco habenda.

—— Cat. Tib. Prop. denuo recogniti ac variis lectionibus et no-

tis illustrati a Jano *Dousa filio.* Accessere Pervigilium Veneris et carmina græca, quæ aut e latino Catulli expressa sunt, aut a Catullo ipso latine translata. Item Jos. *Scaligeri* et Henr. *Stephani* e Tib. et Prop. versiones græcæ. Jani *Dousæ* filii in Cat. Tib. Prop. conjectanea et notæ. Lugd. Bat. ex offic. Plant. Fr. Raphelengius, 12.—Hanc omnium emendatissimam editionem adpellat Nic. Heinsius ad Virg. Æn. VII, 110. Fundus est ed. 1569.

1592 Cat. Tib. Prop. et Corn. Galli opera, Horat. *Tuscanellæ* scholiis et indice illustrata per Seb. *Henricopetrum*, Basil. 8.

1593 Cat. Phaselos, Lugd. 12.

1594 Cat. Tib. Prop. Lugd. 12. Non videtur aliud, quam Gryphianarum repetitio.

1600 Repet. auctior ed. Antv. 1582. 8.

—— Cat. Tib. Prop. nova editio. Jos. *Scaliger* Jul. Cæs. fil. recensuit. ejusdem in eosd. castigationum liber auctus et recognitus ab ipso auctore. Heidelbergæ, in bibliopolio Commeliniano, 8.

1603 Repet. ed. 1592.

—— Cat. Tib. Prop. Lugd. 8.

—— Cat. Tib. Prop. serio castigati. Antw. Raphelengius. 24.

1604 Cat. Tib. Prop. c. variorum doctorum commentt., notis et observatt. in unum congestis per Cl. *Morellum*, Lutet. 3 Vol. fol.—Singulis elegiis præmisso contextu subjiciuntur notæ Cyllenii, Ach. Statii, Mureti, Jani Dousæ, Scaligeri.

1606 Catulli casta carmina selecta a Raph. *Eglino* Iconio, c. ejusdem vindiciis *Ciris* Catullianæ adversus Jos. Scaligerum. Accesserunt Casp. *Scioppii* epitheta et synonyma poetica, c. n. ejusdem in Claudii Verderii censionem. Francof. 12.—Numerus castorum Catull. carminum valde augeri potuit: nam editor vix viginti carmm. adposuit.

1607 Cat. Tib. Prop. nova edit. Jos. *Scaliger* recensuit: ejusdem in eosdem castigationum lib. auctus et recognitus ab ipso auctore. Excudebat Jac. Stoer. Lugd. 24.—Mera est repetitio edit. 1600.

—— Cat. Tib. Prop. Opp. quæ exstant omnia, ad vetustiss. cod. Biblioth. Jac. *Grasseri* fideliter edita. Quibus accedunt C. Galli fragmm. Lugd. 12.

1608 Jo. *Passeratii* Commentt. in Cat. Tib. Prop. Paris. ap. Cl. Morellum, fol.—Præmittuntur ipsa poetarum verba ex Scalig. recens. Sequuntur Passeratii prælectiones seu notæ.

—— Opp. Cat. Tib. Prop. et Corn. Galli, sive Maximiani potius. Cum indice Horat. Tuscanellæ. Editio auctior insuper poematiis aliquot, quæ vere Corn. Galli. Hanoviæ, typis Wechel. ap. Cl. Marnium et her. Jo. Aubrii, 8.—Est repetitio pessima Basil. 1580. c. Hor. Tuscanellæ indice.

1610 Ex Tib. et Prop. Elegiæ, ex Catullo, Martiale, Ausonio

aliisque scriptoribus tum antiquis tum recentibus. Epigrammata selecta et commentario brevissime illustrata. Cadomi, 16.—Non magis in censum venit, quam quæ sequitur, impressionis tantum loco notabilis.

1611 Cat. Tib. et Prop. nova edit. ad Jos. *Scaligeri* emendationem accurate conformata: nisi quod qui in Scaligeriana ed. desiderabantur Epigrammatum et elegiarum tituli, hic aliunde diligenter sunt suppleti. Add. Elegiarum libellus, qui Corn. Gallo vulgo adscribitur. Brageraci, 8.

1618 Jani *Gebhardi* in Cat. Tib. et Prop. animadversa. c. J. *Meleagri* in Val. Cat. Spicilegio, Hanov. 8.

1619 Cat. Tib. Prop. cum Galli fragmm. Amstel. Janson. 24.

1621 Cat. Tib. Prop. cum J. *Livineii* notis antehac ineditis,—nec non uberioribus Jani *Gebhardi* animadvers. cum J. *Meleagri* Spicilegio. It. poemata Galli et index Hor. Tursellini. Francof. ex offic. Wechel. 8.—Librarii industriæ debetur hæc edi, non viri docti curæ, etsi Gebhardus præfatus est. Poetarum verba ex pessima Basil. 1530. aut ex Wechell. superiore 1608. expressa sunt.—Jo. Livineii notas eod. anno, et Jani Gebhardi animadvers. quarto ante anno seorsum editas, nunc in unum volumen redegit librarius redemtor.

1622 Typis Jacobi Stoer, 12. Basis est Scaligeriana recen-

1630 Cat. Tib. Prop. cum Galli fragmentis, Amstel. 24.

sio.

1640 Cat. Tib. Prop. Aureliæ Allobr. 4. in Corp. poet. lat. ed. H. ap. Sam. Crispinum.

1642 Cat. Phaselus cum Andr. *Senftlebii* comm. et parodiis amplius quinquaginta, et græca Jos. Scaligeri metaphrasi, e bibl. Nic. Henelii, Lips. 8.

1648 Antv. 12. omissis obscœnis.

1651 Cat. Tib. Prop. cum Galli fragmm. Amstel. 12.

1659 Cat. Tib. Prop. et quæ sub Galli nomine circumferuntur, cum selectis variorum commentariis, accurante Simone *Abbes Gabbema*, Traj. ad Rhen. 8.—Vitiis typographicis scatet, et farraginem notarum apponit, quibus verba et phrases illustrantur, non sententiæ.

1664 Cat. Tib. Prop. cum Galli fragmm. Amst. 24.

1670 Eadem repetita.

1675 Poemata selecta e Cat. Tib. et Prop. c. notis *Vorstii*. Lips. 8.

1680 Cat. Tib. Prop. e recens. J. G. *Grævii*, c. notis integris Jos. Scaligeri, M. Ant. Mureti, Ach. Statii, Rob. Titii, Hier. Avantii, Jani Dousæ patris et filii, Theod. Marcilii, nec non selectis aliorum. Traj. ad Rh., ex offic. Rudolphi a Zyll, 8. Adjectum est pervigilium Veneris. Grævii nomen mutuasse tantum videtur astutus librarius ad fraudem faciendam, quamquam ejus præfatio in capite legitur.

Omnia indiligenter disposita et parum consilio, nec cum cura expressa.

ÆTAS V. VOSSIO-BROUCKHOUSIANA.

1684 Cat. cum eruditissimo Is. *Vossii* commentario, Lond. 4. quæ editio reliquis hactenus quidem præstat. Usus est præter alios codices omnium vetustissimo Mediolanensi, quem laudat passim, et reliquis uti antiquiorem ita emendatiorem quoque esse prædicat p. 215.—Utinam vero politissimi vir ingenii, Janus Brouckhusius, cui Propertium debemus et Tibullum, similiter etiam Catullum potuisset absolvere, quem expoliendum, ingenioque et doctrina sua illustrandum sibi sumserat: ita nihil esset amplius, quod ad vetustissimi poetæ lucem studiosi possent desiderare.

1615 Cat. Tib. Prop. opera, interpretatione et notis illustrata a Phil. *Silvio* in usum Delphini, Paris. 4.—In hac edit., ut in aliis ad usum Delphini editis scriptoribus omnibus, obscœna et lasciva rescissa et omissa locis sunt, consilio non improbando, nisi hac ratione, quod loca eadem congesta et ad calcem voluminis deinde junctim exhibent; plures igitur ad ea legenda allicerentur, quorum forte oculos eadem scriptoris corpori suo loco inserta citius latuissent. Nam *πολλοὶ ὄντες κακοί, πλεῖστοι ἀργοί*, pauci solidam eruditionem consectati integros legunt auctores: multi contra, qui eos obiter evolvunt, missis utilibus, ut *κάνθαροι* irruunt *εἰς τὴν κοπρίαν*, cujus gustu tenentur, quamque gaudent et gratulantur sibi ab editoribus congestam veluti in cumulum. Angli quidem, quoties edd. in us. Delph. curarunt recudi, loca illa suis quæque locis restituerunt, etsi vicissim indices omnium vocabulorum minus plenos passim ab illis exhiberi solet Thom. Crenius part. III. animadverss. p. 6.

1686 Cat. Tib. Prop. c. Galli fragmm. Amst. 24.

1691 Catull. e rec. Is. Vossii, Ultraj. sumtibus Societatis, 4. et mutato tantum primo folio, Lugd. ap. Pet. vander Aa.

1697 Catull. ex edit. Vossii, per Hadr. *Beverlandum* curatus, Lugd. Bat. 4.

1707 Cat. Tib. et Prop. opera ad optimorum exemplarium fidem recensita. Acc. variantes lectiones e MSS. Cantabrigiæ, 4.—Splendida et inter ceteras conspicua editio ipsos poetas emendatissimos exhibet. Editor varr. lectt. adjecit cum ex aliorum annotatt. excerptas, tum ex Cod. Laudensi, collationibus in margine Aldinæ adscriptis, aliis collationibus Octav. Ferrarii, item ex antiquis editt. Reg. Lep. Brix. Venet. Ald. Colin.

1710 Cat. Tib. Prop. ex recens. Jo. Ant. *Vulpii* Bergomensis, cum ejusdem observatt., Patavii ap. Jos. Corona, 4.—Et

adolescens, et nondum visa Broukhusiana, hanc emiserat vir doctissimus. Multa retractavit in ed. posteriore.

1713 In corpore poetarum, Lond. fol. (cura *Maittarii.*)

1715 Cat. Tib. Prop. opera. Accedunt quædam eorundem Poetarum carmina græce versa, cum oda Sapphus a Cat. latine reddita, et cum indice copioso. Lond. Jac. Tonson, 12. Mich. Maittarii cura prodiit. Ex Cantabrigiensi repetita est, una cum Var. Lect. Adjecta tabula, qua Scaligerianæ transpositiones comparatæ sunt, item græca versio nonnullorum carminum a Scaligero et Florente Christiano facta.

1723 Cat. Tib. Prop. ad fidem optimorum exemplarium recensiti, cum MSS. varr. lect. margini adpositis, ad celsissimum Aurelianensem Ducem. (studio et opera Mich. *Brochard*) Paris. Coustelier 4.—Nil aliud egit editor, quam ut edit. Scaligerianam recudendam traderet.

1733 Cat. interpretatio odæ Sapphicæ ad Lesbiam, in Wolfii edit. Sapphus fragmentorum, Hamb.

ÆTAS VI. VULPIANA.

1737 Cat. cum copioso *Vulpii* commentario, Pat. 4. Notæ non tam in emendando et interpretando versantur, quamquam in hoc quoque, quam in conferendis locis veterum et recentiorum poetarum, in quibus eadem sententia simili aliove modo expressa est, etiam per imitationem, ut lectores haberent exercitationem ingenii aptam ad imitationem, itemque ut copia verborum et sententiarum comparari possit.

1738 C. Val. Catullus in integrum restitutus. Ex MS. nuper Romæ reperto et ex Gallicano, Patavino, Mediol. Rom. Zanchi, Maffei, Scaligeri, Achillis, Vossii et aliorum. Critice Jo. Franc. *Corradini de Allio* in interpretes veteres, recentioresque, grammaticos, chronologos, etymologos, lexicographos, cum vita poëtæ nondum edita. Venet. fol.—De Corradini impudentia vid. Cl. Harles. introd. in not. lit. Rom. Vol. I. p. 326. sqq.

—— C. Val. Cat. Opp. ex castigationibus observationibusque Grævii, Vossii et Vulpii emendata. s. a. et l. 12. accedit pervigilium Veneris ex castigatt. obsque Sanadoni emendatum.

1742 Cat. Tib. Prop. ad fidem optimorum librorum accurate recensiti, quibus adjectum est Pervigilium Veneris, Goëttingæ. ex offic. Acad. A. van den Hoeck, 12.

1743 Cat. Tib. Prop. pristino nitori restituti et ad optima exemplaria emendati. Acc. fragmm. C. Gallo inscripta. Lugd. Batav. (Paris. Coustelier) 12. Ad Scaligerianam rec. excusa est.

1754 Paris. ap. Barbou. 12.

1762 Cat. Tib. Prop. Goëttingæ, 12. quibus adjectum est pervig. Vener. repet. ed. 1742.

1772 Cat. Tib. Prop. Birmingham. typis elegantissimis Jo. Baskerville, 4. et 12.

1773 Cat. Tib. Prop. Lond. per Harwood, 12.

1778 C. Val. Cat. Epithal. de nuptiis Pelei et Thetidos, varietate lectionis et perpetua adnotatione illustratum a Frid. Guil. *Doeringio*, Numburgi, 8.

1783 *Editio Bipontina.* Cat. Tib. Prop. cum C. Galli fragmm. et Pervigilio Veneris; præmittitur notitia litteraria. maj. 8.

1787 C. Val. Catulli carmen de nuptiis Pelei et Thetidis cum versione Germanica Christiani Friderici Eisenschmid, in usum tironum illustravit Carl. Gotthold *Lenz.* Altenburgi.

Nic. *Heinsii* notulæ in Catullum editæ sunt a Pet. *Burmanno* ad calcem Advers. Heinsianorum.

In Catulli *Attin* emendationes sunt in Miscell. Obs. Dorvill. Vol. II, p. 323. sqq. item in Carmen X, *Varus me meus*, Vol. V, p. 1. sqq.

Codex carminum Catulli eleganter scriptus in membrana, qui olim fuit Marquardi Gudii, una cum aliis ejusdem MSS. optimæ notæ pervenit in Bibliothecam Guelferbytanam Serenissimi Ducis Brunsvicensis. Aldina editio Catulli, Tibulli et Propertii vulgata anno 1502. 8. exstabat castigata passim et emendata manu viri docti in bibl. Ernest.—Codicem Cat. Tib. et Propertii, silvarumque Statii ab Ant. Sinibaldo Florentiæ anno 1484. descriptum Neapoli in Bibl. Olivetanorum vidit Bernhardus de Montfaucon, ut refert ipse in Diario Italico, p. 305.—Exemplar Catulli MS. quod Mediolani servat Bibl. Ambrosiana, mirifice prædicat Jos. Ripamontius in Card. Borromæi vita. Lucas Holsteinius in Epist. Tom. V. Sylloges Burmannianæ p. 435. Jani *Brouckhusii* schedas MStas in Catullum nactus David *Hoogstratanus* novam ejus poëtæ editionem notis illustratam meditabatur, sed morte præreptus est 21 Nov. a. 1724.

Bernardini *Realini* Carpensis, S. J. commentarius a juvene vix viginti annorum, antequam societatem ingrederetur, *in nuptias Pelei et Thetidis:* cum adnotationibus ejus in varia scriptorum loca, recusia in Tomo secundo Facis Criticæ Gruterianæ p. 335—371. vidit lucem Bononiæ 1551. 4.

Rob. *Titii* prælectiones ad Catulli Galliambum sive carmen LXIV, Bonon. 1599. 4. cum aliis quibusdam ejus viri scriptis prodierunt, et in Grævii editione Catulli leguntur, atque in Parisiana a. 1604. fol. p. 216. Illa Parisiana in quibusdam exemplis præfert etiam annum 1608. vel 1615.

F. A. C. *Werthes* über den Atys des Catull, München, 1774. 8. Interpretationem excipiunt observationes.

Emendationes in Catulli Epithal. auctore Ch. Guil. *Mitscherlichio:* sunt adjectæ ejusdem epistolæ criticæ in Apollodorum, p. 43—51. Goëttingæ 1786.

VERSIONES ET METAPHRASES.

Catulli Epithalamium græca metaphrasi donatum a Q. *Septimo Florente Christiano.* Paris. 4. 1587. apud Morell. Hæc metaphrasis recusa est in edit. Lond. 1715.

Carmina quædam e latino Catulli græce expressa leguntur in edit. Jani *Dousæ,* Lugd. 1592.

Poematia quædam Catulli, Tib. et Prop. selecta græce reddita per Jos. *Scaligerum* 1615. 8.—Repetita et hæc metaphrasis in edit. Lond. 1715, et illa phaseli in editione *Senftlebiana,* Lips. 8. 1642.

Amores Catulli ex poematiis ipsius petito argumento Gallica prosa ingeniose descripsit conjecturisque suis explicuit Joannes *Capellanus* (de la Chapelle, qui et an. 1712. amores Tibulli descripsit) Paris. 1680 et Amstel. 1699. 12. duobus voluminibus, atque inter ejus opera Paris. 1700. 12. Gallum secutus Germanus est in libro, cui titulus "Joachim *Meyers* von Perleaberg Durchlauchtigste Römerin Lesbia," etc. Lips. 1690. 8.

Catulli casta carmina, selecta a Raph. *Eglino* Iconio cum ejusdem vindiciis *Ciris* Catullianæ, adversus Jos. Scaligerum, Francof. 1606. 12. additis Scioppii epithetis et synonymis poeticis et notis ejusdem ad Claudii Verdierii censionem. Qui sub *Imperialis* nomine complures fabulas Romanenses sermone vernaculo Germanico (ut Jo. *Capellanus* sive *de la Chapelle* Gallico) edidit, testatur, etiam prælo se paratam habere Deliam, Cynthiam et Lycoridem, sive Catulli, Tibulli ac Propertii poemata versibus Germanicis expressa sic, ut fabulæ eroticæ illa intexuerit, et rerum Augusti Imperio Romæ gestarum non inamœnam narrationem fuerit persecutus.

Epithalamium Thetidos et Pelei redditum carmine Italico a Ludovico *Alamanno,* * qui primus in heroicis usus fuit genere versuum liberiori, quod Italis *versi sciolti* † appellatur: ut post Alamannum deinde fecere Ludovicus *Martelli* in Metaphrasi libri quarti Æneidos, Hippolytus de Medicis in Metaphrasi libri secundi, Trissinus in Claudiano de raptu Proserpinæ, et alii deinde in aliis.

Petrus *Taissand* Quæstor Burgundiæ a 1715. æt. 72. defunctus, inter alia, quæ in ejus vita memorantur, reliquit versionem Gallicam Officiorum Ciceronis et Metaphrasin Catulli. Vide Journal des Savans 1716. Sept. p. 300.

Epitalamio nelle nozze di Peleo e Teti di C. Val. Catullo tradotto in versi Toscani (ab Octav. *Nerucci*) Siena 1751. 8.

Traduction en Prose de Catulle, Tib. et Gallus. Par l'Auteur des Soirées Helvetiennes (Mr. *Pezay*) Tomes 2. Amst. 1771. 8.

* Giornale de' letterati d'Italia. T. XXXIII. p. 324.

† Quasi *versus solutos* dixeris et homœoteleutorum lege liberos.

avec un discours préliminaire. Tom. I. complectitur Catulli textum cum versione et notis. Nonnullorum carminum obscœnorum solus textus exhibetur. Sed versio levior habetur.

Poematto di Catullo intorno alle nozze di Peleo e di Teti, ed un epitalamio dello stesso, tradotti in versi Italiani (a Joseph. *Torelli*). Verona 1781. mai. 8.

Katulls epischer Gesang von der Vermählung des Peleus, metrisch übersetzt und mit einigen Anmerkungen begleitet von J. *Gurlitt*. Leipz. 1787. 8.

Versio *Eisenschmidiana* Germanica excusa est in edit. Lenzii, Altenb. 1787.

ADDENDA.

Catulli carmina minora (cum notulis), curavit T. S. Forbiger. Lips. 12m. 794.

C. G. Lenzii Epistola in loca quædam carminis Catulli de nuptiis Pelei et Thetidos. Gothæ. 808. 4 maj.

Observationum criticarum in Catulli carmina specimen scripsit Ferd. Handius. Lips. 809. 8maj.

Omnia Catulli casta carmina, notis Doeringianis comitata, complectitur libellus, in usum Scholarum editus, cui titulus est, "Excerpta ex variis Romanis poetis," etc. Lond. Rivington. 12mo. 1817. editio secunda.

Catulli carmina ad membranarum meliorum et editionum principum fidem recensuit, suasque animadvv. adjecit J. G. H. Klindworth. Pars. Ima, prolegom. carminumque textum; pars 2da. commentar. crit. indicesque continens. 8maj. Lips. 818. [adhuc sub prælo.]

C. VALERII CATULLI

VITA

EX EDITIONE VULPIANA.

Valerio Catullo *Quinti* prænomen tribuit Josephus Scaliger, corruptissimi loci auctoritate fretus, ex Elegia ad Januam, v. 12: testatus præterea, se in antiquo libro Jacobi Cujacii I. C. ita scriptum manifesto comperisse. Huic Scaligeri persuasioni pondus addit Joannes Harduinus, qui (ad librum XXXVII. nat. historiæ C. Plinii Secundi cap. 6.) affirmat, in omnibus codicibus manu exaratis *Catullum Quintum* appellari. Consensus tamen eruditorum, atque editiones pæne omnes refragantur: quibus olim præiverat L. Apuleius Madaurensis, cum in Apologia priore carminum quorundam suorum lasciviam *Caii Catulli* nobilissimo exemplo defendit. Et certe librarii veteres, nominum similitudine decepti, *Catulum* Poetam cum *Catullo* sæpe confundunt: idcirco factum existimo, ut cum illi *Quintus* prænomen fuerit, huic etiam idem affingerent.* Veronensem porro fuisse nostrum poëtam, liquido constat, cum ex Ovidio, Plinio majore, Martiale, Ausonio, ceterisque, tum ex ipsius testimonio, qui carm. 31., ubi, e Bithynia reversus, Sirmionem lacus

* Alius certe *Quintus Catullus* fuit, cujus integrum nomen *Quintus Lucatius Catullus*, urbanus sive urbicarius, hoc est, mimographus, de quo videndus Scholiastes ad Juvenal. VIII. 185. ad verba, *Clamosum ageres ut Phasma Catulli;* et ad XIII. 109.—Q. Catulli Epigramma e Callimachi Epigr. XLIII. suaviter expressum refert Gellius XIX. 9. quod incipit, *Aufugit mi animus, credo, ut solet, ad Theotinum.* Omitto Cinnam *Catulum*, Stoicum, quem audivit M. Antoninus imperator, teste Capitolino in Marci vita c. 3. Nam et hujus verum nomen *Catullus* erat, ut constat ex M. Antonini lib. I. Sect. 13. Accedit ille, ad quem Martialis XII. 74. *Heredem tibi me, Catulle, dicis: Non credam, nisi legero, Catulle.* (Ex edit. Bipont. p. 13.)

Benaci peninsulam adloquitur, ad Larem domesticum salvum se advenisse gaudet. Natus est (si Hieronymus rationem recte subduxit, neque numeri in ejus Chronico depravati sunt) Olympiadis 173. anno 2., ab urbe vero condita 667. Lucio Corn. Cinna, Cn. Octavio Coss.—Quamobrem non injuria Lilius Gregorius Gyraldus Petrum Crinitum reprehendit, quod scribere non dubitaverit: *pro comperto haberi, carmen de Passere Lesbiæ ad Virgilium missum fuisse, ob illud Martialis:**

Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere Passerem Maroni.

Nam verisimile non est, Catullum septemdecim annis Marone grandiorem (natus est enim Maro, teste Hieronymo ac Donato, olympiadis 177. anno 3., ab urbe vero condita 684., Cn. Pompeio Magno, M. Licinio Crasso primum Coss.) eidem adhuc puero tantum detulisse, et nonnisi fronte perfricta, animoque obfirmato, ad ejus tribunal accedere posset. Præterea τὸ *forsan*, quod est apud Martialem, argumenti vim omnino infringit.†

Parentem habuit Valerium, ex honesta familia municipali, cujus nimirum hospitio, si Tranquillum audimus,‡ C. Julius Cæsar uti solitus fuerit. Non amplissimam quidem pecuniam possedit, utpote qui *sacculum suum aranearum plenum* § ingenue fateatur, Furiumque et Aurelium inter principes amicorum observaverit: quorum alteri *nec servus, nec arca, nec cimex erat:* ‖ alterum *esuritionum patrem* ¶ ipse festive appellat. Cumque divi-

* Lib. 4. epigr. 14.

† Quod Martialis scripsit, *Sic forsan* etc. hoc non ita potest intelligi, ac si revera ad Virgilium carmina sua, vel carmen de Passere, miserit Catullus; nam alioqui non dixisset Martialis, *sic forsan:* sed quod Martialis sua voluerit Epigrammata cum Catullianis, et Silium, ad quem scribit, comparare cum Marone; licet accurate loquendo non jam ita claruerit Virgilius, cum Catullus scriberet, ut ad eum misisse carmina sua credi possit. Sed quantacunque etiam deinde fuit Virgilii fama, non dubitasset forte Catullus, si tum vixisset, passerem suum illi jocosque mittere. Ita Martialis quoque Epigrammata sua ait se offerre Silio. Jo. Isaaci Pontani autem et Boxhornii (c. 35. quæst. Rom.) hallucinatio tribuenda calami festinationi, Catullum Martiali juniorem facientium. (Ex edit. Bipont. p. 14.)

‡ In Julio c. 73.

§ Carm. 13.

‖ Carm. 23.

¶ Carm. 21.

tum Romanorum familia maxima esset, neminem habuit *Catullus*,

> *Fractum qui veteris pedem grabati*
> *In collo sibi collocare posset.**

Patrimonio tamen satis lauto fuisse videtur, quod hominem eo loco natum deceret. Nam et Romæ, in urbe sumtuosa, diutius commoratus est, ibique amoribus operam dedit, ac fundum in agro Tiburtino possedit: navi sua in Pontum navigavit, ac se *Sirmionis herum* † appellare non veretur; quæ omnia profecto sunt hominis locupletis, et cui familiares copiæ non desint. Quod tamen genio indulgeret, convivia pararet, puellas a lenone redimeret,‡ nobilium amicitiis floreret, propterea difficultate nummaria sæpius erat, villasque suas pignori opponebat. Hanc vero potissimum causam fuisse crediderim, quare cum Jurisconsultis et Oratoribus, puta cum Alpheno Varo, Licinio Calvo, Tullio Cicerone assidue versaretur; homo scilicet ære alieno obstrictus, et forensibus negotiis distentus. Lucellum itaque alicunde corrasurus, Memmium prætorem in Bithyniam simul cum germano fratre secutus est, nullo tamen successu; idque ob prætoris ejusdem nimiam cupiditatem, vel certe negligentiam. Imo vero cum in provinciam Troadem venisset, fratrem suum, quem æque ac se ipsum diligebat, immatura morte præreptum amisit. Hujus postea cineribus, ex Asia in Italiam revertens, maximo mœrore parentavit: ejusdem memoriam, ubicumque se obtulit occasio, mira pietate semper coluit. Navigatione demum absoluta, phaselum, quo mare transmiserat, Castori et Polluci, habitis eo tempore navium servatoribus, illustri carmine dedicavit.

Postquam ex ephebis excessit, in castris amoris cœpit stipendia facere: in primis autem Clodiam, præstanti mulierem forma, quam mutato nomine Lesbiam vocare consuevit; Hypsithillam quandam, Aufilenam Veronensem, et Juventium puerum deperiit. Amores quoque suos mollissimis versibus complexus, eo scribendi ge-

* Carm. 10. † Carm. 31. ‡ Carm. 103.

nere haud minorem consecutus est gloriam, quam sublimi vereque divino Æneidos poemate vates Mantuanus. Amici ejus plurimi enumerantur: Cornelius Nepos, cui libellum suum muneri misit; Verannius et Fabullus; Furius et Aurelius; Licinius Calvus, Orator vehemens, et nobilis poëta, quem prisci scriptores fere semper *Catullo* adjungunt; Alphenus Varus IC.; Cæcilius, qui de Matre Deorum poema conscripserat; Manlius Torquatus, e gente patricia Romana, cujus nuptias elegantissima ode celebravit, et ad quem est illa epistola, quam tanti Muretus fecit; Cinna, Smyrnæ auctor; Cornificius fortasse ille, cujus esse Rhetoricorum ad Herennium libros quatuor nonnulli putaverunt; Hortalus, poëta mediocris; Cato, non ille Uticensis, morum severitate insignis, at litterator quidam, cujus mentionem facit Suetonius in libro de illustribus Grammaticis c. 11; denique Cœlius, Veronensis. M. Tullium Ciceronem in causa forensi (quænam illa fuerit, ignoratur) videtur patronum adhibuisse, cui profecto ob acceptum beneficium venusto epigrammate gratias agit. Quamquam igitur Asinium Pollionem diligeret, hominem Ciceroni tantopere infestum, a Tullio colendo non abstinuit: sed videlicet Asinius, mortuo demum *Catullo* et Cicerone ipso, adversus eximii oratoris manes inimicitias exercuit: nam Catullo florente, ac hendecasyllabos scribente, *puer* * adhuc erat. Iambicis et Phalæciis versibus in pessimos quosque homines, nullo discrimine, invectus est: neque ipsi Cæsari, quantumvis rerum potito, pepercit, quin calami aciem in *sinistram* ejus *liberalitatem*,† atque alia vitia distringeret. Mamurram, Gellium, Vatinium, Vettium, Cominium, quos vehementer oderat, propriis nominibus per ora hominum traduxit, ac styli acerbitate confixit. Lusit præterea in Volusium, ineptum (ut ipse quidem existimabat) annalium scriptorem: in rivalem Egnatium, malum poëtam: in Suffenum, quem Cæsiis et Aquiniis litterarum venenis adnumerat: postremo, in Sextium, oratorem, cujus frigidissima oratione molestam gravedinem se contraxisse per jocum affirmat.

* Carm. 12. † Carm. 29.

Græcis litteris non leviter imbutum fuisse, ex eo colligi potest, quod suavissimam oden poëtriæ Sapphus et Callimachi elegiam de coma Berenices, mundissimis carminibus latine reddiderit: ob id etiam fortasse a Tibullo, Ovidio, Martiale *doctus* appellatus. Et idcirco mirum videri debet, Julium Scaligerum, ea virum eruditione, quodque non minimum est, Veronensem, ideoque municipi suo saltem hoc nomine devinctum, hæc de *Catullo* monumentis mandavisse: *Catullo* docti *nomen quare sit ab antiquis attributum, neque apud alios comperi, neque dum in mentem venit mihi; nihil enim non vulgare est in ejus libris.** Quamquam postea mutato consilio, qui mos est homini, παλινῳδίαν canere cogatur, *Galliambicum* ejus carmen *divinum* autumans, et poema de nuptiis Pelei ac Thetidos, verum aditum et gradum ad Æneidos divinitatem esse pronuntians. Nonne probabilius de *nugis* poëtæ nostri Cornelius Nepos, vir gravissimus, judicium tulerat, cum eas *esse aliquid* putabat? Nonne benignius, et justius cum ipso egere Pompeius Saturnius, ac Sentius Augurinus, quorum uterque, teste Plinio in epistolis,† Catulliani carminis imitationem sibi gloriæ fore augurabantur. Sed hæc alias: nunc id, quod cœpimus, agamus. Quinctilianus et Diomedes inter poëtas Iambicos *Catullum* reponunt. Ante Horatium profecto iambicis versibus gloriam *Catullus* adeptus fuerat, ut falso scripserit Horatius epist. 19. lib. 1.

——— *Parios ego primus iambos*
Ostendi Latio ———

Hieronymus Lyricis adnumerat: reliqui, Epigrammatographis. Ego vero, si modo fas est meam sententiam aperire, variis potius adjungerem; nam certe in ejus poëmatis nonnulla excedunt Epigrammatis modum. Ambigitur jure a nonnullis, utrum hæc solum paucula, quæ hodie exstant, ab illo scripta fuerint, an vero longe plura, quæ vetustas nobis inviderit.‡ Ansam ad dubitandum

* In Hypercritico, seu lib. 6. poetices, c. 6.

† Lib. 1. epist. 16. lib. 4. epist. 27.

‡ Dubitandum minime est, opus Catulli ad nos lacerum pervenisse. Longe enim plura scripsisse testes sunt veteres Grammatici, qui de ejus poematiis ea producunt, quæ hodie non exstant.

dat Plinius, qui de Incantamentis aliquid a *Catullo* exaratum innuit,* cujus ne vestigium quidem superest. Et *Catullus* ipse affirmat (Carm. 68. v. 17.) se *satis multa lusisse*,

Jucundum cum ætas florida ver ageret.

Nisi Raphaëli Eglino Iconio Tigurino auscultare velimus,† qui Cirin, poema elegantissimum, Virgilio abjudicans, *Catullo* attribuit propter styli similitudinem:‡ *Catulli* profecto esse videntur tria carmina in Priapum, quæ doctis viris nonnullis post carmen 17 collocare placuit; non ita dissimili sunt oratione ac stylo. Quod e puris iambis confectum est, Phaseli nitorem proxime attingit: et quædam in iis continentur, quorum imitatio in Eclogis Virgilianis apparet; Virgilius enim a *Catullo* plura sumsit; tum comparativus *ostreosior* (carm. 18.) auctorem suum satis clamat; hujusmodi enim comparativis longioribus *Catullus* mirifice delectatur. Neque Terentiano Mauro, vetusto atque emunctæ naris Grammatico,

Itaque apud Virgilium (lib. V. 609.) *per mille coloribus arcum*, ibi Servius; *De iride arcum in genere masculino dixit. Virgilius, Catullus et alii in feminino, referentes ad orginem.* Atqui tale nihil hodie in Catullianis.—Præterea ejus opus videtur in genera carminum distincta fuisse, *Hendecasyllabos, Heroica, Lyrica, Elegiaca.* Itaque Charisius citat Catullum *in Hendecasyllabis*; quod sane non fecisset, nisi ita tributum fuisset volumen.— Rursus apud Virgilium legimus *Et quo te dicam carmine?*—Ibi Servius refert, Virgilium, cum sciret Rhæticum vinum summopere laudari a Catone, contra autem vituperari a Catullo, ne se in eam dissensionem interponet, hoc modo locutum: atqui in hodiernis Catullianis nulla nota ejus rei exstat.—Denique Nonius ex Priapeo Catulli adducit *de meo ligurire libido est.* Quare admodum mutilum opus Catullianum ad nos pervenisse minime dubium est. Quid præterea dicam, quæ citat ex Catullo Maurus Terentianus, quæ nusquam comparent. Hæc de carminibus Catulli deperditis Jos. Scaliger, quibus inepte quidam *Phasma* et *Laureolum* e Juvenale ac Tertulliano adjungunt. Vid. Sam. Petitum ad Leges Atticas p. 245. seqq. et Pamelium ad Tertullian. c. XIV. contra Valentinianos. *Phasma* Q. Lutatii Catulli, et *Laureolum* Nævii vel Laberii, neutrum vero Catulli esse, eruditis jam notatum.—Carmen Catulli *de incantamentis* citat Plin. XXVIII. 2.: *Ithyphallica* memorat Terentianus Maurus. (Ex *Fabric. Bibl. Lat.* Tom. c. 5.)

* Lib. 28. nat. Hist. 2.

† In vindiciis Ciris Catullianæ adversus Jos. Scaligerum.

‡ Præter rem omnino *Cirin* Catullo tribuit *Eglinus*, quem Catulli non raro imitatorem docet Leonhardus Friso libro tertio de poemate. Neque verius alii carmen *de Vere*, sive *Pervigilium Veneris* ad Catullum auctorem retulerunt; quorum sententiam confutat Lipsius libro I. Electorum c. V. (Ex Fabric. Biblioth. Lat. Tom. I. c. 5.)

repugnare ausim, qui testatur, *Catullum* plures versus eo Priapeio sive Antispastico metri genere composuisse. Decessit poeta noster annos aliquot natus ultra quadraginta, ut adversus Eusebii Chronicon ostendo ad ejus carmen LII. et CXI.*

* Catullum quoque Cæsari superstitem fuisse contendit Jos. Scaliger ad Eusebii num. MDCCCCLX. assentiente Is. Casaubono ad Suetonii Cæsarem c. 73. et Franc. Carpentarius in Carpentarianis. p. 432. sqq. ita ut per *Valerium* in Epistola Ciceronis ad Trebatium VII. 11. Catullus possit intelligi. (edit. Bipont. p. 14.) cf. nos in argumento ad Carm. XXXIV.

NONNULLA
VETERUM SCRIPTORUM
DE
C. VALERIO CATULLO
TESTIMONIA
A VULPIO COLLECTA.

Cornelius Nepos in T. Pomp. Attico cap. 12.

Idem L. Julium Calidium, quem post Lucretii *Catullique* mortem, multo elegantissimum poëtam nostram tulisse ætatem, vere videor posse contendere —— expedivit.

Horatius Satyra 10. lib. 1. 19.

Nil præter Calvum et doctus cantare *Catullum.*

Tibullus lib. 3. eleg. 6. 41.

Sic cecinit pro te *doctus*, Minoi, *Catullus.*

Propertius lib. 2. eleg. 19. 39. Edit. Bipont.

Ista meis fiet notissima forma libellis:
Calve, tua venia; pace, Catulle, tua.

Idem lib. eod. eleg. 25. 87.

Hæc quoque lascivi cantarunt scripta *Catulli*,
Lesbia, queis ipsa notior est Helena.

Ovidius lib. 3. Amorum Elegia 9. 61.

Obvius huic venias, hedera juvenilia cinctus
Tempora, cum Calvo, *docte Catulle*, tuo.

Idem libro eod. eleg. 15. 7.

Mantua Virgilio gaudet, *Verona Catullo.*

Idem lib. 2. Tristium, versu 427.

Sic sua lascivo cantata est sæpe *Catullo*
Femina, cui falsum *Lesbia* nomen erat.
Nec contentus ea, multos vulgavit amores,
In quibus ipse suum fassus adulterium est.

Velleius Paterculus Historiæ Rom. lib. 2. cap. 36.

Quis enim ignorat, diremtos gradibus ætatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium, ——— auctoresque carminum Varronem ac Lucretium, neque ullo in suscepti operis sui carmine minorem *Catullum?*

M. Seneca Rhetor Controversia 19.

Erat enim (*Calvus*) parvulus statura, propter quod etiam *Catullus* in Hendecasyllabis vocat illum *salaputium disertum.*

(*vid. carmen* Catulli 53.) ——— —

L. Seneca Philosophus in Apocolocyntosi Claudii Cæsaris.

Nec mora, Cyllenius illum collo obtorto trahit ad inferos:

Illuc unde negant redire quemquam.

(*versus est* Catulli *e Carmine* 3.)

Plinius major Præfatione Hist. Nat.

Namque tu solebas meas esse aliquid putare nugas, ut obiicere moliar *Catullum* conterraneum meum; (Agnoscis et hoc castrense verbum) ille enim, ut scis, permutatis prioribus sætabis, duriusculum se fecit, quoniam volebat æstimari ea a Veraniolis suis et Fabullis.

(vid. carm. 1 et 12. poëtæ nostri.)

Idem lib. 28. cap. 2.

Hinc Theocriti apud Græcos, *Catulli* apud nos, proximeque Virgilii, incantamentorum amatoria imitatio.

Idem lib. 36. cap. 6.

Hic namque est Mamurra *Catulli Veronensis* carminibus proscissus, quem et res, et domus ipsius clarius, quam *Catullus*, dixit habere, quidquid habuisset comata Gallia.

(vide carmen 29. nostri poëtæ.)

Idem lib. eodem, cap. 21.

Sed et ii pumices, qui sunt in usu corporum lævigandorum feminis, jam quidem et viris, atque, ut ait *Catullus*, libris.

(*vid. carm.* 1. *et* 22.)

Idem lib. 37. cap. 6.

Nonius Senator, filius Strumæ Nonii ejus, quem *Q. Catullus* poëta in sella curuli visum indigne tulit.

(*vid. carmen 52.*)

Plinius junior Epistola 16. *lib.* 1.

Facit versus (*Pompeius Saturninus*), quales *Catullus* meus, aut Calvus. Quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis inserit! Sane, sed data opera, molliusculos, leviusculosque, duriusculos quosdam: et hoc quasi *Catullus* meus, aut Calvus.

Idem Epistola 14. *lib.* 4. *loquens de Hendecasyllabis.*

Scimus alioqui, hujus opusculi illam esse verissimam legem, quam *Catullus* expressit: *Nam castum esse decet pium poëtam Ipsum etc.*

(vid. carmen 16.)

Sentius Augurinus ap. eund. epist. 27. *lib.* 4.

Canto carmina versibus minutis,
His olim quibus et meus *Catullus*,
Et Calvus, veteresque. ——

Corn. Tacitus lib. 4. *cap.* 34. *annalium, in Oratione Cremutii Cordi.*

Carmina Bibaculi et *Catulli* referta contumeliis Cæsarum leguntur.

Juvenalis Satyra 6. 7.

——— Haud similis tibi, Cynthia; nec tibi, cujus
Turbavit nitidos exstinctus *Passer* ocellos.

Suetonius in Julio cap. 73.

Valerium Catullum, a quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita, non dissimulaverat, satisfacientem eadem die adhibuit cœnæ: hospitioque patris ejus, sicut consueverat, uti perseveravit.

Quinctilianus lib. 1. *Instit. Oratoriæ cap.* 5.

Sicut *Catullus ploxemum* circa Padum invenit.

(*vid. carm.* 96.)

Idem lib. eod. cap. 10. *ubi de aspirationibus.*

Eripuit brevi tempore nimius usus, ut *choronæ, chenturiones, præchones* adhuc quibusdam inscriptionibus maneant; qua de re *Catulli* nobile Epigramma est.

(*vid. carm.* 83.)

Idem lib. 6. cap. 3.

Et Catullus cum dicit:

Nulla in tam magno est corpore mica salis,

non hoc dicit, nihil in corpore ejus esse ridiculum.

(*vid. carm.* 85.)

Idem lib. 10. *cap.* 1.

Iambus non sane a Romanis celebratus est, ut proprium opus: a quibusdam interpositus: cujus acerbitas in *Catullo*, *Bibaculo*, Horatio.

(*Meminit praeterea de Catullo Quinctilianus lib.* 9. *cap.* 3. *et* 4. *item lib.* 11. *cap.* 1. *et* 3.)

Martialis lib. 1. *Epigr. Epistola ad Lectorem.*

Lascivam verborum veritatem, id est, Epigrammaton linguam excusarem, si meum esset exemplum; sic scribit *Catullus*; sic Marsus, sic Pedo, sic Getulicus, sic quicunque perlegitur.

Idem lib. 1. *epigr.* 62.

Verono *docti* syllabas amat *vatis*.

Idem lib. 2. *epigr.* 71.

Protinus aut Marsi recitas, aut scripta *Catulli*.

Idem lib. 4. *epigr.* 14.

Sic forsan tener ausus est *Catullus*
Magno mittere *Passerem* Maroni.

Idem lib. 5. *epigr.* 5.

Sit locus et nostris aliqua tibi parte libellis,
Qua Pedo, qua Marsus, quaque *Catullus* erit.

Idem lib. 7. *epigr.* 14.

Accidit infandum nostrae scelus, Aule, puellae:
Amisit lusus, deliciasque suas;
Non quales teneri ploravit amica *Catulli*
Lesbia, nequitiis *Passeris* orba sui.

Idem lib. 8. *epigr.* 73.

Lesbia dictavit, *docte Catulle*, tibi.

Idem lib. 10. *epigr.* 78.

Nec multos mihi praeferas priores,
Uno sed tibi sim minor *Catullo*.

Idem lib. eod. epigr. 103.

Nec sua plus debet tenui Verona *Catullo*.

Idem lib. 12. epigr. 44.

Lesbia cum tenero te posset amare Catullo.

Idem lib. 14. epigr. 77. quod inscribitur Cavea Eborea.

Si tibi talis erit, qualem dilecta *Catullo*
Lesbia plorabat, hic habitare potest.

Idem lib. eodem epigr. 195.

Tantum magna suo debet *Verona Catullo,*
Quantum parva suo Mantua Virgilio.
(*vide et Epigr. 152. ejusdem libri.*)

A. Gellius Noct. Attic. lib. 7. cap. 20.

Catullus quoque elegantissimus poëtarum.
(et infra eod. capite.)

Idem lib. 19. cap. 9.

Ecquis nostrorum poëtarum tam fluentes carminum delicias fecisset? nisi *Catullus*, inquiunt, forte pauca, et Calvus itidem pauca.
(*vid. eundem lib. 6. cap. 16.*)

Ausonius Drepanio Pacato Latino.

Cui dono lepidum novum libellum
Veronensis ait *poëta* quondam,
Inventoque dedit statim Nepoti.

Macrobius lib. 2. Saturnal. cap. 1.

Saturnalibus, optimo dierum, ut ait *Veronensis poëta.*
(*vid. carmen 14.*)

L. Apuleius in Apologia.

Eadem igitur opera accusent *C. Catullum*, quod Lesbiam pro Clodia nominarit.

Sidonius Apollinaris epistola 10. *lib.* 2. *ad Hesperium.*

Reminiscere quod sæpe versum complevit *Lesbia* cum *Catullo.*

Severinus Boethius de Consolat. Philosophiæ lib. 3. Prosa 4.

Num vis ea est magistratibus, ut utentium mentibus virtutes inserant, vitia depellant? Atqui non fugare, sed illustrare potius nequitiam solent; quo fit, ut indignemur, eos sæpe nequissimis hominibus contigisse. unde *Catullus* licet *in curuli Nonium sedentem, strumam* appellat.
(vid. carmen 52.)

Diomedes Grammaticus lib. 3. cap. 6. de Iambico.

Cujus carminis præcipui scriptores apud Græcos Archilochus, Hipponax, apud Romanos Lucilius, et *Catullus*, et Horatius, et Bibaculus.

Terentianus Maurus in Tractatu de Literis, Syllabis, Pedibus, et Metris. v. 838. ubi de Phalæcio hendecasyllabo.

Exemplis tribus hoc statim probatis,
Docti carmine quæ legis *Catulli* etc.

Idem tractatu eodem v. 1031.

Hunc lucum tibi dedico, consecroque, Priape, etc.
Et similes plures sic conscripsisse *Catullum*
Scimus ———
(vid. carmen 18.)

VULPII DIATRIBE

DE METRIS CATULLI.

Versuum genera, quibus in epigrammatibus ceterisque poëmatiis utitur Catullus, numero quatuordecim occurrunt. Principem locum obtinet Phalæcius hendecasyllabus, qui constat e spondæo, dactylo, ac tribus trochæis, hoc pacto:

Quoī dō | nō lĕpĭ | dūm nŏ | vūm lĭ | bēllŭm

In prima tamen sede apud antiquiores poëtas trochæum, vel iambum loco spondæi nonnunquam recepit, ut in sequentibus:

Ārĭ | dā mŏdŏ | pūmĭ | ce ēxpŏ | lītūm
Mĕās | ēsse ălĭ | quĭd pŭ | tārĕ | nūgās

In altera poëta noster carmine 57. 7. creticum sive amphimacrum semel usurpavit:

Uno in | lecticlo | eru | ditu | li ambo

Versus autem ille initio carminis 40.

Quænam te mala mens, miselle Ravide.

hypermeter est, sive una syllaba redundans. quem hac ratione metimur, ut postrema syllaba per synalœphen elidatur a prima subsequentis, quæ incipit a vocali:

Quænām | tē mălă | mēns mĭ | sēllĕ | Rāvĭ | de Agit.

Hoc primo genere versus utitur *Catullus* trecies novies, videlicet carmine 1. 2. 3. 5. 6. 7. 9. 10. 12. 13. 14. 15. 16. 21. 23. 24. 26. 27. 28. 32. 33. 35. 36. 38. 40. 41. 42. 43. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 53. 54. 56. 57. 58.

II. Sequitur secundo loco Iambicus trimeter, seu senarius acatalectus. Hic sex pedibus constat, qui omnes possunt esse iambi, ut:

Aĭt | fŭīs | sĕ nā | vĭūm | cĕlēr | rĭmūs

Interdum vero in locis disparibus, puta in primo, tertio, quinto spondæus admittitur, pes iambo ἰσοσύλλαβος, etsi non ἰσόχρονος: nonnunquam etiam imparisyllabi, ut anapæstus, ◡ ◡ –, dactylus, tribrachys ◡ ◡ ◡. At in locis paribus, nempe secundo, quarto, ultimo, extra comœdiam, et fabulas Phædri Æsopias, comico fere

stylo scriptas, præter iambum vel tribrachyn ceteri pedes vix recipiuntur. Exempla mixti Iambici:

Stella in	cŭrŭ	lī strŭ	mă Nō	nĭŭs	sĕdēt
Per con	sula	tum pe	je rat	Vati	nius

Hoc genere *Catullus* utitur quater, nimirum carmine

4. Phaselus ille, quem videtis, hospites.
20. Ego hæc, ego arte fabricata rustica.
29. Quis hoc potest videre, quis potest pati.

hæc porro tria carmina constant ex Iambicis puris.

52. Quid est, Catulle, quod moraris emori?

E mixtis hoc Iambicis est.

III. Succedit superioribus Choliambus, sive Scazon, in omnibus præcedenti conveniens, si duos ultimos pedes excipias; etenim ordine præpostero quintus pes semper est iambus, ultimus semper spondæus, ut:

Fūlsē | rĕ quon | dam cān | dĭdī | tĭbī | sōlēs

Hoc genus a Catullo septies adhibetur:

Carmine 8. Miser Catulle, desinas ineptire.
22. Suffenus iste, Vare, quem probe nosti.
31. Peninsularum, Sirmio, insularumque,
37. Salax taberna, vosque contubernales.
39. Egnatius, quod candidos habet dentes.
44. O funde noster, seu Sabine, seu Tiburs.
59. Bononienses Rufa Rufulum fellat.

IV. Quarti generis est Sapphicus hendecasyllabus, qui constat e trochæo, spondæo, dactylo, et rursum duobus trochæis, ut:

Sīve in | ēxtrē | mōs pĕnĕ | trārĭt | Indōs

quamquam interdum poëta noster altera in sede trochæum collocaverit. Exempla sunt:

Seu Sa	cas sa	gittife	rosque	Parthos
Pauca	nunti	ate me	ae pu	ellæ
Oti	um Ca	tulle ti	bi mo	lestum est

Illi autem versus abundant semipede, qui absorbetur a prima vocali subsequentis:

Nullum amans vere, sed identidem omnium
Qui illius culpa cecidit, velut prati.

In eo autem non servatur synalœphe, sed hiatus relinquitur quarto loco:

Gāllĭ | cūm Rhē | num hōrrĭbĭ | lēsquĕ | ūltĭ

Hoc genere versus utitur *Catullus* bis, nimirum in duabus odis, quarum utraque est dicolos tetrastrophos; constant enim e duplici genere versuum, Sapphico et Adonio, singulæque earum strophæ quaternis versibus concluduntur:

Carm. 11. Furi, et Aureli, comites Catulli.
51. Ille mi par esse deo videtur.

V. Quinti generis est Adonius, versiculus exiguus, qui constat dactylo et spondæo, ut:

Īlĭă | rūmpēns

Utitur eo Catullus bis, ut paulo ante diximus.

VI. Ad sextum genus pertinet Trochaicus Stesichorius, quem Antispasticum etiam vocant, Priapeium, et Angelicum: qui versus constat sex pedibus: choreo vel spondæo, dactylo, cretico — ◡ —, rarius dactylo, iterum choreo vel spondæo, iterum dactylo, postremum choreo, ut:

Ēt să | līrĕ pă | rātum hăbēs | sēd vĕ | rĕrĭs ĭn | ēptă
Quēmdām | mūnĭcĭ | pēm mĕūm | dē tŭ | ŏ vŏlŏ | pōntĕ
Nūtrĭ | ō, măgĭs | ēt măgĭs | ūt bĕ | ātă qŭot | ānnĭs.
Prō quĕis | ōmnĭă hŏ | nōrĭbŭs | haēc nĕc | ēssĕ Prĭ | āpŏ
In. fūs | să Lĭgŭ | rĭ jăcĕt | sŭpĕr | nātă sĕ | cūrĭ
Tantum | dem omnia | sentiens | quam si | nulla sit | usquam
Quercus | arida | rustica | confor | mata se | curi
Alter | parva fe | rens manu | semper | munera | larga

utitur eo versu *Catullus* ter, nimirum:

Carm. 17. O Colonia, quæ cupis ponte ludere ligneo.
18. Hunc lucum tibi dedico consecroque, Priape:
19. Hunc ego, juvenes, locum, villulamque palustrem.

VII. Septimi generis est Iambicus tetrameter catalectus, qui constat septem pedibus, et cæsura in fine. Ad eum porro faciendum servantur omnia, quæ ad Iambicum trimetrum pertinent. Exemplum sit:

Rĕmĭt | tĕ pāl | lĭŭm | mĭhĭ | mĕŭm | quŏd ĭn | vŏlās | tĭ

In illo versu est amphibrachys ◡ — ◡ secundo loco, anapæstus tertio:

Qūum dē | vĭă mŭ | lĭĕr ā | lĭtēs | ōstēn | dĭt ōs | cĭtān | tēs

in illo autem spondæus loco septimo:

Īnvī | să tŭr | pĭtēr | tĭbī | flăgēl | lă cōn | scrĭbĭl | lĕnt

Catullus hunc adhibet semel, carmine 25.

Cinæde Thalle, mollior cuniculi capillo.

VIII. Octavi generis est Choriambus, qui constat quinque pedibus, nimirum spondæo, tribus choriambis — ◡ ◡ —, et pyrrhichio, ut:

Vēntōs | īrrĭtă fēr | re ēt nĕbŭlās | āĕrĭās | sĭnĭs

Hoc versus genere conscripta est Horatii ode 18. lib. 1.

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem.

Utitur eo *Catullus* semel carmine 30.

Alphene immemor, atque unanimis false sodalibus.

IX. Noni generis est Pseudo-phalæcius ἑνδεκασύλλαβος, qui fit ex duobus spondæis, ac tribus choreis, ut:

Fēmēl | lās ōm | nēs ă | mīcĕ | prēndĭ
Quas vul | tu vi | di . ta | men se | reno

interdum spondæo, et quatuor choreis; cujusmodi

Te īn cĭr | cō te ĭn | ōmnĭ | būs lĭ | bēllĭs

Tribrachys autem loco spondæi prima in sede positus, occurrit illo versu:

Cămĕrĭ | ūm mĭhĭ | pēssĭ | mæ pŭ | ēllæ

Utitur eo *Catullus* semel, quamvis intermisceat legitimos hendecasyllabos, carmine 55.

Oramus, si forte non molestum est.

X. Decimi generis est Glyconius, qui fere constat spondæo, et duobus dactylis, ut:

Jām sēr | vīrĕ Thă | lāssĭŏ

At Veronensis poëta sæpenumero trochæum usurpat in prima sede; cujusmodi sunt illi:

Cīngĕ | tēmpŏră | flōrĭbŭs
Suaveo | lentis a | maraci
Flamme | um cape | lætus huc
Huc ve | ni nive | o gerens

aliquando iambum, ut in hoc

Pŭēl | læ ēt pŭĕ | ri īntĕgrĭ

Utitur eo *Catullus* bis, nempe in duabus odis, quarum prima est dicolos tetrastrophos; constat enim e Glyconio versu et Pherecratio; singulæ porro ejus strophæ quaternis versibus finiuntur: altera est dicolos pentastrophos, quæ iisdem versuum generibus conscripta est, sed strophas habet e quinis versibus.

Carm. 34. Dianæ sumus in fide.
60. Collis o Heliconii.

XI. Undecimi generis est Pherecratius, qui fere constat spondæo, dactylo, atque iterum spondæo, ut:

Ēxēr | cētĕ jŭ | vēntām

Catullus tamen in prima sede frequentius trochæum collocat; cujusmodi sunt

Lūtĕ | ūm pĕdĕ | sōccūm
Frige | rans Aga | nippe
Semper | ingene | rari
Sospi | tes ope | gentem

nonnunquam et iambum, ut in illis:

Pŭēl | læquĕ că | nāmūs
Hymen | o Hyme | næe

semel secundo loco spondæum adhibuit:

Nūtrĭ | ūnt hū | mōrē

Hoc genere versus bis utitur, nempe carmine 34 et 60. cum Glyconio.

XII. Duodecimi generis est Hexameter; cujus notissima structura. *Catullus* non raro adhibet spondæum pro dactylo in quinta sede, veluti:

Tempe	quæ syl	væ cin	gunt super	īmpēn	dentes
Non prius	ex il	lo fla	grantia	decli	navit
Eruit	illa pro	cul ra	dicibus	extur	bata

Hoc genere versus utitur poëta noster bis perpetua serie,

Carm. 61. Vesper adest, juvenes! consurgite! Vesper Olympo.
63. Peliaco quondam prognatæ vertice pinus.

alternis vero cum Pentametro, a carmine 64. usque ad finem libri. Nonnulli apud nostrum occurrunt hypermetri, cujusmodi sunt exempli causa:

Inde pater divûm sancta cum conjuge, natisque.
Et qui principio nobis terram dedit, auctore.

XIII. Decimi tertii generis est Pentameter Elegiacus, æque notus. Est autem Catullus, more antiquiorum poëtarum, in hoc genere nonnunquam duriusculus. qualia enim sunt illa!

Troja virûm et virtutum omnium acerba cinis.
Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.
Vere, quantum a me, Lesbia, amata, mea, es.
Divûm ad fallendos numine abusum homines
Nec desistere amare, omnia si facias.

Et si qua sunt alia similia.

XIV. Decimi quarti generis est Galliambicus, de quo vid. in Argumento ad Carm. LXIII.

C. VALERII CATULLI

VERONENSIS AD

CORNELIUM NEPOTEM

LIBER.

CARMEN I.

Quoi dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu solebas

VARIETAS LECTIONIS.

Caii. Scaliger legit *Quinti*. Refutatus jam a Passeratio et Vossio.

2. Nonnulli *arido* perperam. Nam cum in utroque genere occurrat *pumex*, sicut *cinis* apud nostrum et *finis* apud alios [de nostra voce vide exempla apud Burmann. Sec. Anthol. T. II. p. 507.] εὐφωνίας causa h. l. cum plurimis editionibus legendum est *arida*.

Modeste dedicat poeta libellum suum Cornelio Nepoti, tamquam benevolo ingenii sui æstimatori, ac simul ipsius Cornelii doctōs labores multis extollit laudibus.

1. Sensus est: cui dono offeram jocosa carmina, novo modo et a nostri temporis more recedente a me jam decantata et confecta? *quoi* pro *cui* ex veteri scribendi modo. vid. Broukhus. ad Tibull. I. 9. 64. et Observat. Miscell. T. I. pag. 134. Adjecta *lepidum* et *novum* nullo modo ad externum libri ornatum referenda sunt, quod putabat Doctiss. Harlesius in Chrest. Poet. Lat. et J. M. Heintzius in Chrest. Poet. Nam *lepidum* h. l. est jocosum, festivum, facetum, leporis plenum. Ipse poëta mox c. VI. 16. *volo te ad cœlum* lepido *vocare* versu. *Novus* vero libellus dicitur, quod Catullus tum primus ejusmodi jocosa carmina publici juris faciebat. Pari modo *carmina nova* vocantur apud Virgil. Eclog. III. 86. et *novæ fides* apud Horatium I. Od. 26. 10.

2. *Arida m. p. expol.* h. e. modo absolutum, et ad umbilicum perductum. Nam veteres solebant membranas publicandas pumice expolire, lævigare, et æquare: conf. infra c. XXII. 8. et Tibull. III. 1. 9.

3—8. Sensus est: Tibi, Corneli, libellus meus offerendus est; nam, quanti me facias, satis declarasti jam olim in chronicis tuis. Scripsit enim Cornelius Nepos præter vitas imperatorum multa alia temporis injuria nobis erepta. In his numerantur Chronicorum libri tres, qui h. l. vocantur tres chartæ: nam chartæ, sicut Græcorum χάρται, passim vocantur ipsi libri vel volumina. Horat. Epist. II. 1. 161.

Serus enim *Græcis* admovit acumina *chartis*.

cf. Horat. IV. 8. 21. Ovid. Trist. III. 1. 4. et infra LXVIII. 45. Complexus autem fuerat Cornelius in his tribus libris *unus Italorum* (quod nullus Romanorum adhuc tentaverat) omnis ætatis res memorabiles (*omne ævum*), et id quidem multa cum doctrina et diligentia. *Juppiter* est exclamatio admirationi inserviens. Sic sæpe Græ-

Meas esse aliquid putare nugas,
Jam tum, cum ausus es unus Italorum
Omne ævum tribus explicare chartis,
Doctis, Juppiter! et laboriosis.
Quare habe tibi, quidquid hoc libelli est,
Qualecunque: quod, o patrona Virgo,
Plus uno maneat perenne seclo.

9. Nostram lectionem tuentur Stat. MSS. et edd. optimæ. *patrima* Scal. *patroa* Voss. et Vulp. *quod ora per virorum* tentabat Jovianus Pontanus probante Barthio ad Stat. II. Theb. 651. *quod o perenna virgo* volebat Munckerus ad Antonin. Liberal. c. 16. *quod o Patrone gyro Plus uno maneat perenne secli* conjecit Nic. Heinsius in Notis ad Catullum, quæ adjectæ sunt ejus Adversariis a Burmanno editis a pag. 633—654. nimis audacter! cur enim non bene latine Minerva dici possit *patrona*, quod negat Heinsius, equidem non video.

cis ὦ Ζεῦ, nos: *bey Gott!* in his igitur libris Cornelius *solebat putare* (putavit) *esse aliquid* (εἶναί τι) pretium aliquod habere *nugas* Catulli, carmina lepida. Eleganter et modeste!

8. Accipe igitur hunc qualemcunque libellum, qui sub tutela Minervæ æternitate gaudeat. Nam *patrona virgo* haud dubie est Minerva, quæ perpetuo epitheto dicitur *casta*, h. l. virgo. Nec minus ingeniorum et artium celebratur fautrix. Horat. A. P. 385.

Tu nihil invita dices faciesque Minerva.

CARMEN II.

AD PASSEREM LESBIÆ.

Passer, deliciæ meæ puellæ,
Quicum ludere, quem in sinu tenere,
Quoi primum digitum dare adpetenti,

3. *Ac patentes* Vossius, quam lectionem ex librorum veterum auctoritate reposuisse ait. Sed nostra lectio multo est accommodatior.

Primum statim carmen post dedicationem est lepidissimum. Laudat poëta in illo passerem, quem Lesbia in deliciis habebat, non alio profecto consilio, quam ut aures Lesbiæ permulceat decantatis passeris ejus laudibus, et sic mercedem carminis aucupetur dulcissimam. — Quamvis igitur argumentum hujus carminis est simplicissimum, cujus generis multa alia tam veteres, quam recentiores poetæ tractaverint; non defuerunt tamen allegoriarum captatores, qui et hic nescio quid obscœni sub passeris nomine latitare subodorarentur. Corradinus de Allio censet adeo, poetam hoc carmine alloqui passerem Lesbiæ ægrotantem, sed ipse ægrotasse videtur, cum hæc scriberet. Constat denique, in more positum fuisse apud veteres, ut pueri æque ac puellæ aves ad lusum et oblectationem exquirerent. Vid. Bochartus Hierozoic. p. 16, cf. Martial. lib. I. epigr. 8.

3. *Quoi pr. dig. da. adp.* primus digitus est extrema digiti pars (die Fingerspitze) ἄκρον τοῦ δακτύλου. Sic *prima aqua*

Et acris solet incitare morsus:
Quum desiderio meo nitenti
Carum nescio quid lubet jocari,
(Ut solatiolum sui doloris:
Credo, ut tum gravis acquiescat ardor)
Tecum ludere, sicut ipsa, possem,
Et tristis animi levare curas;
Tam gratum mihi, quam ferunt puellæ

5. *cum desiderio mei intuentis Parum nescio quid lubet jocari* Heinsius in notis ad Catullum libro citato ex conjectura parum probabili.

6. piget fere omnes conjecturas, quas V. V. D. D. ad hunc locum attulerunt, chartæ illinere. *Et solatiolum sui doloris credo,* Voss. *ut solatiolum* Vulp. Pro *credo ut* v. sequ. tentabat Scaliger *credunt*. Difficultatem nimirum hujus loci peperit ingrata repetitio particulæ *ut* et diversa ejus significatio. Hinc diversæ sententiæ, conjecturæ, et explicationes. Heinsius in notis ad Cat. pro *ut* legendum esse suspicatus est *Tu,* et, cum ne sic quidem difficultates remotas videret, versus ita constituendos et transponendos esse putavit: *Corde cum gravis acquiescit ardor, Ut solatiolo sui doloris Tecum ludere, sicut ipsa, possim.* Denique totum versum excidisse putat, quo donatum sibi a puella passerem poëta sit testatus.—Audacissimus omnium in hoc loco emendando fuit Corradinus de Allio, qui, ut molliter dicam, non emendavit, sed misere sæpe corrupit et mutilavit poëtam. Nam quamvis libros Manuscriptos jactet, non unius tamen assis æstimandæ sunt plurimæ, quas affert, lectiones. Has igitur non recensebo, quodcunque autem in ejus editione reperitur frugi, bona fide laudabo et proferam. Quid mihi de hoc loco emendando et explicando videatur, dixi in notis.

9. *posse* Vossius, Vulpius et alii.

11. *tam gratum id mihi* Muret. *tam gratum est* Vossius et Vulpius.

apud Ovid. Her. XVIII. 100. dicitur aqua extrema, quæ littus alluit. Pari modo *ultimus* dicitur infra c. XI. 22. pratum *ultimum* est prati extrema pars. *Adpetenti* h. e. apprehendere et mordere cupienti.

5—9. Locus corruptissimus, (vid. Var. Lect.) quem levi medela sanari posse puto, si particulam *ut* v. 7. in *in* vel *ad* mutaveris, et locum sic interpunxeris:

Quum desiderio meo nitenti
Carum nescio quid lubet jocari;
In solatiolum sui doloris
Credo, ut tum gravis acquiescat ardor.

Desiderio meo nitenti, h. e. puellæ meæ formosæ. *Desiderium* vocatur puella, cujus desiderio amator flagrat. Sic πόθος apud Bion. Idyll. I. 83. *nitere* autem, *nitidus* et *nitor* passim de pulchra fœminarum forma. Ovid. Met. 12. 405. *Hylonome, qua nulla nitentior fœmina.* Horat. I. Od. 5. 13. quibus intentata *nites*. Lib. II. Od. 12. 19. *nitidæ virgines*. L. I. Od. 19, 5. urit me Glyceræ *nitor*. 6. *Carum nescio quid* dulce quid, suaviter. Jam sensus erit: puella mea lacessere solet passerculum suum ad ejusmodi morsiunculas imprimis tum, quando *illi* (pro quo eleganter: *desiderio meo nitenti*) lubet suaviter jocari et animi causa ludere, haud dubie (*credo*) in doloris sui levamen, ut *tum* (inter *jocandum*) æstus animi et fluctus componantur. Ergo Lesbiæ fuit passer id, quod nobis fere male affectis instrumentum aliquod musicum. 9. ad *possem* subintellige *si,* quæ particula nonnunquam omitti solet. Vid. Burmann. ad Ovid. Amor. III. 3. 9. si possem, inquit poëta, eodem modo, ac puella mea, passere illo uti ad levandas animi curas, tam gratum id mihi foret, quam quod gratissimum.

11. Post *gratum* supplendum est:

Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam soluït diu ligatam.

foret. *Pernici puellæ*, Atalantæ, Schœnei filiæ, quæ cursu certavit cum procis suis, et victa tandem objecto malo aureo nupsit Hippomeni. Ovid. Metamor. X. 609. Fuerunt autem duæ Atalantæ, quæ sæpe confunduntur. Vid. Spanhem. ad Callimach. Hymn. in Dian. 216. et Perizon. ad Ælian. Lib. X. c. 1.

13. *Quod zonam sol. d. ligat.* h. e. quod malum aureum effecit, ut viro traderetur, quit andem zonam solveret. Solvebatur autem zona, qua virgines contra vim libidinosorum præcinctæ fuerunt, a sponso primo concubitu. Diligenter et fuse hunc morem exsecutus est Schraderus ad Musæum p. 343—349. cf. Ernesti ad Callimach. Hymn. in Dian. 16. et Burmann. ad Ovid. Heriod. ep. II. 116.

CARMEN III.

LUCTUS IN MORTE PASSERIS.

Lugete, o Veneres, Cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum.
Passer mortuus est meæ puellæ,

Deflet poëta in hoc carmine mortem passeris Lesbiæ, quem vocat, melliti, sed melle dulcius est ipsum carmen flebilibus modis deductum et plane ad doloris sensum compositum. Si verum est, quod verissimum puto, maximam veterum carminibus dignitatem conciliari gravitate sententiarum, quibus repente sæpe lectorem in rebus ludicris occupatum ad seria abripiunt, nominatim Horatius, Tibullus, Propertius et Anacreon; profecto hoc Catullianum carmen jure sibi hanc laudem vindicat. Nam quem non horrore quodam perfundat Orci descriptio? — Non pœnitebit cum nostro contulisse Ovidii epicedium in mortem psittaci Amor. II. el. 6. Ejusdem argumenti carmen apud Statium II. Silv. IV. et Lotichii, poëtæ suavissimi, carmen in funus Delphini Lib. II. Eleg. 7. Eleganter carmen nostrum transtulit in vernaculam *Ramlerus* in *Oden aus dem Horatz*, Berolini 1769.

2. *Quantum est hom. venust.* h. e. quotquot sunt homines elegantes et delicati. nam *venustus* non semper ad formam, sed ad morum sæpe suavitatem et elegantiam refertur, et idem est, quod nobis: *artig, galant*, infra carm. XXII. 2. *homo est venustus, et dicax, et urbanus.* XIII. 6. ad Fabullum *venuste noster*. Cicero de Orat. II. c. 56. *Sed cum omnium sis venustissimus et urbanissimus.* Idem Pro Domo c. 34. de facilitate jocandi *Sermo venustus et urbanus.* Contra *invenustus*, quicquid elegantiæ et honestati repugnat, *unartig, unmanierlich.* Infra carm. XII. 5. de furto sudarii *res est sordida et invenusta.* Nec huc traxerim felicitatem amoris, quam notionem interpretationi suæ immiscet Cl. Harlesius in Chrestom. Poet. Lat. 155. quamvis *venustus* eleganter alias dicitur, *cui Venus in amore favet, invenustus* (ἀναφρόδιτος) cui non favet. vid. Hemsterhus. ad Lucian. T. I. p. 242. Sed hæc notio huc non quadrat. Citantur enim Veneres, Cupidines, et elegantissimi quique homines ad lugubres passeris exsequias non aliam ob causam, quàm quod ipse passer fuerat dulcissimus mellitissimusque.

Passer, deliciæ meæ puellæ,
Quem plus illa oculis suis amabat:
Nam mellitus erat, suamque norat
Ipsam tam bene, quam puella matrem:
Nec sese a gremio illius movebat;
Sed circumsiliens modo huc, modo illuc,
Ad solam dominam usque pipilabat.
Qui nunc it per iter tenebricosum,
Illuc, unde negant redire quemquam:
At vobis male sit, malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella devoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum male! O miselle passer,

4. Hic versus abest in Stat. MSS. et aliis editionibus, sed Scaliger eum in suo MS. invenit. Tuetur eundem Cantabrigiensis edit. ex fide MSS. Auget certe hic versus vim doloris, nec displicet ejusdem versus ex superiori carmine iteratio.

6. *ipsa* Vossius et MSS. Stat.

10. *pipiabat* Vossius et Cantabrigiensis. alii *piplabat, pipulabat, pipilabat, pippiebat* Muret.

12. *illud* MSS. Stat.

16. *bellus ille passer* Ald. et Col. *o malæ tenebræ* Muret. *o factum male, væ pusille passer* Meleager, qui in antiquis libris invenerat, *bonum factum male bellus ille passer.*

5. *Quem plus oculis suis amabat,* h. e. quo nihil ipsi fuit carius. Ab oculis enim, pretiosissima corporis nostri parte, variæ summi declarandi amoris formulæ petitæ sunt. cf. Mosch. Idyll. III. 9. et quæ ibi observat elegantissimus Manso. Plura vid. apud Rittershus. ad Oppian. Halieu. I. 703. et Spanh. ad Callimach. H. in Dian. 211. Plautus sæpius: *oculitus amare;* cf. infra car. XIV. 1.

6. *Suamque norat ipsam tam bene* suam ipsam h. e. suam dominam. Nam *ipsa* substantive pro *domina* dicitur more Græcorum, qui sæpe dominum *αὐτὸν*, et dominam *αὐτὴν* vocant. Sic Plautus Casina, Act. IV. 2. 10. Ego eo, quo me *Ipsa* (domina) misit. vid. quos laudat Doctiss. Harlesius ad Chrestomath. Græc. p. 51.

10. *Ad dominam* h. e. versus vel adversus dominam.

11—14. *Iter tenebricosum:* nos, die finstre Todesbahn. Sallust. Catil. LII. §. 14. *inferorum loca sunt tetra, inculta, fœda atque formidolosa.* ubi vid. similia exempla a Cortio collecta.—12. *unde neg. red. qu.* Similiter Orcus apud Oppianum Halieut. IV. 394. *ἀνέκβατος ἄϊδος εὐνὴ* vocatur, ad quem locum alia exempla, fati necessitatem describentia, dabit Rittershusius. cf. Antipatri Epigr. in Analect. Vet. Poët. Græc. 90. T. II. p. 37. edit. Brunck.

—— *ἐς γὰρ ἄκαμπτον,*
Ἐς τὸν ἀνόστητον χῶρον ἔβης ἐνέρων.

14. *Quæ omnia bella devoratis.* Simillima plane de Orco est querela Veneris mortem Adonidis lugentis apud Bion. Idyll. I. 55. *τὸ δὲ πᾶν καλὸν ἐς σὲ καταῤῥεῖ.* cf. Ovid. Amor. II. 6. 39.

16. seqq. *o factum male!* Exclamatio in rebus adversis. Sic Cicero

Tua nunc opera, meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

17. *Vestra nunc opera* Aldus. *cuja nunc opera* Vossius. nostram lectionem tuentur Cantabrig. Vulp. et omnes fere libri scripti.

de morte Alexionis ad Attic. lib. XV. Epist. I. *o factum male de Alexione.* contra in rebus lætis *o factum bene.* cf. Vulpius.—17. *Tua opera* h.e. tua caussa, propter te.—18. *turgiduli ocelli.* Sæpe genæ *tumidæ* et oculi *tumidi* ex fletu dicuntur. Tibull. I. 8. 68.

Et tua jam fletu lumina fessa tument. ubi vid. Illustrissimus Heyne in Observat. p. 77. edit. nova.

CARMEN IV.

DEDICATIO PHASELI.

Phaselus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis

1. *Phasellus.* Aldus et Statii MSS.

Phaselum suum concelebrat poëta ob insignem sibi olim præstitum usum, nunc vero emeritum et recondita quiete senescentem. Summa ejus laus ponitur partim in celeritate, partim in roboris firmitate, qua tot et tanta emensus fuerat itinera. Suavissime autem ipsum Phaselum inducit deprædicantem merita sua et denique solemni modo Castori et Polluci se consecrantem. Cæterum vix dubitari potest, quin totum hoc carmen ad Græci cujusdam poetæ exemplum compositum et adumbratum sit; adeo spirat Græcorum indolem, leporem et in usu metaphorarum audaciam. Nec desunt exempla, ubi ipsæ naves vel merita sua extollentes inducuntur, vel Deo cuidam dedicantur. cf. Antiphili Epigr. 26. in Analect. V. P. G. Tom. II. p. 176. et Macedon. 22. 23. Tom. III. p. 117. edit. Brunck. Est autem hoc carmen, quod meris Iambis constat, numeris suis absolutissimum, tantaque arte et facilitate compositum, ut, artemne magis in illo admireris, an leporis et ingenii venustatem, ipse nescias. Hinc recte judicat Vulpius, vel ex hoc uno carmine perspici posse, cur veteres *docti* nomine nostrum insignierint. Expressit autem hos iambos totidem iambis græcis puris Jos. Scaliger, qui leguntur in ejus notis ad h. c. cf. Parodiæ ad Phaselum Catulli a diversis auctoribus scriptæ cum notis philol. Andr. Senftlebii Lips. 1642. 8.

1. *Phaselus* est navicula longior et simul angustior, mira imprimis velocitate nota, quam præstabat prora longe et oblique supra aquam porrecta. Fuse de hac voce et ejus etymologia disputat Vossius ad hunc locum.

2. *Ait fuisse nav. celerrimus*; ex noto græcismo, casus primus pro casu quarto. Virg. Æn. II. 377. *sensit delapsus in hostes*: vid. Bentleius ad Horat. Epist. I. 7. 22.

3—6. Sensus: et potuisse cujuslibet navigii velocitatem superare, sive remorum sive velorum usu certandum fuisset. *trabs* pro *navi* ex primo navium usu. *cava trabs* apud Virgil. Æneid. III. 191. *palmula* proprie remi pars extrema, in modum palmæ protenta. ταρσὸς κώπης. *præterire*, cursu superare.

Nequisse præterire, sive palmulis
Opus foret volare, sive linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus, insulasve Cycladas,
Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam,
Propontida, trucemve Ponticum sinum;
Ubi iste, post Phaselus, antea fuit

6. Voss. quia in nonnullis MSS. legerat *negant*, reposuit *nec aut* male! nam sic perit quæsita poëtæ elegantia.

παρέρχεσθαι, παρατρέχειν. *volare*, velociter navi currere. Virgil. Æneid. III. 124. sic πετᾶσθαι apud Græcos. vid. Interpret. ad Hygin. p. 122. edit. Stav. hinc ipsa navis vocatur πολυπλανέων ἀνέμων πτερὸν apud Macedon. in Analect. Vet. Poët. Græc. Tom. III. Epigramm. 23. p. 117. edit. Brunck. contra eleganti metaphora id, quod de navigio proprie dicitur, transfertur ad volatum. Ita Virgilius dixit *remigium alarum*. Æneid. I. 301. et VI. 19. Ceterum observandum est, tres diversas metaphoras hic conjungi, *natare, ire, volare* ut mox 12, ubi pro fronde *coma*, quæ *loqui* et *sibilum* edere dicitur. Quam quidem poëtæ ab una metaphora ad aliam transilientis audaciam graviter taxat Muretus. Sed recte observat Ernesti in Initiis Rhetor. §. 319. non nimis huic legi adstringendos esse poëtas, quibus, cum exarserunt ingenii calore, non licet ita expendere omnia severe ad præcepta magistrorum, et id modo tenendum esse, ne subiecto, metaphorice expresso, tribuamus, quæ isti metaphoræ non conveniant. cf. Klotz. Lect. Ven. p. 417. seq. et Tollius ad Longin. 32, 2. p. 173.

6—10. *Et hoc negat negare*, hoc affirmare ait, *littus minacis Adriatici*. Adriaticum mare est sinus maris Mediterranei inter Italiam et Illyricum. *minax*, procellosum, impetuosum. *Cyclades* Insulæ maris Ægæi. *Rhodus* insula Cilicii vel Carpathii maris, colosso, mercatura, artibus et philosophia nobilis. *clara* vocatur apud Horat. Od. I. 7. 1. *Thracia*, regio ultra Macedoniam, Septentrionem versus. *horrida* vel ad feros et barbaros mores trahendum est, quo sensu *Germania horrida* dicitur apud Horat. Od. IV. 8. 22. vel ad asperam et gelidam regionem. *Propontis*, pars maris inter Hellespontum et Bosporum Thracium. *Ponticus sinus* mare Euxinum. Animadvertant autem tirones in hoc carmine elegantem metaphoram ab affectu iræ ad mare translatam in adjectis *trux, minax, impotens*. cf. Doctiss. Harles. ad hunc locum in Chrest. Lat. Poët. contra ira *fervere, æstuare, fluctuare* cet. dicitur.

10—19. *Ubi*, in regione Ponti, quæ largissimo arborum navibus struendis aptarum proventu nota est. Hinc naves ibi exstructæ nobilitatem suam jactabant. Horat. Od. I. 14. 11.

Quamvis Pontica pinus
Silvæ filia nobilis
Jactes et genus et nomen inutile.

Mira autem suavitate recordatur Phaselus usu et ætate nunc exesus, se olim inter arbores frondosas floruisse in jugo Cytorio, et foliorum agitatione dulcissimos susurros edidisse, quod dicitur 12. *Loquente coma edidit sibilum*. Eleganter enim arboribus vox et cantus tribuitur a poëtis. Petronius Car. 120.

Mollia discordi strepitu virgulta
loquuntur.

ubi similia exempla larga manu dabunt interpretes p. 567. edit. Burman. et ad Virgil. Eclog. v. 28. Sed satis notum vel ex primo versu Theocriti:

Ἀδύ τι τὸ ψιθύρισμα καὶ ἁ πίτυς.

Comata silva: nam Cytorio in jugo
Loquente sæpe sibilum edidit coma.
Amastri Pontica, et Cytore buxifer,
Tibi hæc fuisse et esse cognitissima
Ait Phaselus: ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine,
Tuo imbuisse palmulas in æquore,
Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse; læva, sive dextera
Vocaret aura, sive utrumque Juppiter
Simul secundus incidisset in pedem;
Neque ulla vota litoralibus Diis

Simili modo pristinæ suæ conditionis memor navis inducitur in Epigr. incerti cujusdam poëtæ Græci in Analect. Vet. Poët. Græc. T. III. Ep. 385. p. 232. edit. Brunck.

Οὔρεσιν ἐν δολιχοῖς ἐλωθεὴν πίτυν ὑέτιός με
Πρόῤῥιζον γάιης ἐξεκύλισσε Νότος.
Ἔνθεν ναῦς γενόμην, ἀνέμοις πάλιν ὄφρα
μάχωμαι.
Ἄνθρωποι τόλμης οὔ ποτε φειδόμενοι.

Amastris urbs Paphlagoniæ, Sesamum olim nuncupata, proxima monti *Cytoro*, qui *buxifer* dicitur propter abundantiam buxorum. Virgil. Georg. II. 437.

Et juvat undantem buxo spectare
Cytorum.

15. *Ultima ex origine*, non, uti omnes interpretantur, *ab antiquissimis inde temporibus*, sed potius *ex antiquissima et nobilissima arborum stirpe*. nam arbores ducunt quasi familiam quandam, ideoque apud poëtas matrum filiarumque nomine audiunt. Ex nube exemplorum, quæ interpretes adduxerunt, unum huc facit a Statio laudatum ex Cornelio Nepote in Attico Cap. I. *Pomponius Atticus, ab origine ultima stirpis Romanæ generatus.*

19—22. *læva sive dextera v. au. sive utr.* cet. Sensus: explevi boni navigii partes sive ab una tantum parte (*a dextera vel a sinistra*), sive ab utraque parte ventus secundus ita adspiraret, ut plenis velis currere liceret. *Pedes* dicuntur nautis funes, quibus inferiores veli anguli (die äussersten Spitzen des Segeltuchs) puppim versus adducuntur. Quodsi igitur ab utraque parte ventus secundus adflat, ab utraque etiam parte expansis pedum ope velis ille excipitur, et hoc est: *incidit ventus in utrumque pedem* sive *utroque pede curritur*. sin vero ventus obliquus spirat, et *vel a dextera vel a sinistra vocat*, tunc *uno* tantum *pede* inferior veli angulus ad excipiendum ventum attrahitur. Acriter de hac dictione disputarunt Scaliger et Vossius ad hunc locum, Salmasius ad Solin. p. 400. Potter ad Lycophron v. 1015. Grævius ad Cic. lib. XVI. ad Attic. ep. 6. Burmannus ad Ovid. Fast. III. 565. et plures alii. Sed nemo accuratius rem excussit quam Illust. Heyne ad Virg. Æn. V. 830.—*Juppiter* pro *vento* est res nota. Hinc vocatur οὔριος, cujus celebre fanum fuit in ora Ponti Euxini, de quo erudite Wesseling. ad Diodor. Sicul. et Petit. Commentar. L. L. Attic. lib. 5. 4. p. 503.

22 seqq. ornate pro: *se nunquam expertum fuisse tempestatem*. Nam sæviente tempestate nautis suscipiebantur vota in littore diis solvenda, quod nunquam opus habuit Phaselus. *Dii littorales* sunt dii quivis marini in lit-

Sibi esse facta, cum veniret a mare
Novissimo hunc ad usque limpidum lacum.
Sed hæc prius fuere: nunc recondita
Senet quiete, seque dedicat tibi,
Gemelle Castor, et gemelle Castoris.

23. *a mari* Stat. in Massei lib. in aliis *amaret*. Sed nostram lectionem *a mare* defendunt grammatici; cf. Sanctii Minerva Lib. VII. p. 195. *novissime* in MSS. Scalig. et Statii.

27. *gemelle Castorum et gemelle Castoris* invenit Vossius in libris MSS.

tore expiandi. cf. Virgil. Georg. I. 436. *a mare novissimo*, remotissimo, Pontum Euxinum puta. *limpidus lacus* est Benacus, ad quem sita fuit Sirmio peninsula. 25. *Sed hæc prius fuere:* aber das ist nun vorbey! vid. de hac formula Gatacker in Dissertat. de n. instrum. stylo p. 115. 27. *Gemelle Cast. et gem. Cast.* Castor et Pollux, naviganti- bus propitii. cf. Horat. Od. I. 3. 1. et ibi Doctiss. Jani.

CARMEN V.

AD LESBIAM.

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,
Rumoresque senum severiorum
Omnes unius æstimemus assis.
Soles occidere et redire possunt:

Hilari animo assurgit poeta, et puellam suam ad delicias faciendas evocat mortis admonitu.—Eodem argumento ad mutui amoris cohortationem abusi sunt alii nequitiæ magistri. Propert. I. 19. 25. II, 15. 24. Tibullus I. 1. 70. Plura exempla collegerunt Muretus ad hoc carmen et Burmannus ad Lotich. lib. II. Eleg. 8. 65. Cæterum compara cum nostro Martial. VI. 34.

1. *Vivamus:* genio indulgeamus et amorem exerceamus. Horat. Epist. 1. 6. 65.

—sine amore jocisque
Nil est jucundum, vivas in amore jocisque.

Petronius cap. 34. pag. 164.

Ergo vivamus, dum licet esse bene.

ubi vide Burmannum. Sic Ζῆν apud Græcos.

2. *Rumores sen. sev.* quicquid de amore nostro spargant et crepent senes morosi.

4—7. *Soles occidere et red. poss.* Accommodate Horat. Od. IV. 7. 13.

Damna tamen celeres reparant cœlestia lunæ;

Colorem inde duxit Lotich. lib. III. Eleg. 7. 23.

Ergo ubi permensus cœlum Sol occidit, idem
Purpureo vestit lumine rursus humum;
Nos, ubi decidimus, defuncti munere vitæ,
Urget perpetua lumina nocte sopor:

vid. quæ ibi notavit Burmann. Sec.

Nobis, cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.
Da mi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein secunda centum,
Dein usque altera mille, deinde centum:
Dein, cum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut ne quis malus invidere possit,
Cum tantum sciat esse basiorum.

8. *Dein mi altera da secunda centum* Voss. in suis exempl. et sic est in libro manuscripto et edit R. nisi quod in priore verba transponuntur *altera mi da secunda centum—dein mille altera deinde secunda* Stat. MSS. *Dein mille altera, da secunda centum.* Cantabrig.

9. *Deinde usque altera mille* omnes Statii MSS. et Cantabrigiensis.

10. Pro *fecerimus* mavult Heinsius in notis ad Catullum *fixerimus* male! vid. not.

5. *Cum semel occidit lux, nox una perpet. est dor.* Certatim hanc sententiam exornarunt poëtæ, cujus exempla ubivis obvia. Unum ponamus ex Moscho Idyll. II. 108.

> Ὀσσπότε πρῶτα θάνωμες ἀνάκοοι ἐν χθονὶ κοίλᾳ,
> Εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρμονα νήγρετον ὕπνον.

nox pro *somno.* vid. Drackenborch. ad Sil. Ital. III. 216.

9. *Usque*, sine intermissione, uno tenore. 10. *millia fecerimus* h. e. millium basiorum summam fecerimus. Quod cum non intelligeret Heinsius, indulsit corrigendi libidini. vid. Var. Lect. *Millia facere* est summam facere vel conficere millium. Eadem summa vel numerus versu sequenti dicitur *conturbari*, computo seu rationibus turbatis. proprie enim *conturbare* dicitur de decoctoribus et ære alieno oppressis, quorum rationes sunt conturbatæ, quæ sibi non constant, non paria faciunt. cf. Burmann. ad Petron. c. 39. p. 169. et quos ibi laudat.

12. *Ne quis malus*, invidus et hinc maleficus, veneficus. *malus* enim, ut græcorum κακὸς, sæpe de rebus magicis et veneficis usurpatur. vid. Drackenborch. ad Sil. Ital. VIII. 500. et Burmannus ad Petron. Carm. LXIII. p. 318. *invidere*, invidia nocere. Homines invidi autem aliorum bonis nocere tentabant nimia laude tanquam fascinationis genere. cf. Virgil. Eclog. VII. 27-28. et ibi Cerdanus. *invidere* igitur hoc loco est, quod in patria lingua superstitiosis dicitur: beschreyen, quod mox Carm. VII, 12. *mala lingua fascinare* dicitur.

CARMEN VI

AD FLAVIUM.

Flavi, delicias tuas Catullo,
Ni sint illepidæ atque inelegantes,
Velles dicere, nec tacere posses.
Verum nescio quid febriculosi
Scorti diligis: hoc pudet fateri.
Nam, te non viduas jacere noctes
Nequidquam tacitum cubile clamat,
Sertis ac Syrio fragrans olivo,
Pulvinusque peræque et hic et illic
Attritus, tremulique quassa lecti
Argutatio inambulatioque.

3. *Velis* et *possis* conjectat Heinsius in not. ad Catullum. parum recte. Cogita, Catullum jam antea explorare voluisse Flavium de ejus amore, sed illum semper tergiversatum esse: vid. infra argumentum.

7. *Nequaquam* vult Heinsius in notis ad Catullum; præter necessitatem! vid. not.

8. Vetus lectio *Sertis Assyrio* et *sertisque Assyriv*. pro *fragrans* alii *flagrans*, male. vid. Drackenborch. ad Silium Ital. XV. 117. et Bentleium ad Horat. Od. II. 12. 25.

9. *Hic et ille* Stat. qui priorem et interiorem lectum intelligit.

Frustra a Flavio petierat Catullus, ut sibi indicaret amoris sui delicias, et, quo beatus vulnere, qua pereat sagitta, secum communicaret. Ex hac igitur Flavii tergiversatione suspicatur, illum laborare in vili aliqua morbosaque meretrice, quæ salva honestate indicari non possit, quam quidem suspicionem alia quædam signa externa confirmabant. Iterum nunc rogat Flavium, ut, cuicunque tandem amori vacet, diutius ipsum ne celet, addita promissione, se celebraturum esse ejus amores lepidis carminibus.

1. *Catullo* eleganter pro *mihi*, summæ familiaritatis declarandæ causa.

2. *Ni sint illepid. atque inel.* ni sit prostibulum, vel ut mox v. 4. vocatur *scortum febriculosum*.

7. *Nequidq. tacit. cubil. clamat:* quamvis tu taces, frustra tamen tacet cubile, imò clamat et ad claram solis lucem profert nequitiam tuam. Quilibet autem, vel me non monente, facile sentiet, quam suaviter *cubili nequicquam tacito clamor* tribuatur respectu alti, quo amorem suum dissimulabat Flavius, silentii. *Tacitus* et *clamare* eleganter ad res inanimatas transferuntur etiam apud alios. Sic *tacita vestis* apud Propertium I. 4. 14. ubi de utroque exempla collegit Passeratius.

8. *Sertis ac Syr. frag. olivo.* Non capillos tantum unguentis saturare solebant homines delicati et beatiores, sed lectulos etiam inungere rebus odoriferis. sic infra LXIV. 87. *suaves odores exspirare lectulus* dicitur. cf. Muretus.

10. *Lecti argutatio* non de crepitu lecti cum Statio intelligenda, sed eodem fere sensu, quo *inambulatio*. Sic *fullones* apud Nonium in fragm. veteris scriptoris IV. 34. dicuntur *argutari pedibus* (ὀξυποδεῖν) cf. *Ernesti* ad Tacit. Annal. XI. 28.

Nam mi prævalet ista nil tacere.
Cur nunc tam latera exfututa pandas
Ni tu quid facias ineptiarum?
Quare quidquid habes boni malique,
Dic nobis. Volo te ac tuos amores
Ad cœlum lepido vocare versu.

12. Prisca lectio, testante Scaligero, fuit: *nam ni ista prævalet nihil tacere. Cur non tam latera exfututa pandam, Nec tu quid facias ineptiarum?* unde fecit; *nam, ni stupra, valet nihil tacere,* [*Cur? non tam latera exfututa pandant?*] *Nec tu quid facias ineptiarum.* Antiquitatem lectionis Scalig. confirmant Stat. MSS. et Vossii exempl. nisi quod ille pro *pandam* legit *panda* et hic *pandas.* habet tamen Commelini liber in margine—*pādā.* Vossius hunc locum corruptum ita restituere conatus est: *Nam ni istapte, valet nihil tacere, Cui non jam latera exfututa pandant Noctu quid facias ineptiarum?* Quam lectionem recepit Grævius et Vulpius. Nec multum discedit edit. Cantabrigiensis, quæ pro *cui non* exhibet *cui nunc.* Heinsius in n. ad Catullum tentat: *Quum nil prævalet ista mi tacere, Cur nunc jam latera exfututa pandas.* Bondanus in Var. Lect. p. 130. ex Excerpt. MSS. a Rhunkenio acceptis, affert: *Nam ni te pudeat, nihil taceres.* Idem Vir Doctus testatur in margine Aldinæ editionis legi *Ni te pigeat* quod fortasse ex eodem fonte fluxit. Totum locum autem sic refingit Bondanus: *Nam ni te pudeat, nihil taceres, Cum nunc tam latera effututa pandant, Noctu quid facias ineptiarum.* Quæ quidem lectio commodum sane et orationis seriei valde accommodatum sensum fundit, sed nimis videtur vis facta esse antiquæ lectioni. Pari modo se habet cum plurimis emendationibus Corradini de Allio, in quibus sæpe nec vola nec vestigium antiquæ lectionis apparet. Bipontina editio, ad quam textus editionis nostræ conformatus est, sequitur Gottingensem. vid. not.

15. *Boni malive* vult Clariss. Jani ad Horat. Od. I. 27. 17.

12. In hoc loco tam emendando quam explicando mirum in modum se torserunt interpretes. vid. Var. Lect. Sed nondum remotæ sunt difficultates, quibus tam verba, quam ipse sensus laborat. Quam nos dedimus lectionem in textu, contra loquendi rationem et orationis nexum explicant: *Nam mihi prodest ista nil tacere.* Quid? si duabus voculis transpositis hunc in modum legatur versiculus:

Nam nil prævalet ista mi tacere

hoc sensu: *nam nil prævalet,* nulla causa tantum apud te valere debet, *ut ista,* quæ amorem tuum spectant, *mi,* tibi amicissimo, *taceas,* reticeas. *Tacere aliquid,* pro *reticere* passim dicitur. Terent. Eunuch. I. 2. 23. Cornel. N. X. 2. 5. Aut egregie fallor, aut egregie sic omnia cohærent sibique respondent. Nec quenquam offendere debet particula *nam,* quam, quia præcesserat v. 6. mutavit Nic. Heinsius (vid. V. L.) in *Quum.* Sed non vidit utramque particulam habere, quo referatur. Primo loco *nam* referendum est ad verba, *nescio quid febriculosi scorti diligis,* nam id testatur cubile. Altero loco ad verba: *nec tacere posses,* nam tibi suum amicissimus, cui nil reticeri debet. 13. *Cur nunc tam latera exfututa pandas* est. Cur latera Venere adeo exhausta et viribus defecta ostendas, præ te feras, explices, nisi noctu illa lassentur Veneris palæstra? vel: cur incurvas (a *pandare*) et pandicularis quasi latera infirma, nisi Veneris usu noctu exerceantur? Ovid. Amor. III. 11. 13.

Vidi, cum foribus lassus prodiret amator,
Invalidum referens emeritumque latus.

15. *Quidquid habes.* Imitatus est Horat. Od. I. 27. 17.

—quicquid habes, age,
Depone tutis auribus.

CARMEN VII.

AD LESBIAM.

Quæris, quot mihi basiationes
Tuæ, Lesbia, sint satis superque?
Quam magnus numerus Libyssæ arenæ
Laserpiciferis jacet Cyrenis,
Oraclum Jovis inter æstuosi,
Et Batti veteris sacrum sepulcrum:
Aut quam sidera multa, cum tacet nox,
Furtivos hominum vident amores.
Tam te basia multa basiare,
Vesano satis et super Catullo est,
Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

Ingentem basiorum copiam petit a Lesbia. cf. Carm. V.

4. *Laserpicif. Cyrenis.* Cyrenæ, una e quinque urbibus regionis Cyrenaicæ in Africa prope Ægyptum, laserpicio (σιλφίῳ) nobilis. vid. de hac nobilissima apud veteres planta Salmasius ad Solin. p. 249. Cyrenæis fuisse propriam et conspici eorum nummis impressam egregie docet Hemsterhusius ad Pollucem. IX. S. 60. p. 1026—1028. cf. Trillerus ad Grot. Christ. patient. p. 257.

5. *Oracl. Jovis int. æst.* innuit Jovem Hammonem, cujus templum et oraculum fama celeberrimum fuit in Libya. Describit illud Curtius IV. 7. 5. ubi multa de hoc templo collegit diligentia Freinshemii. De imagine Jovis Hammonis in numismatibus et statuis expressa agit Spanhem. de Usu et Præst. num. diss. VII. p. 389. adde Ant. van Dalen de oracul. gentil. c. 9. p. 209. seq. *æstuosus* non ad Jovem sed ad Libyam referendum est, ubi arena æstuabat, æstu fervebat, vel maris instar flante Euro agitabatur.

6. *Et Batti veteris sacrum sepulcrum.* sacro honore colebatur sepulcrum Batti, quia primus Cyrenarum conditor fuit. de quo vid. Spanhem. ad Callimach. Hym. in Apoll. 76.

11. *Curiosi,* invidi. vid. ad carm. V.

12. *mala lingua* in simili re apud Virgil. dicitur. Eclog. VII. 28.

—— baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

CARMEN VIII.

AD SE IPSUM.

Miser Catulle, desinas ineptire,
Et, quod vides perisse, perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi soles,
Cum ventitabas, quo puella ducebat
Amata nobis, quantum amabitur nulla.
Ibi illa multa tam jocosa fiebant,
Quæ tu volebas, nec puella nolebat.
Fulsere vere candidi tibi soles.
Nunc jam illa non vult: tu quoque, impotens, noli;

1. Heinsio in n. ad Catullum placebat: *Miser Catulle, desine ah ineptire, Et, quod vides perisse, perditum duce.*

4. Heinsius legere jubet *quo puella dicebat* pro condicebat. Idem jam in mentem venerat Broackhusio ad Propert. lib. III. Eleg. 22. et Ian. Dousæ filio in not. ad Catull. citra necessitatem! Sæpe autem in his vocibus inter se commutandis peccarunt librarii. vid. quos laudat Drackenborch ad Sil. Ital. XII. 221.

6. Alii *tum jocosa.*

9. Voss. in Commelini codice invenit *tuque inepte et impote,* in aliis *impotens,* et sic est in Edit. R. et L. MS. in omnibus vero deerat pes extremus. Scaliger restituit *impotens ne sis.* Vossius ex vestigiis veteris lectionis: *tu quoque ipse te refer.* Statius *tu quoque impotens esto* hinc vult *tu quoque, impotens, noli,* quæ postrema lectio reperitur etiam in margine lib. Heinsii, ubi tanquam mantissa additur hæc lectio: *Jam nunc et illa non vult, tu quoque et noli.* Cantabrigiensis

Frigere cœperat amor Lesbiæ, ejusque animus a Catullo abalienari. Quod cum animadvertisset, pari modo ad illam contemnendam animum induxit et obfirmavit. Sed cogita, Catullum post multas variasque animi commotiones acquiescere demum in hoc consilio, et tandem aliquando amoris ineptias intelligere. In hac igitur seriori cogitatione repente fit philosophus et secum instituit colloquium. cf. Ovid. Amor. III. 11.

1. *Miser* cui tantos cruciatus parat amor, tantum amaritudinis propinat. *ineptire,* suaviter pro inepte amare, amori, cujus aliquando nos poeniteat, indulgere. Sic *ineptus amor* apud Tibull. I, 4. 24.

3. *Candidi soles,* nulla nube obscurati, felices. cf. Salvaguium ad Ovid. Ibin 219. et Cort. ad Sallust. Catil. 5. 7. Sic apud Græcos λευκὸν φάος. vid. Spanhem. ad Callimach. H. in Cer. 123.

4. *Quo puella ducebat,* vocabat, me venire jubebat. consulto fortasse posuit verbum *ducere,* quia fallaciæ notionem simul complectitur; eleganter enim dicitur de puellis, quæ falsa spe amatores lactant [bei der Nase herum führen]. Propert. II. 17. 1.

Mentiri noctem, promissis ducere *amantem.*

6. *Ibi illa multa tam jocosa fiebant.* En novam poëtæ verecundiam, verecunde nunc circumscribentis amoris nequitias, quibus olim cum Lesbia indulserat! *facere* et *fieri* passim de re Venerea. vid. Burmann. ad Petron. 39.

9. *Tu quoque, impotens, noli.* Sensus: nunc illa te contemnit, vicissim illam contemne contemtus. Hæserunt in hoc

Nec, quæ fugit, sectare; nec miser vive:
Sed obstinata mente perfer, obdura.
Vale, puella: jam Catullus obdurat:
Nec te requiret, nec rogabit invitam.
At tu dolebis, cum rogaberis nulla,
Scelesta, nocte. Quæ tibi manet vita?
Quis nunc te adibit? quoi videberis bella?
Quem nunc amabis? quoius esse diceris?
Quem basiabis? quoi labella mordebis?
At tu, Catulle, destinatus obdura.

Vossianam lectionem amplectendam putat, modo pro *refert* legatur *obdura*. Servavit tamen in textu nostram lectionem. Heinsius, cujus celebrata in emendandis poëtarum carminibus, nescio quo fato, tam parum ingeniolo meo probatur sagacitas, emendat in not. ad Cat. *tu quoque impotem mentis, Nec, quæ fugit, sectare.*

14. *Cum rogaberis nullam, Scelesta, noctem* Vossius et Cantabrigiensis. vetus lectio fuit *nulla scelesta necte* vel *nete*. Scaliger in suo MS. *rere, quæ tibi manet vita* h. e. cogita, tecum reputa. Muretus ex libro quodam veteri affert: *scelesta, quæ nunc quæ tibi manet vita?* vulgata lectio *scelesta tene?* Heinsius pro liberalitate sua: *cum rogaberis nulla, Scelesta, nulla. quæ tibi manet vita?* vel, *cum rogaberis nulli, Scelesta, noctem.*

19. *Obstinatus* Vossius cum plurimis. nostram lectionem defendit Scaliger et Ger. Joan. Vossius in Art. gram. lib. II. c. 14.

loco et ad conjecturas confugerunt interpretes [vid. Var. Lect.] sed non cepisse videntur *impotentem* jam dici hominem invenustum, qui nihil in amore valet et pollet, qui rejicitur et repulsam fert. *Potens* contra est, qui felix et fortunatus est in amore. infra Car. C. 8.

Sis felix, Cæli; sis in amore potens.

11. *Sed obstinata mente perfer, obdura*: imitatus est Ovid. Amor. III. 11.

Perfer, et obdura; dolor hic tibi
proderit olim.

obdurare est animum contra aliquid munire, durum facere, firmo et parato animo aliquid ferre, tenacem esse propositi. idem dicitur infra c. 76. *animo se affirmare* et apud alios *durare animum*.

12. *Vale, puella,* abi in malam rem. Sic χαῖρε apud Græcos. cf. Davis. ad Cic. de Nat. Deor. libr. I. 1. sub fine.

14, 15. *At tu doleb.* Similiter Horat. Epod. XV. 11.

O dolitura mea multum virtute Neæra;
Nam, si quid in Flacco viri est,
Non feret assiduas potiori te dare noctes,
Et quæret iratus parem.—*Quum rogaberis nulla, Scelesta, nocte,* h. e. de nulla nocte. *Scelestu*, perfida. *Quæ tibi manet vita?* quam spreta in posterum vives? observa *manere* admittere etiam casum tertium. exempla vid. in Sanctii Minerv. II. 4. cf. Ernesti in Clav. Cic. s. v. *manere*.

18. *Quoi labella mordebis.* frequentes sunt poëtæ in commemorandis amantium mersiunculis, tanquam ferventissimi amoris signis. vid. Passerat. ad Propert. III. 8. p. 451. Brouckhus. ad Tibull. I. 6. 14. et Sciop. ad Lus. c. 87. p. 92. *Destinatus* recte dicitur, qui alicui rei devotus et addictus est, cui certa et fixa sedet sententia. nam *destinare* sæpe est constituere, decernere, ut certum sit. ut Græcorum *πέπηγε* constitutum est. Malim tamen *obstinatus* propter vers. 11. v. V. L.

CARMEN IX.

AD VERANNIUM.

VERANNI, omnibus e meis amicis
Antistans mihi millibus trecentis,
Venistine domum ad tuos Penates,
Fratresque unanimos, anumque matrem?
Venisti. O mihi nuntii beati!
Visam te incolumem, audiamque Hiberum
Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos est tuus; applicansque collum,
Jucundum os, oculosque suaviabor.
O quantum est hominum beatiorum,
Quid me lætius est beatiusve!

2. Alii *antistas* vel *antistes*; sed nostra lectio omnium antiquorum librorum auctoritate munitur teste Vossio.

4. MS. Stat. *uno animo sanamque* et *uno animo suamque*. Comel. lib. *senemque*, quam lectionem dare etiam Codices Vaticanos testatur Brouckhus. ad Tibull. I. 7. 88. Scal. lib. *unanimes suamque* L. MS. *tuamque*. Edit. R. *unanimos suamque*. nostra lectio debetur Faerno, quem secutus est Vossius et hunc Cantabrigiensis. Cæterum solemnis est lectionis diversitas in *unanimus* et *unanimis*, *exanimus* et *exanimis*, *inermus* et *inermis* aliisque similibus. vid. Drackenborch. ad Sil. Ital. V. 584.

Verannio, arctissimo familiaritatis vinculo secum conjuncto, gratulatur felicem reditum ex Hispania, eique, quam gratus hic nuntius ad aures suas acciderit, declarat; mox magis declaraturus lætitiam suam mutuis amplexibus et mutuo de ejus itinere instituendo colloquio. Dulcissimum est hoc carmen et mollissimos amicitiæ sensus spirat. Comparent poëtices studiosi Horat. I. od. 36. et Juvenal. Sat. XII. in reditum Catulli, mirumque in simili argumento varietatem et copiam agnoscant.

2. *Antistans*, præferendus mihi ingenti amicorum turbæ. *antistare alicui* est antecellere aliquem. Gell. I. 7. c. 5. *qui cæteris antistabat*.

4. *Anumque matrem*. *anus* adjective sumendum ut infra LXVIII. 47. *charta anus* et LXXVIII. 10. *fama anus* apud Ovid. Art. Am. I. 766. *cerva anus*. Martial. 6. 27. *amphora anus*.—6. *Hiberum loca* intellige non vicos tantum et oppida, sed etiam situs et regiones. nam late patet vox *loca* sicuti Græcorum, χῶροι, χωρία. vid. Salmas. ad Solin. p. 690. *Hiberi* sive *Iberi* sunt Hispani ab Hibero fluvio sic dicti.

9. *Jucundum os, oculosque suav.* intimi amoris signum apud veteres fuit oculorum osculatio. Sic Eumæus apud Homerum Telemachum excipiens Odyss. XVI. 15.

Κύσσε δέ μιν κεφαλήν τε, καὶ ἄμφω φάεα καλά.

Cic. Epist. ad Fam. XVI. 27. *tuosque oculos dissuaviabor*. ubi plura in hanc rem attulit Cortius cf. infra Carmen XLVIII.

10. *O quantum est hom.* cet. eleganter pro vulgari: nemo me est felicior et beatior.

CARMEN X.

DE VARRI SCORTO.

Varrus me meus ad suos amores
Visum duxerat e foro otiosum:
Scortillum, ut mihi tum repente visum est,
Non sane illepidum, nec invenustum.
Huc ut venimus, incidere nobis
Sermones varii: in quibus, quid esset
Jam Bithynia, quomodo se haberet,

7. Stat. MSS. *quomodo* posse *haberet* et ita libri veteres teste Vossio, qui inde procudit *quomodo ops se haberet.* Vossium refutat Vir Doctus in Miscellaneis Observatt. quæ cura Dorvillii prodierunt Vol. V. p. 2. Sed magis displicet ipsius prolata conjectura: *quomodo os se haberet?* Fingit sibi nimirum V. D. scortillum rogasse poetam, *an ex irrumatione quæstum fecisset?* et *quantum sibi os impurum profuisset?*—cui explicationi profecto omnis orationis series reclamat; nec cetera, quæ Viro Docto ad totum hoc carmen vel disputata vel observata sunt, tanti ponderis mihi videntur, ut iis commemorandis immorer. nostram lectionem tuentur libri veteres fere omnes.

Catullus, cum redux factus esset ex Bithynia, ubi commoratus fuerat inter comites prætoris Memmii, forte fortuna a Varro deducebatur ad ejus amicam, in cujus ore primo statim obtutu expressa videbat nequitiæ et vitæ meretriciæ indicia. Mox inter ipsos exoritur colloquium, in quo egregie adumbrata est retorrida meretricularum viros emungendi calliditas, sed elusa a Catullo ridiculo modo. Nam cum meretrix inhiaret jam jam captando præmiolo vel certe lecticarios ex Bithynia adductos Catullum sibi concessurum esse speraret, repente derisa et multis convitiis cumulata relinquitur. Multum suavitatis et leporis habet hic dialogus propter nativam rei ex vita communi petitæ descriptionem.

1. *Varrus*: haud dubie intelligendus Alphenus Varus, qui ex tonsore vel sutore factus est jurisconsultus. Addictus fuit sectæ Epicureæ et multa scripta reliquit. Scripsit ejus vitam Henric. Brenckmannus. Amstelodami 1709. meminit ejus sodalitatis infra Car. XXX.——*Visum ad suos amores* h. e. ad amicam suam. *amores* pro amica passim. Sic infr. XXI. 4. pædicare cupis *meos amores.* et XLV. 1. *suos amores* tenens in gremio. cf. XXVIII. 6. XL. 7. et alibi. *visere ad aliquem* est notus loquendi modus, Terentio, Lucretio, Plauto aliisque familiaris. exempla conduxit Heins. ad Ovid. Amor. II. 2. 21. 3. *scortillum*, referendum ad amores, qui, quales fuerint, nunc describuntur. *ut mihi t. repente v. e.* quemadmodum statim primo adspectu judicabam.

6. *Quid esset jam Bithynia,* in quo statu jam esset hæc provincia, *quomodo se haberet,* quam lucrosa et quæstuosa esset respectu redituum. (Wie sich die Provinz in Einkünften hielte.) Et *quant. mihi profu. æ.* et quantum ego inde reportassem lucelli. Vana sunt quæ contra hunc locum disputat Vir Doctus in Observ. Miscell. Vol. V. p. 2. 3. de importuna ejus emendatione vid. Var. Lect.

Et quonam mihi profuisset ære?
Respondi, id quod erat: nihil neque ipsis,
Nec prætoribus esse, nec cohorti,
Cur quisquam caput unctius referret:
Præsertim quibus esset inrumator
Prætor, nec faceret pili cohortem.
At certe tamen, inquiunt, quod illic

8. *Quantum mihi profuisset ære.* Veteres libri Scaligeri et Vossii; quod, cum parum latine dictum esse censeret Scaliger, mutavit in: *Quantum mihi profuisset: e re Respondi,* improbante Gronovio lib. III. de Pecun. Vet. c. 17. ubi plura egregie carmen nostrum illustrantia invenies. Ipse eleganter conjicit *Ecquonam.* nam simili modo loquitur poëta car. XXVIII 6. *Ecquidnam in tabulis patet lucelli Expensum?* Heinsius in not. ad Catull. offert: *Et quanto mihi profuisset ære.*

9. Statii MSS. *omnes neque in ipsis.* Sed modus metri facile evincit, τὸ *in* delendum esse. Vossius ex vetusto lib. Commelini recepit *nihilmet ipsis,* quem more suo sequitur Vulpius. Editiones tres antiquissimæ *mihi neque ipsis,* unde Scal. et Stat. *mihi nec ipsi,* quod rejicit Gronovius l. c. p. 550. Editiones nonnullæ *nihil neque ipsi,* fortasse quia non concoquere poterant pluralem.

10. Pro *prætoribus* Muretus *quæstoribus,* refragrante Gronov. l. c. *præconibus* Heinsius in not. ad Catul. emendandi libidine abreptus.

13. Libri scripti Scal. *non facerent.* Vossius *non faceret.* Gronovius in l. c. *num facerent?* vel *non faciens.* quarum postrema lectio egregie favet orationi. ceterum bene se habet et nostra tam L. MS. quam edit. Cantabrigiensi confirmata.

14. Conjecturam Turnebi *inquit, id quod illic* et Scaligeri *inquiit* pro *inquiunt* damnavit jam Gronovius.

9. *Nihil neque ipsis,* Bithynis puta; neminem enim offendere debet, quod præcesserit Bithynia, cum frequens sit hoc loquendi genus [Syllepsin vocant Grammatici] optimis quibusque scriptoribus. vid. Gronov. de Pec. Vet. II. 4. et Sanctii Miner. IV. c. 10. ibique Perizonium. *nec prætoribus,* in universum, quibus administratio hujus provinciæ contigit; *nec cohorti,* prætoris comitibus, qui fuerunt præfecti, medici, scribæ, præcones et alii [*la suite*]. *cur quisquam caput unctius referret* h. e. cur quisquam propter lucrum ibi collectum lautius vivere posset, lautior et ditior rediret; (nos: weswegen einer Staat darauf machen könnte) *unctus* enim inde, quod ditiores et elegantiores homines se delibuere solebant pretiosis unguentis, eleganter transfertur ad omnia quæ sunt lauta et splendida, et quicquid beatiori conditione gaudet. Sic infra Carm. XXIX. 23. *uncta* patrimonia. cf. v. 4. apud Martial. V. 46. cœna *uncta* i. e. lauta et opipara.

12. *Inrumator prætor* C. Memmius Gemellus, qui fuit homo nequam, non nisi pravis animi sui libidinibus indulgens et devorandis aliorum bonis avide inhians, nulla comitum ratione habita. non enim significationis proprietas urgenda est in voce *inrumator,* sed in universum turpioris vitæ notio subjicienda, quod apparet ex carmine XXVIII. 10. ubi eadem obscenitate ejusdem Memmii sordida notatur avaritia:

O Memmi, bene me, ac diu supinum
Tota ista trabe lentus inrumasti.

cf. carm. XXXVII. 8. et Scaliger ad hunc locum.—*nec faceret pili coh.* post *nec* subintellige *qui.*

14. *Quod illic natum dicitur esse* ex eo, quod ibi lucratus esse diceris. [von dem, was du dir daselbst erworben.] *natum,* sicut Græcorum τὸ γιγνόμενον ἀργύριον, eleganter dicitur, quod qua-

Natum dicitur esse, comparasti
Ad lecticam homines. Ego, ut puellæ
Unum me facerem beatiorem,
Non, inquam, mihi tam fuit maligne,
Ut, provincia quod mala incidisset,
Non possem octo homines parare rectos.
At mi nullus erat neque hic neque illic,
Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.
Hic illa, ut decuit cinædiorem,
Quæso, inquit, mihi, mi Catulle, paulum

15. Pro *natum*, malebat Meleager *notum*, probante Viro Docto in Observat. Miscell. l. c. male. pro *esse* alii *ære* vel *asse*.

17. *Beatiorum* Avantius, contra nitente Scaligero.

19. Tres antiquissimæ Editt. *quæ mala*.

20. Ex corruptis lectionibus *octo literas, octo litas, octo minas* reposuit Vossius *octo Midas* i. e. mancipia Phrygiaca vel Bithynica. admodum dure! salva res est, vulgata lectione servata.

cunque de causa provenit, et rei familiari quasi subnascitur. vid. Gronov. de Pec. Vet. p. 255. 16. alii explicant: *cujus rei proprius usus est in Bithynia.* *ad lecticam homines*, h. e. lecticarios [φορειοφόρους]. de lectica veterum post Lipsium Elector. lib. I. c. 19. copiose et accurate disputat Schefferus de Re Vehiculari lib. II. c. 5. p. 85.—*ut me facerem* h. e. ut me fingerem, jactarem, simularem. sic *facere se ferocem* apud Plaut. Curcul. 4. 3. 7. ad quem locum plura exempla collegit Gronov. in Lect. Plautin. p. 92. 18. *Non mihi tam fuit maligne*, non adeo maligna fortuna usus sum, non adeo pressus fui angustiis. 20. *parare* [πορίζεσθαι] *octo homines rectos*, h. e. erectos et proceros. Sic *recta servitia* apud Sueton. Cæsar. c. 47. sunt apta forma et statura, ut recte ibi explicat Ernesti. lectica autem vel a quatuor vel a sex vel ab octo servis portabatur, et hinc vocatur octophorus vel octophorum, cujus usu nobilis imprimis fuit Bithynia. Cic. Verr. V. 11. nam, ut mos fuit Bithyniæ regibus, *lectica octophoro* ferebatur.

21. Sensus: at ego nullum plane habebam servum, neque hic neque in provincia, in cujus collo vel vetus et fractus grabatus suspendi et gestari posset. *grabatus* est lecticarum genus vile et exiguum. Multus est in hac explicanda voce Vossius. *pedes* autem dicuntur asseres, vel furculæ, quibus innitentem lecticam humeris subibant lecticarii.

24. *Ut decuit cinædiorem*, pro indole et more procacis et perfrictæ frontis scortilli. Eadem voce impudentiam hominis turpi libidine diffluentis notat Martialis lib. VI. 39. 12. *Quartus cinæda fronte.*

25. *Paulum istos commoda*: vid. Var. Lect. affectabat autem meretrix non sine causa octophorum, utpote quod muneri mitti solebat puellis Martial. I. 3. 11.

Octo Syris suffulta datur lectica puellæ.

nam volo ad Serapin deferri, h. e. ad templum Serapidis. haud raro enim ipsi dii pro templis poni solent. Sic apud Chariton. lib. 4. c. 4. παρθένος εἰς Ἀφροδίτην βαδίζουσα. ubi vid. Dorvillius et Albertus in Observat. in nov. Test. p. 254—256. Erat autem hoc

Istos commoda, nam volo ad Serapin
Deferri. Mane, inquii puellæ;
Istud, quod modo dixeram me habere,
Fugit me ratio. Meus sodalis
Cinna est Caius: is sibi paravit.

26. Bipontina editio, quam typis describendam curavimus, exhibet lectionem Scalig. *paulum Istos: commodo nam volo ad Serapin Deferri.* quam ut in textum reciperem, a me impetrare non potui. Licebit mihi et in nonnullis aliis locis discessionem facere ab edit. Bipont. ubi meliores lectiones idoneis ex causis præferendæ videntur. antiquissima lectio, in quam conspirant omnes MSS. Statii est nostra, *Paulum istos commoda*: unus tamen habet *paululum* sequenti syllaba ultimam absorbente. Jam vero cum producatur ultima in *commoda*, metri rationi succurrere studuit Scaliger conjectura, mutato *commoda* in *commodo*, parum feliciter! nam primum hujus ipsius vocis ultima correpta eget auctoritate et exemplo, cujus, quantum scio, nullum apud veteres exstat; deinde, licet cum Scaligero *commodo* explices *in tempore*, tamen nescio, quid frigoris habet. Melius consultum fuit tam numerorum modulo quam ipsi sensui in Edit. Aldin I. ubi legitur: *Istos commodita volo ad Serapin deferri.* Sed nullius libri MS. consensu firmatur. Pari modo haud inepte legi possit cum Viro Docto in Observatt. Miscell. l. c. *Istos commoda. enim volo ad Serapin*; modo ejusmodi lapsus librariorum in permutandis particulis τῶ *nam* et *enim* veritatis quandam haberet speciem. Itaque vel dicendum est, Catullum corripuisse ultimam in *commoda* [quod putat Vossius, quamvis non satis hanc insolentiam adstruere videantur allata exempla, *puta* et *tempera*, quorum prius dubium adhuc est apud Pers. IV. 9. vel adverbialiter exponitur a grammaticis; alterum non nisi in veteri inscriptione occurrit] vel lenior ineunda est emendandi ratio. Lenissimum autem puto, si quis pro *commoda* reponat *commode*, ut sit vocativus. Eleganter autem dicitur *commodus*, vel qui est facilis, benignus, liberalis, obsequiosus. gütig, gefällig. Horat. IV. Od. 8. 1. 2. *Donarem pateras, grataque* commodus, *Censorine, meis æra sodalibus*, vel qui commodo et opportuno tempore nos convenit. Terent. Andr. V. 2. 3. *Ego commodiorem hominem, adventum tempus non vidi.* Sensus igitur erit: quæso, mi Catulle, paulum istos mihi [eleganter reticet verbum *cede* vel *mutua*] *commode*, note mihi liberalitate tua; vel: tu qui commodo et opportuno tempore jam me convenis, nam volo ad Serapin deferri. Cui contorta videtur mea explicatio, meliora afferat.

27. *Mane me, inquii, puellæ* plerique libri veteres. nam *me* [illegible], uti sæpe apud Plautum et Terentium. Itaque non extrudi debebat *me* in edit. Bipont. quamvis alias ejusmodi hiatus amet Catullus. alii *mane tum* vel *manedum* ultima in *mane* corripitur, uti in cave, vale, jube, vide, responde. vid. Voss. de Analog. lib. III. c. 25. ex veteri scriptura *inquit* recte fecit Scaliger *inquii*. Heinsius in not. ad Cat. totum versum audacter, ut solet, sic refingit: *Deferri. itane? inquio puella.*

templum eo tempore extra urbis pomœrium [quapropter speciosam lecticæ postulandæ causam habebat meretrix] quod adibant mulierculæ vel procurandæ valetudinis vel exercendæ libidinis causa. vid. Vossius ad h. l. et Jablonskius in Pantheo Ægypt. lib. II. cap. 5. 6.

28. *Istud, quod m. d. m. h. fugit me ratio*: pro *istud* rationes grammaticæ postulabant *istius*. Sed consulto et eleganter jam neglexit poëta constructionem, ut hominis temere errantis et repente ad se redeuntis confusam loquendi rationem imitaretur. Sensus est: in eo, quod me possidere dixeram, erravi et deceptus fui, aliter animum habui, cum id dicerem, status rei me fefellit:

30. *Cinna*. poeta nobilis, qui scripsit carmen Smyrnam, quod decem annis elimavit. Laudatur infra carm.

Verum, utrum illius, an mei, quid ad me?
Utor tam bene, quam mihi pararim.
Sed tu insulsa male, et molesta vivis,
Per quam non licet esse negligentem.

31. Vossius: *Verumne illius an mei.* Idem vers. seq. legit: *quæ mihi paravit.* Statius ex veteri lectione *pararim* fecit *paratis.*

33. Nonnullæ antiquiores edit. *insulsa, mala et molesta* vel *male et nimis molesta es* vel *mala et nimis molesta es.* Vossius: *Sed tu invisa, male et molesta vivis.* Heins. in not. ad Cat. conjicit: *Sed tu insulsa vale et molesta ubivis* vel *cuivis:* in vers. ult. idem malit *negligenti* pro *negligentem,* quod jam in mentem venit Dousæ.

XCV. cf. Virgil. Eclog. IX. 35. et Martial. X. 21.

32. *Utor tam bene, quam mihi pararim.* post *quam* subaudi *si.* in animo habuit poëta tritum illud: amicorum omnia esse communia. 33. *molesta vivis* eleganter pro *es.* 34. *per quam non licet esse negligentem,* cujus rapacitas caute vitanda est. [bei der man auf seiner Huth seyn muss.]

CARMEN XI.

AD FURIUM ET AURELIUM.

Furi et Aureli, comites Catulli,

Sublimiori spiritu exsurgit poëta, et ipso, quo nunc utitur, graviori carminis genere, in altum eniti et paulo serioris argumenti rem moliri et promittere videtur. In qua quidem opinione tenet lectores usque ad vers. 15. ubi inopinata conversione suaviter eludit lectoris exspectationem. Nam postquam satis laudaverat spectatam sibi Furii et Aurelii amicitiam, ad officia gravissima quæque amici causa suscipienda paratam, expetit sibi novum ab ipsis amicitiæ officium: quod quale quantumque fuerit, ipse lector cognoscat. Exsplendescit hoc carmen eximiis magni poëtæ virtutibus, sive verborum delectum et ornatum plane lyricum respicias, sive inexspectatam conversionem et ingeniosam inventionem admireris, qua summam gravitatem repente excipit lasciva levitas.

1. *Furi et Aureli.* Innui putant interpretes Furium Bibaculum, elegantis ingenii poëtam, passim veteribus laudatum, et L. Aurelium Cottam prætorem, qui legem promulgavit de judiciis equestri ordini restituendis. Sed recte judicat Vulpius, vix quicquam certi de illis pronunciari posse, cum plures omnino fuerint iis temporibus tam Furii, quam Aurelii. Nec eosdem fuisse puto, quos infra acerbis versibus insectatur, Aurelium quidem in Carm. XXI. Furium in Carm. XXIII. *comites Catulli* me comitaturi, mecum aditari remotissimas terræ partes. Idem tanquam certissimum veræ amicitiæ argumentum exspectat Horatius a Septimio Od. lib. II. 6. 1.

Septimi, Gades aditure mecum, et
Cantabrum indoctum juga ferre nostra, et
Barbaras Syrtis, ubi Maura semper
Æstuat unda:

ubi plura hujus generis exempla excitavit Cl. Jani, nostri loci non immemor.

Sive in extremos penetrabit Indos,
Litus ut longe resonante Eoa
Tunditur unda;
Sive in Hircanos, Arabasque molles,
Seu Sacas, sagittiferosque Parthos,
Sive qua septemgeminus colorat
Æquora Nilus;
Sive trans altas gradietur Alpes,
Cæsaris visens monumenta magni,
Gallicum Rhenum, horribilesque ultimosque Britannos:

2. Alii *penetrarit*. perperam: nam sequitur versu nono *gradietur*.

3. Nonnulli *longe ubi litus*.

6. Passeratius in vet. quodam libro *cotiriferosque*, collato Virgilio Æneid. X. 169. in margine H. lib. *pharetriferosve*. Sed nostræ lectioni addicunt libri fere omnes: modo observes Catullum, more Græcorum, spondæi loco in altera regione posuisse trochæum, ut vers. 15. *pauca nunciate meæ puellæ*.

7. *Sive qui* in edit. R. et in quibusdam Stat. MSS. in Maffei lib. *que*, unde legendum putat Stat. *quæ*. Vossius ex libb. veteribus, ad quos sæpe provocat, profert *quis* pro *quibus*.

11. Hiatus evitandi causa dederunt alii *horribilesque et ultimosque* contra linguæ indolem: ne quid mutes, cogita et alibi Catullum non repudiasse ejusmodi hiatus [ut sæpe Virgil. et alii. exempla quædam collegit Cl. Barthius, quem omnis

2. *Sive in extremos pen. Ind.* extremi vocantur Indi, ut mox vers. 11. *ultimi* Britanni tanquam remotissimi populi. Eodem sensu apud Ciceronem India vocatur *extrema* Verr. V. c. 65. et sic passim extremæ oræ dicuntur vel pro India vel pro alia quacunque remotiori regione in ultimo quasi orbis termino ex opinione veterum sita. cf. Burmannum Sec. ad Anthol. Tom. I. p. 264. ἔσχατοι ἀνδρῶν Homero sunt Æthiopes Odyss. I. 23. 3. *Litus ut longe res.* ut quemadmodum Græcorum *ἵνα* est *ubi*. sic. infr. Carm. XVII. 10. cf. Cerd. ad Virg. Æneid. V. 329. *Eoa unda* est mare orientem versus, Oceanus, unde surgere putabatur Aurora [ἠὼς]. *longe sonans* exprimit illud Homericum πολύφλοισβον.

5. *Sive in Hircan. Arab. moll. Hircani* Asiæ populi. Arabes dicuntur *molles*, quia clementia cœli emollit et enervat. *tener Arabs* apud Tibull. II. 2. 4. ubi vid. Broukhusius. *Sacæ* populi proximi Scythis. *Parthi sagittiferi* populi orientis mira dexteritate sagittas tractandi et in fuga retrorsum jaciendi satis noti. cf. Burmannus Sec. ad Propert. III. 7. 54. et quos ibi laudat. *Septemgeminus Nilus* h. e. septenus, per septena ostia in mare se exonerans. Ovid. Amor. III. 6. 39.

Ille fluens dives septena per ostia Nilus.

hinc vocatur ἑπτάπορος apud Dionys. Perig. 264. cf. Eustath. ad Dionys. Perig. 226. vel ἑπτάῤῥους vid. Salmas. ad Solin. cap. 32. p. 295. cf. Maillet. Descript. Ægypti p. 49. *colorat æquora* h. e. aqua lutosa, qualem fere vehit Nilus ex agris inundatis relabens, colorem inducit mari ab aqua marina diversum.

10. *Monumenta Cæsaris* intellige trophæa et quicquid ad ejus factorum conservandam memoriam publice exstabat. Britanni *horribiles* refer ad externum cultum. Vulpius in hanc rem laudat Cæsar. de bell. Gall. lib. V. c. 14.

Omnia hæc, quæcunque feret voluntas
Cœlitum, tentare simul parati,
Pauca nunciate meæ puellæ
Non bona dicta:
Cum suis vivat valeatque mœchis,
Quos simul complexa tenet trecentos,
Nullum amans vere, sed identidem omnium
Ilia rumpens.
Nec meum respectet, ut ante, amorem,
Qui illius culpa cecidit; velut prati
Ultimi flos, prætereunte postquam
Tactus aratro est.

felicitatis meæ auctorem et unicum studiorum meorum moderatorem veneror, ad Propert. II. 9. 45.] et fortasse ipsum horrorem aspero duarum vocalium concursu exprimere voluisse.

22. Nonnullæ antiquiores edit. *spectet velut ante* in margine St. lib. *speret velut.* Sed sic offendit ingrata repetitio particulæ *velut* in vers. sequ.

23. Pro *ultimi* in quibusdam legitur *ultimus*, male: pro *tactus* exhibet Vossius ex vetustissimo exempl. Thuan. *fractus*, quod tam flori plane succiso quam ipsi comparationi amoris plane finiti magis favere videtur. proponit etiam Vossius *stratus*, quod fecit ex antiqua lectione *tractus*, sed hæc corrupta lectio magis confirmat τὸ *fractus*, una tantum mutata littera. Cæterum turpiter in hoc loco emendando se dedit Heinsius in not. ad Cat. pro *prati* legi jubens *parati*, metro, ut ait, sic exigente. imo jam est versus hypermeter, cujus ultima in *prati* a prima vocali sequentis versus absorbetur, ut vers. 19. *omnium Ilia rumpens.* en festinationem Magni Heinsii!

12—17. Sensus: vos igitur, qui ad omnia, quæcunque fata ferent, mecum subeunda pericula parati estis, jam quæso probate mihi vestram fidem et puellæ meæ hæc pauca, sed haud jucunda verba nunciate. *tentare* exquisite dicitur de explorandis rebus cum periculo et audacia conjunctis. *non bona verba* proprie *male ominata, οὐκ εὔφημα*, vid. Brissonius de Formulis p. 11. seq. Edit. Paris. deinde de quolibet ingrato nuncio, qui animum turbat, pungit et urit.

17. sequ. Sensus: res suas sibi habeat et procul a me discedat cum infinita copia mœchorum, quorum nullum vero amore complectitur, sed frequenti libidinis usu enervat, conficit et frangit. *Ilia rumpi* dicuntur in re venerea. Propert. II. 16. 14. *Rumpat ut assiduis membra libidinibus.* cf. Scioppius ad Lus. carm. XXII. *complexa tenet*, eleganter: amore suo irretitos detinet.

21. Nec amplius amorem meum curet, qui plane ex animo meo propter ipsius inconstantiam et levitatem deletus et eradicatus est. Quod expressit elegantissima comparatione floris, qui vomere aratri succisus in perpetuum florere desinit. Non neglexit hanc suavissimam comparationem in rem suam vertere Virgil. Æn. IX. 435. Nec minus feliciter Lotichius lib. IV. 5. 97.

Sic jacet, in culto flos qui nitidissimus agro
Vomere succisus prætereunte fuit.

cf. infra Carm. LXII. 39. seqq. *pratum ultimum* est prati extremitas, viæ vicina. cf. ad Carm. II. 3. pari modo explicari fortasse possunt ἐσχατιαὶ apud Theocrit. Idyll. XIII. 25. ut agrorum extremitas significetur, licet aliter sentiat ad h. l. Casaubonus et Hemsterhusius ad Lucian. T. I. p. 143. Pascuntur enim oves in agrorum margine et extremitate.

CARMEN XII.

AD ASINIUM.

Marrucine Asini, manu sinistra
Non belle uteris in joco atque vino :
Tollis lintea negligentiorum.
Hoc salsum esse putas ? fugit te, inepte,
Quamvis sordida res et invenusta est.
Non credis mihi ? Crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit : est enim leporum

1. Pro *Marrucine* Avantius legebat *Inter cœnam*, refutatus a Mureto et Scaligero.

8. Vossius e lib. Vatic. *mulctari*, quam lectionem tanquam meliorem et elegantiorem vulgatæ præfert. De errore quidem librariorum in commixtis his duobus verbis non dubium est ; vid. Burm. ad Anthol. T. II. p. 528. sed vulgata vel hanc ob causam videtur præferenda, quia vel maxime decet fratrem, quovis pretio fratris culpam redimere velle ; illud vero votum, ut frater *talento mulctetur*, parum honestum sit.

Asinius dexteritatis suæ ostentandæ causa, quam haberet in surripiendis aliorum bonis, sudarium Catullo clam abstulerat inter pocula. Quod cum ægre ferret Catullus, exprobrat Asinio hoc furtum, tanquam rem parum honestam et neutiquam homine ingenuo dignam, eumque monet, ut mox remittat sudarium, eo nomine imprimis sibi carum, quod pignus amicitiæ sit ; si cessaverit, graviter hanc injuriam se ulturum esse hendecasyllabis minatur.

1—4. *Marrucine Asini:* Asinius cum vi jam vocatur *Marrucinus*, propter fidem Marrucinorum Romanis imprimis spectatam. cf. *Vossius.* Fuerunt autem *Marrucini* populi Italiæ inter Vestinos et Pelignos. *Manu sinistra n. b. u.* parum honeste in conviviis incuriosorum et hilaritati genioque indulgentium convivarum lintea surripere studes sinistræ manus agilitate. Usus *sinistræ* in suffurandis aliorum bonis passim notatur a veteribus. *Furtifica* vocatur Plauto in Pers. II. 2. 44. *nata ad furta* Ovid. Met. XIII. 111. De more illo convivarum linteis vel mappis insidiandi vid. Martial. XII. 29. ubi eodem furti genere male audit Hermogenes: cf. eundem VIII. 59. *Lintea* sunt *sudaria*, ut ex v. 14. apparet, ex lino confecta, quibus vel ad sudorem faciei detergendum vel ad nares expurgandas utebantur.

4. sqq. *Hoc salsum e. p.* Hoc lepidum et facetum esse putas? [das hältst du für sinnreich?] erras, homo insulse et honestatis sensu destitute, res est vel maxime contumeliosa et indecora. *Quamvis* pro *valde, admodum* passim dicitur : *quamvis diu dicere* pro *valde diu* apud Cic. Rosc. Amerin. 32. cf. *Burm.* ad Phædr. I. 28. 1. et *Drackenb.* ad Liv. I. 4. p. 31. *Crede Pollioni.* est hic *Asinius Pollio*, tam gratia apud Augustum et amicitia, quæ cum Horatio et Virgilio illi intercedebat, quam ingenio et grandioris spiritus carminibus notissimus. cf. Virg. Eclog. III. 84. et Hor. Od. II. 1.

8. *Mutari*, sensus : si facta infecta fieri possent, furta tua lubenter frater tuus vel talento redimeret et permutaret. *Mutare rem re* vel *cum re* pro *permutare* ex

Disertus puer, ac facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos
Exspecta, aut mihi linteum remitte,
Quod me non movet æstimatione,
Verum est mnemosynon mei sodalis.
Nam sudaria Sætaba ex Hiberis
Miserunt mihi muneri Fabullus,
Et Verannius. Hæc amem necesse est
Ut Veranniolum meum et Fabullum.

9. Passeratius et Vossius legi velunt *differtus* pro *disertus*; sed primum hæc locutio æque exemplo caret, ac nostra *disertus leporum*; deinde vix dici posse puto in bonam partem *differtus leporum*. Nonnulli *pater* pro *puer*, male! judicante Vossio.

14. Ex corrupta lectione *Setaba exhibere* fecit Vossius *Setabe et Hibera*, ut sit ipsum urbis nomen. Sed cum plurimæ editiones et libri scripti offerant *Setuba*, et plane eodem modo *Sudarium Setubum* dicatur carm. XXV. 7. tenenda est nostra lectio. Rectius autem per Diphthongum exhibetur *Sætaba*, quod ex nummo antiquo ab Antonio Augustino memorato Dial. VII. in quo SÆTABIS scribitur, probatum ivit *Drackenb.* ad Sil. Ital. III. 374.

16. Alii, quos secuta est Bipontina edit. pro *hæc* legunt *hoc*, ut referatur ad linteum; sed illud magis favet orationi. Male etiam in nonnullis edit. *et* pro *ut* legitur.

antiquo emendi vendendique more sæpiuscule occurrit. Sic Medea apud Ovid. Met. VII. 59, 60.

Quemque ego cum rebus, quas totus possidet orbis,
Æsonidem mutasse velim.

verte in vernacula *erkaufen*. vide quos laudat de usu hujus verbi *Drackenborch.* ad Liv. Tom. II. p. 130.

9. *Disertus* nove jam dictum videtur de eo, qui alicujus rei, ubi facundia imprimis opus est, bene peritus invenitur. Pollio igitur, elegans et urbanus juvenis [sexcenties enim apud veteres tam juvenes, quam ipsi viri blande vocantur pueri] non ferre poterat illepidos et infacetos fratris sui jocos.

12. *Quod me n. m. æst.* quod non pretii sed amicorum causa æstimo, in quorum memoriam illud accepi.

14. *Sudaria Sætaba* ex lino Sætabo ab urbe et fluvio Sætabi in Hispania sic dicto, ubi optimus lini proventus fuit. De *Hiberis*, Hispanorum populo vid. ad carm. IX. 6.

16. *Hæc amem necesse est.* Nam verum est, quod ait Ovid. Her. XVII. 71.

Utque ea non sperno, sic acceptissima semper
Munera sunt, auctor quæ pretiosa facit.

cf. Martial. IX. 99.

CARMEN XIII.

AD FABULLUM.

Cœnabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi Dii favent, diebus,
Si tecum attuleris bonam atque magnam
Cœnam, non sine candida puella,
Et vino et sale, et omnibus cachinnis.
Hæc si, inquam, attuleris, venuste noster,
Cœnabis bene: nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contra accipies meros amores,
Seu quid suavius elegantiusve est:

2. *Favint* dedit Vossius pro *faverint* ex antiqua, ut ait, lectione; *faxint* male! nam sic penultima contra leges hendecasyllabi longa est.

6. *Fabulle noster* Venet. Gryph. et aliæ editt. antiqu.

9. *Meos amores* quædam e vetustis.

10. *Seu quod* rectius ex mea sententia. De aberratione librariorum in *quid* et *quod* vid. *Drackenb.* ad Liv. T. V. p. 161.

Fabullum ad cœnam invitat poëta satis lepide et familiariter. Nam cum ipse rebus, ut ait vel fingit, angustis laborans bonam et lautam cœnam parare non posset, rogat Fabullum, ut afferat secum, quicquid ad bonam et lætam cœnam pertineat. Ipse autem spondet, se quolibet modo Fabullo amorem suum probaturum et unguentum suavissimum oblaturum esse. Eleganter expressit hoc carmen *Goetze in Carminibus Teutonicis.* T. II. p. 232.

1. *Cœnabis bene.* Similiter exorditur Martial. XI. 52.

Cœnabis belle, Juli Cerealis, apud me.

4. *Candida puella* h. e. pulchra. cf. Broukh. ad Tib. IV. 4. 17.

8. *Plen. sacculus aranearum.* eleganter et facete ita dicitur sacculus, qui pecunia vacuus non usu teritur. Res enim, quæ sine usu aut vacuæ jacent, vel situ vel aranearum textura obduci solent. Hinc Hesiodus araneas e vasis, quæ diu non usui fuerant, ejiciendas suadet rusticis felici messe gaudentibus, in Ἐργ. 475.

Ἐκ δ' ἀγγέων ἐλάσειας ἀράχνια —

Cf. Plaut. Aulul. I. 2. 5. 6.

9. *Accipies meros amores:* quicquid amorem meum probet spiretque, luculenta voluntatis meæ et placendi studii signa. Sic frugali illi cœnæ apud *Ovid.* qua Jupiter et Mercurius a Baucide et Philæmone excepti sunt:

— Super omnia vultus
Accessere boni: nec iners pauperque voluntas.

Met. VIII. 677, 78. Idem placendi studium promittit Chytræo ad se invitato Lotichius. VI. 14. 7.

Ante tamen ponas vacui jejunia ventris,
Frigidus extincto stat meus igne focus;
Signa voluntatis rectæ sincera dabuntur.

10. *Seu. q. su. el. e.* quod magis tibi arrideat et elegantiam meam declaret; nam unguentum tibi dabo suavissimum fragrantissimumque ex ipso Veneris myrothecio profectum. De unguento

Nam unguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres, Cupidinesque:
Quod tu cum olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

Veneris, quod καλὸν vocat Homerus, vid. Vossius ad hunc locum. Auctores nimirum eximiæ præstantiæ et pulchritudinis a poëtis vel Venus, vel Amores, vel Cupidines perhibentur. Similis locus est apud Prop. II. 29. 17.

Adflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.

Usus unguentorum apud veteres in conviviis, quibus ora et capita perfricare solebant delicatiores, satis notus est. Promittit igitur Catullus non nisi externam elegantiam, ipsam autem cœnæ curam relinquit Fabullo. *Meros amores* explicant interpretes vel de unguento, vel de puella, cujus copiam Fabullo facturus sit poëta. Sed illi explicationi repugnat particula seu, hujus versus quartus.

CARMEN XIV.

AD CALVUM LICINIUM.

Ni te plus oculis meis amarem,
Jucundissime Calve, munere isto
Odissem te odio Vatiniano.
Nam quid feci ego, quidve sum locutus,
Cur me tot male perderes poëtis?
Isti Dii mala multa dent clienti,

6. *Mala multa dant*, tanquam meliorem lectionem obtrudit Vossius sine idonea ratione.

C. Licinius Calvus, poëta et orator clarissimus, [*de quo vid. Cic. ad Div. XVII. 24. XV. 21. et Val. Max. IX. 12. 7.*] joci causa miserat Catullo, intima familiaritate secum conjuncto, pessimorum poëtarum carmina, et quidem, ut eo importunius illi obstreperent poëtæ importunissimi, ipsis, lætitiæ destinatis, Saturnalibus. Altos igitur clamores tollit Catullus ob creatam hoc joco sibi molestiam et interceptam lætissimo die lætitiam, et hanc amici protervitatem mittendis undique collectis et corrasis poëtarum quisquiliis se remuneraturum esse prædicit.

2. *Munere isto*, h. e. propter istud munus. Sensus: *Nisi mihi esses in deliciis, gravissimo propter missum mihi munus te odissem odio, vel tanto odio, quanto te odit Vatinius, acerrimum criminum suorum accusatorem.* Posteriori explicationi favet locus infra LIII. 3. 4. De communi, quo omnes boni Vatinium, omnium bipedum nequissimum, prosequebantur odio, est locus classicus apud Macrob. Saturn. II. 6.

5. *Male perderes*, h. e. male mulctares, cruciares, enecares.

Qui tantum tibi misit impiorum.
Quod si, ut suspicor, hoc novum ac repertum
Munus dat tibi Sulla literator:
Non est mi male, sed bene ac beate,
Quod non dispereunt tui labores.
Dii magni, horribilem et sacrum libellum,
Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Misti, continuo ut die periret,
Saturnalibus, optimo dierum.

8. *Hoc novum hoc repertum* Stat. *refertum* parum eleganter conjecit Vossius.
9. *Sylla* Muret. et alii. *Sillo* vel *Silo* in antiqu. quibusdam editt.

7. *Tantum impiorum*, h. e. tantam pessimorum poëtarum farraginem. *Poëtæ impii* sunt, qui iratis Musis ad sacram poësin accedunt, vulgus profanum — et qui Musarum sacris rite initiati sunt, vocantur *sacri, sancti, pii.* Ipse noster se *pium* vocat carm. XVI. 5. cf. Virg. Æn. VI. 662—8.

8. *Novum ac repert. mun.* novo more composita et ingeniose excogitata carmina εἰρωνικῶς! de voce *novus* cf. ad Carm. I. 1. *Reperire* pro *excogitare* sæpe apud Plautum et Terentium. *carmina labore reperta* apud Lucret. III. 420. *Sulla* Cornelius Epicadus, Lucii Cornelii Sullæ libertus, ut putant interpretes. vid. Suet. de Illustr. Gramm. c. 12. *Literator*, grammaticus, h. e. poëtarum interpres. vid. Suet. lib. laud. c. 4. *Non est mi male* — non doleo et indignor, sed mirifice gaudeo, operam tuam forensem non frustra compendasi clientibus. *Sacrum libellum*, exsecrandum, detestabilem, ἀρῶν. Sic *morbus, ignis, serpens* et alia *sacra* (ἱερά), dicuntur. vid. *Drackenb.* ad Sil. VIII. 100. et ad Liv. I. 1. p. 268.

14. *Contin. ut d. per.* — Sensus: ut toto illo die, ipsissimis Saturnalibus, qui dies in optimis et lætissimis diebus festis habetur, periret, h. e. misere se haberet et pessime afficeretur Catullus tuus; vel: *ut continuo* h. e. illico *periret* tanquam supplicio afficeretur. vocantur enim mala carmina *supplicia* v. 20. *Saturnalia* apud Romanos in memoriam aureæ ætatis, per Saturnum, in regni societatem a Jano receptum, Italiæ populis præstitæ, summa hilaritate in mense Decembri celebrata et ab initio quidem uno tantum die peracta et finita sunt; sed postea inde a C. Cæsaris temporibus plures dies illis celebrandis additos esse notum est vel ex Macrob. Saturn. I. 10. ubi de hac re est locus classicus. Hinc *Saturnalia prima* de primo Saturnalium die, dicuntur apud Liv. XXX. 36. ubi vide, quæ observat *Gronovius*. *Secunda* et *tertia* vocantur a Cic. ad Attic. XIII. 52. Apparet igitur, vel unum tum adhuc diem, cum hæc scriberet Catullus, sacrum fuisse Saturnalibus, vel unum certe diem, qui proprie vocaretur *Saturnalia*, præ ceteris festum solemnemque habitum esse. Nec quemquam offendere debet loquendi genus paulo insolentius — *continuo die, Saturnalibus*, cum ipse Liv. dicat II. 21. *Saturnalia institutus festus dies.* cf. *Gron.* ad Liv. I. 9. Constat denique ad munera, quibus invicem se excipiebant Saturnalibus, etiam libros pertinuisse, quos pauperes divitibus vel clientes patronis obtulisse tradit *Lucian.* in *Chronosolon* s. *Legislator Saturnalium* c. 16. p. 398. T. III. edit. Reitz. cf. Martial. V. 18. 4. Plura de *Saturnalibus* præter Macrob. l. c. vid. apud *Liv.* XXII. I. *Stat. Silv.* I. 6. et *Lipsium* in *Saturn.* I. 2. sqq.

Non, non hoc tibi, salse, sic abibit.
Nam, si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia: Cæsios, Aquinios,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his suppliciis remunerabor.
Vos hinc interea valete, abite
Illuc, unde malum pedem tulistis,
Secli incommoda, pessimi poëtæ.

* *

Si qui forte mearum ineptiarum
Lectores eritis, manusque vostras
Non horrebitis admovere nobis:
Pædicabo ego vos, et inrumabo.

16. *Non modo hoc tibi* male tentat *Vossius*.

18. *Aquinos* perperam in vetustioribus. Nam in voce *Aquinios* duæ syllabæ in unam coalescunt.

22. *Attulistis* reperit et idem refutavit Scaliger.

Contra MSS. et librr. vett. fidem in nonnullis editt. attexuntur hi quatuor versiculi Carm. XVI. ad *Aurelium* et *Furium*, ubi apparent etiam in Edit. Bipont. Versus quartus *Pædicabo ego vos, et inrumabo*, qui abest in librr. vett., debetur liberalitati et ingenio Vossii. Videntur omnino hi versus ἀποσπασμάτια longioris carminis, temporis injuria nobis erepti, quos frustra ceteris poëtæ carminibus assuas vel infercias. Incommode certe adjecti sunt Carm. XVI. Nos in assignando his versibus loco secuti sumus auctoritatem MSS. ad quam Statius et editor Cantabrigiensis provocant. In versu primo male legitur in Bipont. *qua*, et *cui* vitiose in edit. I. Mureti.

16. *Non, non*; magnam vim habet repetitio particulæ *non*, de qua elegantia vid. *Bentleium* ad Hor. Od. III. 24. 25. et *Drakenb.* ad Sil. II. 25. *Salse*, ad fraudem aliis faciendam ingeniose. — *Sic abibit*, tam impune feretur. Particulis *sic* et *ita* sæpe ex serie orationis aliquid addendum est explicationis, quod diligenter observent tirones. — *Si luxerit*, h. e. simulac illuxerit dies, primo mane. Fortasse etiam dedit poëta *illuxerit*, quod est usitatius, cum facile fieri potuerit, ut prima syllaba *il* ab antecedente particula *si* absorberetur.

18. Malum poëtam *Aquinium* notat etiam Cicero Tuscul. V. 22. De *Suffeno* cf. infr. carm. XXII. *Venena*; carmina mala, abominanda et execranda, quibus inest multum veneni et pestilentiæ, ut loquitur Nestor infr. XLIV. 12. — *His suppliciis*, poëtis malis, quorum lectione tanquam pœna gravissima afficimur et pæne enecamur. *Remunerabor*, ulciscar. ἀντιδωρήσομαι, parem gratiam tibi referam. Simili modo enim *gratiam referre* passim in malam partem dicitur Terentio Eunuch. Act II. Scen. 3. l. 93. et IV. 4. 52. — *Secli incommoda*, terræ pondera, ἄχθος ἀρούρης.

CARMEN XV.

AD AURELIUM.

Commendo tibi me ac meos amores,
Aureli. Veniam peto pudentem,
Ut, si quidquam animo tuo cupisti,
Quod castum expeteres, et integellum,
Conserves puerum mihi pudice:
Non dico a populo: nihil veremur
Istos, qui in platea modo huc, modo illuc
In re prætereunt sua occupati:
Verum a te metuo, tuoque pene,
Infesto pueris bonis, malisque.
Quem tu, qua lubet, ut lubet, moveto
Quantum vis, ubi erit foris paratum.
Hunc unum excipio, ut puto pudenter.

11. Statius in MS. invenerat *Quem tu qualubet ve moveto,* unde tentat *Quem tu, qualubet, ut velis moveto,* parum recte ob sequens *Quantum vis.*

Aurelio ea lege commendat puerum suum, ut caste hunc florem custodiat, nec solita libidinis suæ explendæ cupiditate illum contaminare audeat. Quodsi fecerit et usque eo audaciæ progressus fuerit, ut illum corrumpat, gravissima, tanquam mœchum, affectum iri pœna minatur.—Factum autem hoc esse ab Aurelio ex Carm. XXI. apparet, unde acerbæ inter eum et Catullum inimicitiæ exortæ sunt.—Qui non omni honestatis sensu destitutus est, argumentum hujus carminis abominabitur, sed orationis elegantiam admirabitur.

1. *Meos amores,* amoris mei delicias, puerum meum. cf. ad Carm. X. 1.—*veniam peto pudentem, aber ich bitte um züchtige Verschonung.* fortasse excidit particula *at* post *veniam.* v. 3. *Si quicq. anim. t. cup. quod*—eleganter et ornate pro: si ullus puer fuit, quem castum velles et indelibatum.

7. *Istos* ex populo. Nomen collectivum *populus* sæpissime excipit pluralis. *Clamor concursusque populi, mirantium quid rei esset* Liv. I. 41. cf. *Drackenborch.* ad Liv. XXXV. c. 26. §. 9. T. IV. p. 945. et quos laudat *Cortius* ad Sallust Jugurth. XXVIII. p. 540.

8. *In re præt. s. occup.* negotiis suis exsequendis intenti modo huc, modo illuc discurrunt, nec quicquam a negotiis suis alienum curant.

10. *Bonis malisque,* formosis et deformibus. cf. Vulp.—*ubi erit foris paratum:* sustuli interpunctionem post *foris* et explico: ubi erit tibi foris (in angiportu), scortum aliquod ad exercendam libidinem paratum. nam puella *parata* dicitur, quæ facile copiam sui facit. Propert. I. 9. 25. cf. *Burm.* ad Ovid. Met. V. 603. qui *paratum* mavult referre ad *quem,* conferat illud de Priapo apud Ovid. Fast. I. 437. *Quantum vis,* quantum lubet.

Quod si te mala mens, furorque vecors
In tantam impulerit, sceleste, culpam,
Ut nostrum insidiis caput lacessas;
Ah! tum te miserum, malique fati,
Quem attractis pedibus, patente porta,
Percurrent raphanique, mugilesque.

17. *Miseri* exhibet Græviana edit. quam lectionem more suo tuetur MSCTOrum jactator Corradinus de Allio.

18. *Atratis pedibus* Vossius et MS. Commel. in aliis editt. *adstrictis* vel *artatis*.

14. *Quodsi te mala mens cet.* Quodsi ab immodica et insana animi tui libidine hoc impetrare non poteris, ut ab hoc puero abstineas, tum cet. expende verborum ornatum et compara infr. Carm. XL. 1. *Nostrum caput* eleganter pro *me*. Male trahunt interpretes ad puerum. *Insidiis*, furtivo amore, cf. XXI. 7.

17. *Malique fati* sc. hominem. *homo mali fati* est infelix.

18. In describenda ignominiosa illa adulterorum deprehensorum pœna ῥαφανιδῶσαι et παρατιλμοῦ etiam nobis fecerunt interpretes et ad hunc locum et ad *Aristoph.* Nub. 1079. cf. *Kusterus* ad Suid. s. v. ῥαφανίς. Alias mœchorum pœnas commemorat *Schefferus* ad Ælian. V. H. XII. 12. *Attractis pedibus*, diductis et divaricatis; ut recte explicat Muretus. *Patente porta*, τῷ πρωκτῷ, cui immittebantur raphani et mugiles. — *mugiles* sunt genus piscium, de quibus vid. Plin. IX. 17. et ad Juvenal. X. 317.

CARMEN XVI.

AD AURELIUM ET FURIUM.

Pædicabo ego vos, et inrumabo,
Aureli pathice, et cinæde Furi;
Qui me ex versiculis meis putatis,
Quod sint molliculi, parum pudicum.

3. *Putastis* Cantabrig. et sic etiam infra v. 13.

Castitatem suam bonus et castus, si Diis placet, Catullus probare vult Aurelio et Furio, quibus illa ex mollioribus ejus versiculis suspecta reddita fuerat. Quam quidem male de se susceptam opinionem evellere ex eorum animis studet partim eo, quod sacri poëtæ, in quos vel maxime cadat morum integritas, non ex carminibus suis dijudicandi sint, partim edendo, [en castitatis specimen!] ubi marem se præstiturus sit, specimine. Compara cum Nostro Martial. I. 36.

2. *Pathici* et *cinædi* dicuntur, qui muliebria patiuntur.

4. *Pium poëtam*, rite Musarum sacris operantem vid. ad Carm. XIV. 7. *Versicul. nih. nec. e.* sc. castos esse. Rau-

Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum: versiculos nihil necesse est;
Qui tum denique habent salem ac leporem,
Si sunt molliculi, ac parum pudici,
Et, quod pruriat, incitare possunt;
Non dico pueris, sed his pilosis,
Qui duros nequeunt movere lumbos.
Vos, quod millia multa basiorum
Legistis, male me marem putatis:
Pædicabo ego vos, et inrumabo.

8. *Si sint* lib. Comel. et Pal. papyr.
9. *Possint*. Comel.
10. *Iis pilosis* legitur in paucis. *hispidosis* in margine lib. Comel. cum quibusdam impressis.
12. *Vos, qui* Cantabrig. *Vosque* vitiose in lib. Comel.

dem castitatis speciem et alii prae se ferunt nequitiarum magistri. Ovid. Trist. II. 354.

Crede mihi, distant mores a carmine nostri;
Vita verecunda est, musa jocosa mihi.

cf. Martial. I. 5. 8. et plura ibi vide apud *Raderum.*
9. *Quod pruriat,* eleganter pro libidine. cf. Martial. I. 36. 10. 11. *His pilosis,* hispidis, vietis et enervatis.
11. *Qui duros nequ. etc.* h. e. qui *exfututa* pendent latera, ut supra loquitur Noster VI. 13. cf. Sciopp. ad Les. XVIII. 4.
12. Quod legistis de multis meis basiationibus versiculis celebratis. cf. Carm. V. et VII. *male marem me put.* cinaedum, mollem. vid. *Nic. Heins.* ad Ovid. Art. Am. I. 524.

CARMEN XVII.

AD COLONIAM.

O COLONIA, quæ cupis ponte ludere longo,
Et salire paratum habes: sed vereris inepta
Crura ponticuli adsulitantis, inredivivus

1. *Quem cupis ponte ludere longo* in plurimis editt. vett. Ald. Gryph. Muret. pro *longo* dedit Vossius *ligneo*, non male, quia idem pons mox ponticulus dicitur.

3. *Ac sulcis tantis* antiquissima lectio, in quam conspirant omnes Statii et Scalig. MSS. et edit. R. *ex sulcis tantis* in L. MS. teste editore Cantabrigiensi, unde fecit Vossius admodum ingeniose *ponticuli asculis stantis* h. e. parvis tigillis seu perticis innitentis. Nostra lectio *adsulitantis*, quæ rei maxime consentanea videtur, ingenio Scaligeri debetur, sed improbatur Vossio, quia sic dactylus in sede tertia ponitur, ubi debebat esse Creticus, quo sublato rhythmus adeoque tota vis carminis ex sententia Vossii perit. Mureti edit. prima ab anno 1554, quæ cum *Ald. II.* et *Gryph.* in plurimis fere consentit, habet *sub his totus.* Quod ad antiquam illam lectionem *ex sulcis tantis* attinet, modo metri ratio constet, non adeo inepta sed explicatione fortasse emollienda videtur, ut *ponticulus ex sulcis*

Acciderat ætate Catulli, quod sæpe accidere solet, ut homo insulsus et veternosus conjuge uteretur elegantissima formosissimaque. Quam quidem indignam rem cum vix ferre posset puellarum patronus et elegans harum deliciarum spectator Catullus, in gratiam puellæ, Coloniam quandam, quæ loca lutosa et palustria ponte sublicio junxerat, precibus adit, ut stupidum illum hominem de ponte illo in lividissimum paludis locum deturbet, si forte hoc modo fieri possit, ut stolidus ejus veternus repente excitetur, et supinus animus in gravi cœno derelinquatur. —Est hoc carmen elegantissimum, sive verborum ornatum, sive lepidam stulti et tardi hominis descriptionem spectes. —Versus sunt Ithyphallici ex heroicis efficti, sed molles enervatique.—Quis locus fuerit *Colonia*, non certo affirmari potest. *Muretus* suspicatur fuisse oppidulum prope Veronam, quod hodieque nomen servet. At *Scaliger* et *Vossius* malunt intelligere *Novum Comum*, coloniam paulo ante a Cæsare deductam.

1. Sensus est: *O Colonia, quæ lubenter velis ludos facere in ponte longo, ubi in promptu tibi est saliendi facultas, sed* (inepta) *frustra et nimis anxia times fulcra lignea ponticuli trementis et adsulitantis, ne præceps ille cadat et in lutosa palude corruat, unde in pristinum statum revocari nequeat, ede, quæso, Colonia, in meam gratiam jucundissimum et maximo risu dignissimum spectaculum.* (Sic) *quod si feceris, opto, ut pons tuus plane ex animi sententia tam firmus fiat, ut vel Martis sacerdotes in illo* [illegible] *sacra suscipere possint.* Multum pulveris in hoc loco explicando ab interpretibus commotum est, neque tamen ullus rem satis assecutus videtur. *ludere,* luserunt enim olim et ludicra spectacula ediderunt in pontibus, quod et adhuc fieri in Italia, Pisis atque Venetiis, testatur Vulpius et Corradinus de Allio.—*salire paratum habes,* in promptu tibi est τὸ salire h. e. saliendi facultas. Vulpius et quos ille sequitur argutantur. *inepta* tam ad *Coloniam* quam ad *crura* trahi potest. qui ad *crura* referre malit, cogitet ligneas columellas ad pontem fulciendum infirmas nec satis aptas. *adsulitantis* vid. Var. Lect. *irredivivus* eleganter de rebus inanimatis, quæ irreparabiles sunt, denuo excitari et restitui nequeunt.

Ne supinus eat, cavaque in palude recumbat:
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Salisubsulis sacra suscipiantur:
Munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus.
Quendam municipem meum de tuo volo ponte
Ire præcipitem in lutum, per caputque pedesque:
Verum totius ut lacus putidæque paludis
Lividissima, maximeque est profunda vorago.
Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar
Bimuli, tremula patris dormientis in ulna.

tantis irredivivus dicatur, qui nunquam restitui et revocari queat *ex tantis sulcis* h. e. fossis. *Sulcus aquæ* occurrit apud *Ovid.* in Nuce 66. certe tale quid, quo referatur, postulare videtur vox *irredivivus.* pro *irredivivus,* quod agnoscunt omnes Stat. L. MS. et cunctæ editt. est in Meleagri MSS. *irredivivis.* in antiquissima R. *in reclivis* corrupte. Nic. Heinsius tentabat in Not. ad Cat. p. 638. *irreciduus.* Sed nihil lucramur hac permutatione.

6. *Salisubsuli sacra suscipiunto* vel *Salisubsuli sacra suscipiant* in MSS. Statii, optt. editt. et Membr. Voss. unde admodum probabilis, quam in textum recepimus, ab ingenio Statii profecta est lectio. vid. not. Vossius proposuit *Salii ipsulis sacra suscipiunto,* quam conjecturam ambitiose, ut solet, arripuit Vulpius. *Ipsulæ* autem vel *ipsales,* docente Festo, *erant lamellæ necessariæ sacris, quæ ad rem divinam conferre dicebantur maxime, specie virorum et mulierum.*—*Saliaribus sacra suscipiantur.* Avantius. *Salisubsuli sacra suscipiantur* Muretus, qui ob fraudem ex Pacuvio laudati loci, cujus nec vola nec vestigium exstat, ubi *Salisubsulus* Mars dicatur, graviter jam reprehensus est a Vossio, in antiquis quibusdam editt. corrupte legitur *Salii* vel *Subsalii sacra suscipiant.* Corradinus de Allio, cujus plurimæ emendationes dignæ sunt, quæ cum municipe Catulli in lividissimam paludem migrent, lepide obtrudit: *in quo vel salis subsilis, sarta suscipiantur.*

13. *Matris in ulna* habet margo H. I.

4. *Ne supinus eat,* retro labatur in paludem, unde erectus fuerat. Suaviter et venuste! Sic apud. Liv. XXX. 10. *supinus telorum factus* h. e. tela, quæ non evolant sed in terram decidunt. *cavaque in palude,* profunda et alta. Sic infra *undæ cavæ* XCV. 5. *flumina cava* apud Virg. Georg. I. 326. et ipsa *palus cava* apud Ovid. Met. VI. 371. cf. *Burmann.* ad Ovid. Ib. 228. et ad Lucan. I. 396. *ex tua libidine* plane ex voto tuo. De voce *libido* in bonam partem vid. *Drackenb.* ad Sil. XI. 312. *Salisubsuli* haud dubie intelligendi sunt Salii, Martis sacerdotes, qui sacra celebrabant tripudiis et saltationibus, de quibus vid. *Cuper. Observat.* IV. 2. Finxit autem, opinor, hanc vocem poëta ad rei imaginem magis exprimendam. vid. Var. Lect.

7. *Munus h. m. munus* de ludis et spectaculis et proprie quidem gladiatoriis sæpe obvium apud Ciceronem. vid. Clav. Cic. Ernest. Cæterum simili obtestatione cum obtestandi particula *sic* et alii poëtæ graviter exordiri solent carmina. Tibull, I. 4. Hor. Od. I. 3.

9. *Per caputque pedesque,* ut, quantus quantus sit, a vertice usque ad talos immergatur.

10. *Ut* pro *ubi* vid. supra ad Carm. XI. 3.

13. *Tremula ulna,* quæ leni motu concutitur. Dignus est, quem in hanc rem adscribam locum ex Calpurn. Eclog. X. 27 seqq. ubi Silenus parvulum Bacchum, quem in ulnis gestat,

Quoi cum sit viridissimo nupta flore puella,
Et puella tenellulo delicatior hædo,
Asservanda nigerrimis diligentius uvis:
Ludere hanc sinit, ut lubet, nec pili facit uni,
Nec se sublevat ex sua parte, sed velut alnus
In fossa Liguri jacet supernata securi,
Tantundem omnia sentiens, quam si nulla sit usquam:

15. *Ut puella* L. MS. et antiquissimæ tres editiones. *Sit puella* ob elegantem repetitionem, (quam equidem non sentio) vel *sed puella* conjecit Nic. Heins. in N. ad Cat. l. c. Si conjectura opus sit, mihi videtur particula *ah*, quæ passim eximiæ rei admirationi inservit, admodum loco nostro accommodata esse. Infra Carm. LXI. 46. *Quis deus magis ah magis appetendus amantibus.*

19. *Liguris* in nonnullis. *Ligeris* in paucis. *jacet separata* Muret. *superata* vel *seu parata* in quibusdam.

20. *Quasi* pro *quamsi* vult Statius, reclamante editore Cantabrigiensi.

tremulo brachiorum et crepitaculorum concussu ad somnum invitat.

Quin et Silenus parvum veneratus alumnum
Aut gremio fovet, aut resupinis sustinet ulnis,
Et vocat ad risum digito, motuque quietem
Allicit, aut tremulis *quassat crepitacula* palmis.

14. *Viridiss. flore puell.* in flore ætatis constituta. *flos* de juvenili ætate, sicut Græcorum ἄνθος, ἀκμή, sexcenties apud poetas. Exemplorum nubem vid. apud *Klotzium* ad Tyrtæum p. 23—25.

15. *Et puella* si vera est lectio, ex antecedenti versu supplendum est *sit*, sed vid. Var. Lect. *tenellulo delicat. hædo.* Imitatus est Ovid. Metamorph. XIII. 791. de Galatea *tenero lascivior hædo.* Referenda autem est hæc comparatio partim ad teneritatem, partim ad protervitatem et lasciviam. Una igitur imagine expressit Noster, quod duabus in simili Galateæ descriptione Theocritus Idyll. XI. 20. ἁπαλωτέρα δ᾽ ἀρνὸς, μόσχω γαυροτέρα.

16. *Asserv. nig. dil. uv.* cautius tractanda quam uva matura, unde levi motu acina defluunt. Nimirum virgo *immatura* est aspera, sed *matura* ad amoris lusus facilis et proclivis. Cæterum et alii poëtæ hac comparatione ab uvis petita et ad puellas translata delectati sunt. Theocritus l. c. φιαρωτέρα ὄμφακος ὠμᾶς. Horatius Od. II. 5. 10. *Tolle cupidinem immitis uvæ.—Uvæ nigerrimæ* sunt maturæ. Rem unice illustrat locus Columellæ, qui ab interpretibus laudari debebat, lib. XI. c. 2. 69. p. 758. edit. Gesneri: *naturalis autem maturitas est, si cum expresseris vinacea, quæ acinis celantur, jam infuscata et nonnulla propemodum* nigra *fuerint.* Atque huc pertinet Epigramma XV *Philodemi* in Analect. Vet. Poet. Græc. Brunckii T. II. p. 86.

Οὔπω σοι κάλυκων γυμνὸν θέρος, οὐδὲ μελαίνει
Βότρυς ὁ παρθενίους πρωτοβολῶν χάριτας.

17. *Ludere,* παίζειν in re Venerea. Propert. II. 25. 21—*uni* antique pro unius.—*Nec se sublevat ex sua parte,* scilicet ubi stipes ille semel jacet. Interpretes subodorati sunt nescio quam obscœnitatem.

19. *Fossa Liguri* ita appellata a possessore, cui nomen fuit Ligurius, ut jam suspicatus est Vossius. *supernata,* h. e. succisa, ut ducta metaphora sit ab iis, quibus in modum pernarum suillarum, femina excisa sunt.

Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit.
Ipse qui sit, utrum sit, an non sit, id quoque nescit.
Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum,
Si pote stolidum repente excitare veternum,
Et supinum animum in gravi derelinquere cœno,
Ferream ut soleam tenaci in voragine mula.

21. *Merus stupor* Passeratius ex conjectura male!
22. *Qui sit* MSS. Stat. et Meleagri omnes. *Is se quis sit* vel *Is se qui sit* offert ingenium N. Heinsii.
23. *Hunc eum volo* Pal. Papy. *Hunc ego eum* Comel.

21. *Talis iste stupor meus*; proprie debebat esse *qualis alnus—talis iste meus stupor*; sed poëtæ ad hanc diligentiam grammaticam non exigendi sunt. *meus stupor*: eleganter latini, quem deridendum propinare volunt, *suum* vocant. Phædr. 7. 32. *homo meus se in pulpito totum prosternit*, ubi vid. Scioppium.—*stupor* suaviter pro *stupidus*.

24. *Si pote*, si fieri potest ut etc. *gravi cœno*, tenaci. Accommode Tacit. Annal. I. 63. *cetera limosa, tenacia gravi cœno*.

26. *Ferream ut soleam*: nondum olim, uti nunc, equorum ungulis contra aspera et scruposa loca clavis suppingebantur soleæ ferreæ, sed nonnunquam tantum subligabantur ὑποδήματα quædam; id quod multis probare et contra Vossium, qui frustra nostræ ætatis soleas ferreas, quæ equis affigi solent, ex Xenophonte eruere atque hinc χαλκόποδας Homeri equos illustrare conatus est, idoneis argumentis evincere studuit *Gesnerus* in Lexic. Rust. Rei rusticæ Scriptoribus apposito, cujus sententiæ subscribit *Wesseling*. ad Diod. Sicul. To. II. p. 233. qui huc potius referendos putat ἵππους χαλκώσαντας ἐξ ὑποτριβῆς [ὑπὸ τριβῆς pro ἐξ ὑποτριβῆς mavult *Schweighæuserus*] ex Appiani Mithridat. p. 371.

CARMEN XVIII.

AD HORTORUM DEUM.

HUNC lucum tibi dedico, consecroque, Priape,

Priapo consecratur lucus in hoc haud dubie olim longioris carminis exordio, quod ab interitu vindicavit et Catullo tribuendum olim jam existimavit *Terentianus Maurus* in docto libello de *Litteris, Syllabis et Metris* inter Gramm. vet. p. 2444. cujus sententiam et alii deinde amplexi sunt, ut *Marius Victorinus* in arte Gramm. p. 2598—99. et *Atilius Fortunatianus* in Arte p. 2676. At *Victorius* in Var. Lect. XII. 3. *Muretus* ad h. l. et *Scaliger* ad Catalect. vet. Poet. non hoc tantum longioris carminis fragmentum, sed duo sequentia etiam in Priapum carmina quasi postliminio Catullo restituere conati sunt, quibus accedit Vossius, qui hæc ad calcem editionis suæ rejecit. Quod quidem ut a se impetrarent V. V. D. D. partim ludicro carminis genere Ithyphallico, quo duo priora carmina composita sunt, et quibus tertium constat puris iambis Catullianis, partim ipsa horum carminum suavitate et orationis

Qua domus tua Lampsaci est, quaque silva, Priape.
Nam te præcipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia, ceteris ostreosior oris.

2. *Quæ domus—quæque silva* in edit. Bipont. nescio qua auctoritate. Apud *Terentianum Maurum* olim una voce mutilus versus legebatur *Qua domus tua Lampsaci est quaque Priape*, ut e Mureti et Achill. Stat. adnotatt. intelligi potest.

elegantia, Catullo dignissima, inducti sunt. Nec incommode hæc tria poëmatia, [quæ sive a Catullo sive ab alio poeta magno profecta sint, neminem certe legisse pœnitebit] statim post carmen AD COLONIAM, cum ob metri, tum ob argumenti similitudinem, conjunctim ab iis, quos sequimur, petita videntur. Leguntur autem hæc carmina inter Priapeia in Catal. vet. Poet. *Scalig.* c. 85. in Priap. Sciopp. c. 86. et in Anthol. Vet. Lat. Poet. *Burmanni Secundi* lib. VI. 85. T. II. p. 567. ubi præter ea, quæ jam *Mureto* et *Vossio* in Commentariis ad Catullum observata sunt, plura tam de incerto eorum auctore quam ipso carminis genere Ithyphallico erudite disputantur, præcipue a *Car. Andr. Duckero* cujus ineditas, quæ huc spectant, observationes subjiciendas curavit *Burmannus Secund.* in Anthol. T. II. p. 574. qui, si ceteras hujus doctissimi interpretis in Catullum notas, quas in scriniis suis a *Gulielmo Roellio* acceptas servabat, publici juris fecisset, magnam apud Catulli lectores gratiam initurus fuisset. —Ceterum vix dubium est, quin auctor horum carminum, quicunque demum fuerit, ex græco quodam fonte hortulos suos rigaverit.

2. Si vera est lectio, de cujus integritate mihi nondum persuadere possum, sensus erit: *ubi propria nunc sedes et silva tibi dicata est, quemadmodum Lampsaci.* Sed hoc durum et contra loquendi rationem videtur. Itaque pro *qua* et *quaque* legendum puto *quoi* et *quoique* ex antiquo scribendi more, de quo vid. Carm. I. 1. in. *Var. Lect.* et sic *tua* pro *tibi* positum est ut sæpe. *domus* deorum est locus, quo maxime illi delectantur, et in eo sedem quasi suam figunt. *Nympharum domus* de antro apud Virgil. Æn. I. 168. *Lampsacum* est urbs Hellesponti teste Cicerone in Verr. I. 24. ubi Priapus vel natus vel nutritus credebatur. vid. Schol. ad Apollon. Rhod. I. 932. *ostreosior oris*, ostreis enim omnis Hellesponti ora abundabat; præcipue tamen a veteribus laudantur *ostrea Abydena*. Virg. Georg. I, 207. cf. *Vinet* ad Auson. p. 603. edit. Toll., *Priapus autem Hellespontiacus* [ut vocatur a Virg. Georg. I. 207.] fortasse navigationis causa, cui præesse credebatur, cultus fuit in Hellesponti littoribus. Exstant enim manifesta apud Græcos vestigia, ubi Priapus navigationis præses apparet. Sic ille apud *Leonidam Tarentinum* in Anal. Poet. Græc. Brunckii Epigr. LVII. T. I. p. 235. navigationem vernali tempore instituendam indicens addit. v. 7. 8.

Ταῦθ' ὁ Πρίηπος ἐγὼν ἐπιτέλλομαι, ὁ λιμενίτας,
ὤ 'νθρωφ' ὡς πλώῃς πᾶσαν ἐπ' ἐμπορίην.

conf. Antipat. Sidon. Epigr. XXXVII. in Anal. V. P. Gr. Brunckii T. II. p. 16. Colebatur etiam Priapus Αἰγιαλίτης a piscatoribus. cf. Mæcii Epigramm. VII. et VIII. in Anal. P. G. T. II. p. 238.

CARMEN XIX.

HORTORUM DEUS.

HUNC ego, juvenes, locum, villulamque palustrem,
Tectam vimine junceo, caricisque maniplis,
Quercus arida, rustica conformata securi
Nutrivi, magis et magis ut beata quotannis.
Hujus nam Domini colunt me, Deumque salutant,
Pauperis tugurii Pater filiusque*
Alter, assidua colens diligentia, ut herba
Dumosa, asperaque a meo sit remota sacello:

3. *Confomata* vult Salmas. ad Solin. p. 181. repugnante Vossio, cujus lectio *fomitata* ex antiqua *formidata* conficta non minus displicet.

4. *Nunc tuor magis* Scaliger. *nutrio* pro *nutrivi* tacite recepit Vulpius.

5 *Filiusque**) Sic in plerisque editionibus, deficiente ultima voce, hic versus exhibetur. Quam quidem lacunam ex ingenio supplere studuerunt Scaliger et Vossius, quorum ille tentabat *filiusque coloni* hic *filiusque tenellus.* Mihi succurrebat *Patronum*, quod non incommode referri potest ad *pauperis tugurii.* Sed de Priapo apud Virgil. Eclog. VII. 34. *custos es pauperis horti*: Sed rectius fortasse intactas plane ejusmodi in poëtis relinquimus lacunas.

Priapus, fœcunditatis in agris auctor, fidum se profitetur custodem pauperis villulæ, a cujus dominis, patre et filio, summa pietate colebatur. Enarratis igitur, quibus quotannis ab illis mactetur, muneribus, monet sub fine pueros, ne quid furtiva manu ex eo agro auferant, sed ad vicinum potius ditioris domini agrum pergant, ubi Priapus ejusmodi furunculos non adeo curet.

2. *Tectam vim. junc.* cet. Casas enim vel tuguria varii generis frondibus contegere solebat rudis antiquitas, Tibull. II. 1. 39. 40.

Illi (ruris Dei) *compositis primum docuere tigillis*
Exiguam viridi fronde operire domum.

carex commune junci genus videtur (Riedgras); *acuta* vocatur apud Virgil. Georg. III. 231. cum *genista* jungitur apud Pallad. de Re Rust. I. 22. p. 876. edit. Gesneri.

3. *Quercus arid. rust. con. sec.* suaviter et eleganter, Ego, qui ex quercu arida ita effictus et configuratus sum securi rustica.

4. *Nutrivi*, auxi et beavi fœcunditate. Eodem plane sensu *nutrire* de Cerere dicitur apud Hor. Od. IV. 5. 18. *Nutrit rura Ceres:* ubi, cum elegantem hujus verbi significationem non concoquere posset *Bentleius*, more suo turbas dedit, ad quem refutandum hic ipse Nostri locus a Clariss. *Jani* laudari debebat.—*ut beata quotannis* scil. esset h. e. quolibet anno meliori conditione gauderet.

6. *Paup. tuguri*, inde colorem duxisse videtur Virg. Eclog. I. 61.

Pauperis et tuguri congestum cespite culmen.

7. Sensus est: alter me veneratur, dum assidua diligentia ita colit curatque meum sacellum, ut illud ab omni dumosa asperaque herba remotum et purgatum sit; suspecta mihi olim videbatur lectio *colens* ob ingratam repetitionem ejusdem verbi ex versu 5. et hinc pro *colens* legendum esse putabam

Alter, parva ferens manu semper munera larga.
Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitu', et tenera virens spica mollis arista:
Luteæ violæ mihi, luteumque papaver,
Pallentesque cucurbitæ, et suave olentia mala;
Uva pampinea rubens educata sub umbra.
Sanguine hanc etiam mihi (sed tacebitis) aram
Barbatus linit hirculus, cornipesque capella:
Pro queis omnia honoribus hæc necesse Priapo

9. *Alter parva manu ferens usque munera larga* ex emendatione Dorvillii, quem laudat *Burmannus Secundus* in Anthol. ad h. l. sed magis arridet *Schraderi* τὸ *semper* metri causa in *sæpe* mutantis correptio in Observ. Lib. II. c. I. p. 12. 11.) *lacteumque papaver* apud Vict. et Aldum. Sed *luteum papaver* et infra dicitur LXI. 195. Eadem harum vocum permutatio apud Martial. III. 58. 22. ubi alii pro *lactei vernæ* malunt *lutei*.

15. Pro *hanc aram*, quod eleganter conjecerat Muretus, corruptam lectionem *hæc arma* revocavit Vossius, haud dubie obloquendi studio abreptus; nostram lectionem defendit *Burmannus Sec.* in Anthol. ad h. l. *jacebitis* pro *tacebitis* vitiose in Sciopp. edit. et Bipont. legitur.

16. *Barbarus hirculus* male in aliis editt.

17. *Hoc necesse* perperam in quibusdam.

cavens, sed nunc vix opus esse videtur hac mutatione.

9. Nobilissima hujus versus sententia: munera parva, quæ quis pio animo offert suo se metiens modulo, sunt magna et diis gratissima. Hinc Tibull. I. 1. 21.

Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa juvencos:
Nunc agna *exigui* est hostia magna soli.

10. *Picta corolla*, variis floribus distincta ut *pictæ volucres*.

11. *Primitu'*, quamprimum florum copia fit. vid. de hac antiqua voce Nonium Marcel. p. 154.

14. *Uva pamp. sub umbr. educ.* maturitatem nacta: eleganter enim herbæ vel fruges educari dicuntur, quæ tam aeris temperie foventur commoda, quam cura, cultu, et ceteris, quibus ad maturitatem perveniant, alimentis et subsidiis fruuntur. Sic infra LXII. 41. et 50. in Lusibus LII. 15. Tibull. I. 1. 13. Uvæ autem vel maxime ad trahendam maturitatem opus habent umbra pampinea. Hinc Virgil. Eclog. VII. 58. de vitibus nimio æstu exsiccatis:

Liber pampineas invidit collibus umbras.

rubens uva: Horatio, ubi de iisdem Priapo offerendis muneribus sermo est, dicitur *certans purpuræ* Epod. II. 20.

15. *Sed tacebitis*, favebitis linguis. Silentium igitur Priapus imponit pueris de sacris suis, tanquam de magni cujusdam Dei mysteriis. Vulpius trahit ad impura flagitia, quæ in sacris Priapeiis committi solebant, nec evulgari debebant. Sed de his nihil jam viderant pueri. Muretus refert ad leges XII. secundum quas sacra facere peregrinis deis, nisi qui publice adsciti essent, non licuerit. Sed spectat fortasse hoc impositum silentium non nisi ad immolatas Priapo hostias, quem honorem majores tantum dii sibi vindicabant–*linit sanguine aram*, imbuit: Theocrit. Epigr. I. 5. Βωμὸν δ' αἱμάξει κεραὸς τράγος. cf. Carmen Petron. in Priapum cap. 133.

Præstare, et domini hortulum, vineamque tueri.
Quare hinc, o pueri, malas abstinete rapinas.
Vicinus prope dives est, negligensque Priapus.
Inde sumite, semita hæc deinde vos feret ipsa.

19. *Manus abstinete rapinis* citra necessitatem correxerat *Eggelingius* teste *Burmanno Sec.* in Anth. ad h. l.

20. *Negligensque Priapi* conjicit N. Heins. in not. ad Catull. p. 638. Quidni? *negligensque Priapum.*

20. *Negligens Priapus*, indulgens, minus severus erga fures. *Inde sumite:* Vulpius commode laudat Tibull. I. 1. 34. *ipsa hæc semita* [illegible]. *Deinde* h. e. dehinc, abinde, ut apud Sallust. Jugurth. XIII. 4. ubi vid. *Cortius.*

CARMEN XX.

HORTORUM DEUS.

Ego hæc, ego arte fabricata rustica,
Ego arida, o viator, ecce populus
Agellulum hunc, sinistra, tute quem vides,
Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malasque furis arceo manus.

1. *Ego ecce* conjectat Heinsius in not. ad Catull.

3. Ut nunc legitur locus, *sinistra* ob metri rationem nullo modo potest esse casus sextus. Sed sive cum Mureto *sinistra* ad *populus* referas, sive cum Livineio accusativ. pluralem pro adverbio positum esse statuas, durissima semper manet hæc lectio: Scaliger ad Atyn Catulli 13. pro *sinistra tute* volebat *sinistera ante.* Certe vix ulla paulo leniori ratione sanari posse videtur hic versiculus, quem tanquam in re desperata audacter ita diffingere et in ordinem redigere tentabam, *Agellulum, ad sinistram abinde quem vides.*

5. *Tueor* Aldus et Victorius.

Argumentum hujus carminis a superiore non nisi carminis genere iambico differt, adeo ut Catullus, si auctor horum carminum sit, ingenium suum in simili re diverso modo exercuisse videatur. Purissimum castigatissimumque jure hoc carmen vocat *Brouckhusius* apud *Burmann. Secund.* in Anthol. T. II. p. 67. nec indignum illud habuit quod multo studio, quale tum fervebat inter Viros doctos, totidem iambis puris græce redderet *Josephus Scaliger* ad h. carm. in Catal. Vet. Poet.

3. *Sinistra*, e regione agelli ad sinistram sita, exponit Muretus. Quod quam durum sit, cum ob alterum epitheton *arida*, quod jam appositum est τῷ *populus*, tum ob vere sinistram hujus epitheti locationem post *Agellulum hunc* quilibet, opinor, sentiet. vid. Var. Lect.

5. *Tuor* pro *tueor*, verbum Lucretianum. *malasque manus* h. e. nocivas,

Mihi corolla picta vere ponitur:
Mihi rubens arista sole fervido:
Mihi virente dulcis uva pampino:
Mihique glauca duro oliva frigore.
Meis capella delicata pascuis
In urbem adulta lacte portat ubera:
Meisque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit ære dexteram:
Tenerque, matre mugiente, vaccula
Deum profundit ante templa sanguinem.
Proin', viator, hunc Deum vereberis,
Manumque sorsum habebis. Hoc tibi expedit:

9. In aliis: *Mihi glauca dura cocta oliva frigore.* In Aldinis: *Mihi glauca duro cocta oliva frigore*; in quibusdam veteribus: *Mihi glaucæ duro oliva frigore.* Fortasse *cocta* fuit glossa τοῦ *glauca* et sic in textum irrepsit. Quamquam enim *oliva duro frigore cocta* de maturitate, quam hyeme contrahunt olivæ, non inepte explicari possit, tamen, cum hæc ipsa lectio puros iambos, e quibus hoc carmen constat, turbet, non admittenda videtur: nihilominus legi jubet Vossius: *Mihi glauca duro oliva cocta frigore.*

14. In aliis *teneruque*, quod servavit Vossius. Sed Muretus, ut metri rationibus consuleret, dedit et propugnavit nostram lectionem *tenerque* fœminini significatione, quod admodum durum nec confirmari posse videtur exemplis in hanc rem ab illo allatis, carent enim illa terminatione fœminina. De *pauper* autem quod addit, non multum eum juvat locus Terentii IV. 6. 3. ubi lectio *paupera* in disceptationem adhuc vocatur. Magis igitur arridet elegans conjectura Dorvillii, quam profert Burmann. Sec. in Anthol. *Tenella, matre.*

perniciosas. cf. Tibull. III. 5. 20. et Virg. Eclog. III. 11. Ipse fur simpliciter dicitur *malus* apud Martial. VI. 49. 7.

7. *Rubens arista:* elegans epitheton, quod adumbrat colorem, quem referunt aristæ solis radiis percussæ. *sole fervido*, æstate.

8. *Virente pampino*, autumno.

9. *Duro frigore*, hyeme. *oliva glauca*, color glaucus est colori viridi affinis et albore quodam permixtus. (grünlich.) Idem epitheton et alii poëtæ addere solent olivis, ut Claud. in Eutrop. II. 271. et Stat. Thebaid. II. 99. Cæterum confer Carmen LXXXIV. in Lus. apud Burm. Secund. in Anthol. p. 567. ubi pari modo Priapus recenset munuscula singulis anni tempestatibus sibi oblata. 10—11 versus omittissimi pro vulgari: capella lasciva in pascuis, quibus pressum, adulta inde in urbem ducitur. *adulta lacte ubera*, distenta, tumida et plena lacte.

13. *Grav. dom. rem. ære dext.* aperta est imitatio Virgilii Eclog. I, 36.

Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat.

Ex eodem fonte hausit auctor Moreti vers. 81. Plura exempla vid. apud Burm. in Anthol. ad h. l.

14. *Tenerque*: vid. Var. Lect.

15. *Profundit sanguinem*, cadit, mactatur hostia, eadem elegantia dictum, quo in carm. sup. v. 15. *aram linit.*

17. *Manumque sorsum habebis*, h. e. continebis, non ad furtum extendes. Nam in promptu est *mentula sine arte*, non affabre sed temere ex ligno excisa, crux tanquam instrumentum supplicii, a furibus sumendi. Nam servi furaces

Parata namque crux, sine arte mentula.
Velim pol, inquis: at pol ecce, villicus
Venit: valente cui revulsa brachio
Fit ista mentula, apta clava dexteræ.

apud dominos severiores pœnam in cruce luebant, quæ pœna jam respicitur. cf. *Lipsius de Cruce.*

19 sq. Sensus: Profecto non ingrata hæc mihi pœna erit, inquis; at erit hercle, nam secus, ac putaveras, illa in te exercebitur.—ecce jam venit villicus, qui mentula ista, valente brachio evulsa, commode utetur clavæ loco, quæ bene te mulctatum det.

CARMEN XXI.

AD AURELIUM.

Aureli, pater esuritionum,
Non harum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut sunt, aut aliis erunt in annis,
Pædicare cupis meos amores;
Nec clam: nam simul es, jocaris una,
Hæres ad latus, omnia experiris.
Frustra: nam insidias mihi instruentem

5. *Nam simul exjocaris una Hærens ad latus* in libr. MSS. *Nam simul, et jocaris* Muret. et Stat.

6. *Omnia experiris Frustra;* male interpungit Muretus. *experibis* in antiquis codicibus testante et probante Mureto.

Venerem non semper sine Cerere frigere, exemplo suo probavit Aurelius. Quamquam enim ille cum summa rerum inopia et esuritione conflictatus dicitur, tantum tamen abfuit, ut fame victus alia omnia quam libidinis explendæ nutrimenta quæreret, ut potius quovis modo Catulli puerum ad amorem pellicere machinaretur. Salse igitur poëta perfricat hominem famelicum, a quo præcipue ne puer esurire et sitire discat, veretur, eumque prius, quam puerum, cui frustra nectat insidias, attrectaverit, a se ipso tactum iri irrumatione, monet.—Comparetur imprimis cum nostro imitatio Martialis ad Mamurianum I. Ep. 93.

1. *Pater esuritionum:* proprie convivii vel cœnæ dominus venerabili nomine *patris* insigniri solebat, ut apud Horat. Satyr. II. 8. 7. Sed ridicule vocatur Aurelius *pater esuritionum,* ubi, quod Terentius ait, ex hesterno jure panis ater voratur.

2. *Non harum modo:* similiter infra XXIV. 2, 3.

5. *Nam simul es,* consuescis et conversaris cum illo.

6. *Hæres ad latus:* nota locutio in amoribus. vid. Broukhus. ad Tibull. I. 6. 26.

7. *Frustra;* irrito plane studio, nam dum puerum meum libidine polluere cogitas, prior ego ipse te polluam libi-

Tangam te prior inrumatione.
Atqui, si id faceres satur, tacerem.
Nunc ipsum id doleo, quod esurire
Ah! meus puer, et sitire discet.
Quare desine, dum licet pudico:
Ne finem facias, sed inrumatus.

8. *Prius* L. MS. eadem lectionis varietas exercuit V. V. D. D. ad Tibull. I. 4. 32. ubi vid. *Illustrissimus Heyne* in Observ. p. 39. edit. nov.

9. *Atque id si* effinxit Stat. ex corrupta lectione in MSS: *atqui ipsi faceres*.

11. Mira et putida in hoc versu est lectionis discrepantia. *Ne meus puer* Muret. *me me puer* in MSSC. Stat. unde legendum putat Statius *Me meus—Ah me me puer* Scaliger, quam lectionem recepit etiam Bipont. *meus me puer* Commel. membr. quod assensu suo comprobavit Vossius. Sed sic contra omnem loquendi consuetudinem *discet* pro *docebit* positum est. *meus mi* Meleager. *ne—meus* Passeratius ad formam *ne—funera* infra LXIV. 83. *Meus jam puer* Cantabrig. *Ah meus puer* Vulpius, quam quidem lectionem, dum melior deerat, in textum recepimus, licet et illâ metro laboret et trochæum pro spondæo ab initio habeat. *Meusmet puer* Gotting. haud dubie ex edit. Corradini de Allio. *Una meus puer* inepte contra omnes metri leges tentat Heinsius in not. ad Catull. Quantum equidem sensu meo assequi possum, istæ fere omnes, quas recensui, lectiones vel sensum turbare vel metri rationibus adversari videntur. Si legere mecum ex conjectura liceat: *A te mox puer*, vel *Mox tecum puer*, omnis difficultas remota et tam sensui quam metri rationibus consultum videtur. Sed non ausim ita corrigere poetas.

13. Statius legi jubet: *Quare desine, dum licet pudicus, Ne finem facias, sed inrumatus*, vel: *Quare desine, dum licet pudico, Ne finem facias, sat inrumatus.* Heins. in not. ad Catullum vult: *et inrumatus*, male!

dine. *tangere* est verbum nequitiæ. Propert. II. 34. 9.

Lynceu, tunc meam potuisti tangere curam.

cf. Hor. Sat. I. 2. 45. Mart. I. 93. 2. hinc *intacta puella*, casta et indelibata.

8. *Atqui tacerem*, ich wollte gern nichts sagen, si id *faceres satur*, stimulat enim [illegible]. infr. XXXII. 10.

Nam pransus jaceo, et satur supinus
Pertundo tunicamque palliumque.

Mart. I. c. v. 14. *Denique pedico, Memuriens, satur.*

11. *Ah! meus puer*: vid. Var. Lect.

12. *Ne finem facias* sc. non amplius pudicus et castus, sed inrumatus, corruptus.

CARMEN XXII.

AD VARRUM.

Suffenus iste, Varre, quem probe nosti,
Homo est venustus, et dicax et urbanus,
Idemque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura
Perscripta : nec sic, ut fit, in palimpsesto

1. *Fuffenus* mavult Muretus. pari modo apud Livium I. 23. *Mettus Fuffetius* non *Suffetius* legendum esse contendit *Drackenborch*. quem vide et quos ibi de hac scribendi ratione laudat T. I. p. 98. *Vare* in plurimis editt.

Suffenum, hominem vanum et ineptum ridet, qui, cum bellus et urbanus videri vellet, non solum in verbosa quadam garrulitate et aliis frivolis et ventosis artibus elegantiæ gloriolam aucupabatur, sed, ut esse solet ejusmodi hominum furor, ex sacris quoque Musarum campis calamistratæ et unguentis diffluenti fronti olivam decerpere quærebat. Hoc igitur furore abreptus, facili negotio et, ut Venusinus canit, stans pede in uno innumeros fundebat versus, et hos lepidos ingenii partus, sicuti boni parentes tenellos filiolos, tanto amore deosculabatur et tam sollicite paterna quasi cura fovebat, ut nulli sumtui parcens quovis ornamento externum splendorem illis conciliare studeret.—Sed in iisdem egregie stultissimi auctoris imago expressa fuit, adeo rus et agrestes mores redolebant versus ab omni venustate et urbanitate alienissimi.—Dum igitur Catullus in hac ridicula Suffeni φιλαυτίᾳ describenda occupatur, repente in versu 18 ab aliorum vitiorum contemplatione ad se redit, et, suo ipsius animo diligentius excusso, neminem vitiorum expertem, immo quemlibet, in quocunque demum φιλαυτίας genere sit, Suffeno quodam modo similem esse pronunciat. Qua quidem nobilissima et honestissima conversione quantum dignitatis accedat huic carmini, suus quemque sensus docebit.

2. *Homo venustus*; (Stutzer, Galant homme) cf. ad Carm. III. 2. *Dicax*, qui multus et copiosus est in serendis sermonibus, [gesprächig, schwatzhaft] idem paulo post dicitur *scurra* v. 12. *urbanus* qui comitate, suavitate, sale et dicteriis auram populi captat, et cultioris vitæ concinnitatem præ se ferre studet. Passim autem apud veteres *urbanus* cum *scurra* consociari solet, quia ambitiosa *urbanitatis* affectatio plerumque cum scurrili quadam dicacitate conjuncta est. Plaut. Mostell. I. 1. 15. *Tu urbanus vero scurra, deliciæ popli, Rus mihi tu objectas?* cf. Hor. Epist. I. 15. 27, 28. et Gronov. ad Plaut. Trinum. I. 2. 165.

3. *Id. long. plur. fac. vers.* ut solent pessimi quique poëtæ, quemlibet cum Crispino apud Horat. Sat. 1. 4. 16. ad certamen provocantes : *videamus uter plus scribere possit.* cf. Hor. Sat. I. 9. 23 seqq.

5. *Nec sic, ut fit, in palimps. rel.* nec apparent ejus versus, quemadmodum apud alios poëtas, in *palimpsesto* sed in *chartis regiis* etc. *palimpsestus* fuit charta pergamena, in qua, quod scriptum est, deleri et eradi poterat. vid. *Schwartz.* de Ornament. lib. p. 25. ed. Leuschneri. magis autem arridet Heinsii lectio *releta* [vid. Var. lect.] hoc sensu : nec delere et emendare solet versus in palimpsesto, ut alii poëtæ. Sapienter enim præcipit Horatius Sat.

Relata; chartæ regiæ, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, et pumice omnia æquata.
Hæc cum legas, tum bellus ille et urbanus
Suffenus, unus caprimulgus, aut fossor

6. Pro *relata* eleganter rescribendum esse suspicatur *releta* (a *leo levi*) *Heins.* in not. ad Cat. nam, si vulgatam tenemus, dicendum potius erat *relata in palimpsestum.*

8. *Detecta plumbo* Statt. MSC. *desecta plumbo* Exempl. Mediol. et antiquiss. tres editt. *derecta* pro *directa* nonnulli.

I. 10. 72. *sæpe stilum vertas, iterum quæ digna legi sunt Scripturus. chart. reg.* charta regia est macrocolon, membrana longior: nos, Royal-papier. vid. Grævius ad Cic. Att. XIII. 25. XVI. 3. cf. *Schwartz.* libr. l. p. 24. *novi libri* intellige involucra et tegumenta librorum. De modo compingendorum apud veteres librorum fuse ad hunc locum disputat Vossius. *novi umbilici*: umbilicus fuit bacillus teres, extremæ voluminis oræ eo consilio impactus, ut volumen illi circumvolveretur, cujus eminentes utrimque partes, auro, argento vel alio metallo præmuniri solitæ, vocabantur *cornua.* Ovid. Trist. I. 1, 8. cf. Ill. Heyne ad Tibull. III. 1. 13. *lora rubra*, corrigiæ, quibus veteres in colligendis constringendisque voluminibus usi sunt. vid. *Schwartz.* l. l. p. 88, 89. *membrana directa plumbo,* h. e. versus in membrana diligenter ad lineas parallelas plumbo ductas directi et exarati sunt. vid. de hac re præter *Vossium* ad h. l. *Salmasius* ad Solin. p. 917. *Schwartz.* l. l. p. 33. et *Funccius* de *scriptura veterum* p. 136. Græcis vocabatur hic stilus plumbeus vel tenuis illa, ut vult Salmasius, e plumbo lamina, *παράγραφον*, et Latinis recentioribus *præductal.* Paul. Silentiarius Epigr. L. in Anal. Vet. P. Gr. T. III. p. 87. edit. Brunck. ita describit hoc instrumentum plumbeum:

Γυρὸν κυανέης μόλιβον σημάντορα γραμμῆς.

et Julian. Ægypt. Epigr. X. T. II. p. 495. hoc modo:

Ἀχλινέας γραφίδεσσιν ἀπιθύνοντα πορείας
Τόνδε μόλιβδον etc.

pumice omn. æq. vid. ad Carm. I. 2.

9. *Tum bellus.* lepide et graphice depingit *bellum hominem* Mart. III. 63. in Cotilum:

Cotile, bellus *homo es: dicunt hoc, Cotile, multi.*
Audio: sed quid sit, dic mihi, bellus homo.
Bellus homo est, *flexos qui digerit ordine crines:*
Balsama qui semper, cinnama semper olet:
Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat,
Qui movet in varios brachia volsa modos.

cætera, si lubet, apud ipsum vide. *ille* cum emphasi quadam notat aliquem jam per se satis notum. vid. *Brouckhus.* ad Tibull. I, 4. 19.

10. *Unus caprimulgus,* h. e. plane et quantus quantus est. [ganz Bauer] *caprimulgus* proprie, qui capras mulget. *abhorret* scil. ab illa, quam præ se ferebat, urbanitate. *mutat,* h. e. mutatur: sæpiuscule enim hoc verbum *ἀμεταβάτως* usurpatur. præter Vulpium ad h. l. vid. *Cort.* ad Sallust. Bell. Jugurth. XXXVIII. 10. et quos laudat *Drackenb.* ad Liv. III. 10. T. I. p. 577.— *qui modo scurra,* facetus et dicax, *aut si quid hac re tritius* eleganter: aut si quis magis adhuc scurra urbano tritus et subactus quasi est in loquacitate. *scurra* autem honestiori illo sensu,

Rursus videtur: tantum abhorret, ac mutat.
Hoc quid putemus esse? qui modo scurra,
Aut si quid hac re tritius, videbatur,
Idem inficeto est inficetior rure,
Simul poemata attigit: neque idem unquam
Æque est beatus, ac poema cum scribit:
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur; neque est quisquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. Suus quoique attributus est error:
Sed non videmus manticæ quod in tergo est.

11. *Ac nutat* Muret.
13. *Si quid hac re tristius* perperam in antiqq. quibusdam editt.
21. *Manticæ quid* in nonnullis.

quem primum habebat, interpretandus videtur.

15. *Simul*, simulac, ut sexcenties.

17. *Tam gaudet in se.* commode laudant Hor. Epist. II. 2. 107.

Gaudent scribentes, et se venerantur, et ultro,
Si taceas, laudant; quicquid scripsere beati.

18. *Idem fallimur*, h. e. eadem vel simili re.

20. *Suus quoique attributus error.* Similiter Propert, II. 22. 17.

Unicuique dedit vitium natura creato.

cf. Hor. Sat. I. 3. 68. 21. *Sed non vid. mant. qu. in tergo est.* respicitur notissima illa fabula Æsopi de duabus peris, quam tractavit etiam Phædr. IV. 9. cf. Pers. IV. 23. Hor. Sat. II. 3. 299. et quem laudat Vulpius, Seneca de Ira II. 28.

CARMEN XXIII.

AD FURIUM.

Furi, quoi neque servus est, neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis;

Furius, cum summis rerum angustiis laborans et durissima quæque paupertatis incommoda perpetiens, centum sestertia ad melioris vitæ fructum sibi optasset, enumeratis variis paupertatis commodis, salse, ut luderet hominem famelicum poëta, ab hoc temerario voto revocatur. Comparandus omnino cum nostro est Martial. XI. 32.

1. *Arca*, ubi pecunia servatur. cf. Ramirez de Prado ad Martial. I. 77. 5. *nec cimex* de lectulo, quod plenius dixit Martial. l. c. v. 1. *nec tritus cimice lectus. neque ignis* de foco; Martial. l. c. *Nec toga nec focus est.*

Verum est et pater, et noverca, quorum
Dentes vel silicem comesse possunt:
Est pulchre tibi cum tuo parente,
Et cum conjuge lignea parentis.
Nec mirum: bene nam valetis omnes,
Pulchre concoquitis, nihil timetis:
Non incendia, non graves ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.
Atqui corpora sicciora cornu,
Aut, si quid magis aridum est, habetis,
Sole, et frigore et esuritione.
Quare non tibi sit bene ac beate?
A te sudor abest, abest saliva,
Mucusque, et mala pituita nasi.
Hanc ad munditiem adde mundiorem,
Quod culus tibi purior salillo est;

12. *Aut qui* Stat. in suo et duobus libris Maffei repererat, unde ipse legendum putabat *Ut qui*, reclamante Vossio.

5. *Est pulchre tibi cum tuo par.* Felicem et beatam vitam in hac rerum tuarum conditione vivis cum par. cet. *conjux lignea*, h. e. arida, exsucca. cf. Lucret. IV. 1155. eodem sensu senem illum apud Terent. *aridum* dici puto Heautont. III. 2. 15.

7. *Bene n. val. omn.* Laudant Hor. Sat. II. 2. 70.

10. *Non facta imp.* furta vel cædes hominum improborum.

11. *Casus alios pericul.* debebat esse *aliorum periculorum*, sed hæc epithetorum permutatio, (hypallagen vocant Grammatici) poëtis latinis est frequentissima. *casus subitorum periculorum* dicit Cicero in Epist. ad Famil. VI. 4. ubi vide, quæ ad hoc carmen observat Victorius.

12. *Atqui.* referenda hæc particula videtur inprimis ad v. 9. ut sit: non incendia timetis, cum tamen corpora cornu sicciora habeatis, quæ facillime flammam concipere posse videntur. Aliter vix nexus orationis apparet. Vossius *atqui* explicat *et certe*; sed nec hoc quadrare videtur, nisi mavis *atqui* explicare: porro, huc accedit quod, sed in hac significatione nuspiam hanc particulam me legere memini. *Corpora sicca* plerumque gaudent salubritate, quia siccitas oritur e continentia, laboribus, et exercitationibus. cf. Cicero Tuscul. V. 34. et Xenoph. Cyropæd. I. 2.

17. *Mucusque et mala pit.* mucus et pituita ita inter se differunt, ut ille de crassiori, hæc de liquidiori nasi excremento dicatur.

19. *Purior salillo.* mira quadam puritate salem tractare solebant veteres et præ ceteris vasis præcipue salinis nitorem et splendorem conciliare. Vide, quæ in hanc rem collegit Meursius ad Lycophr. v. 135. ubi sal ἁγνίτης πάγος vocatur.

Nec toto decies cacas in anno:
Atque id durius est faba et lapillis:
Quod tu si manibus teras, fricesque,
Non unquam digitum inquinare possis.
Hæc tu commoda tam beata, Furi,
Noli spernere, nec putare parvi:
Et sestertia, quæ soles, precari
Centum desine; nam sat es beatus.

21. *Lupillis* præter necessitatem legendum esse censebant Guilielmius et Hottomannus.

20. *Nec toto decies.* Imitatus est Martial. lib. XII. 56. 1.

26. *Quæ soles* scil. precari. *desine precari*, voto tibi exposcere, optare.

CARMEN XXIV.

AD JUVENTIUM PUERUM.

O qui flosculus es Juventiorum,
Non horum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut posthac aliis erunt in annis,
Mallem divitias mihi dedisses
Isti, quoi neque servus est, neque arca;

4. *Mallem delicias mihi dedisses, Quam isti* Muret. et in quibusdam vett. *mi dedisses* invenisse se ait Vossius in omnibus libb. script. unde fecit *Midæ dedisses.* Heinsius in not. ad Catullum totum locum ita constituendum arbitratur. *Mallem delicias mihi dedisses, Quam sic te sineres ab isto amari, Isto, cui neque servus est neque arca. Quid? non est homo bellus? inquies.*

Cum Juventio, egregio gentis suæ ornamento, expostulat, quod homini misero et inopi (haud dubie Furio) florem ætatis suæ attrectandum dederit, cujus egestati, utut illam excusare tentet, consulere potius debebat stipe et pecunia. Cum superiori hoc carmen conjungendum esse parum probabiliter statuit Heinsius in notis ad Catull. p. 639.

1. *O qui flosculus es*; egregie in gente tua exsplendescis et præmines. *Flosculum* et *florem* sæpe de cujuslibet rei præstantia, præcipue de juvenili ætate dici, in vulgus notum. Exempla vide apud Muret. ad h. l. et nos ad Carm. XVII. 14. de nobilitate autem gentis Juventiæ consule Vulp.

2. *Non horum modo,* cet. cf. Carm. XLIX. 2.

4. *Mihi,* ut *sibi, tibi, nobis, vobis* sæpe παρέλκει non solum in græca et latina, sed omnibus pæne linguis. vid. Rittershus. ad Oppian. Cyneg. I. 89. Drackenborch. ad Sil. Ital. I. 46. Burmann. ad Phædr. I. 22. 3. et quos laudat Cl. Beck ad Aristoph. Aves v. 146.

5. *Isti* cum contemtu pro ipso nomine.

Quam sic te sineres ab illo amari.
Qui? non est homo bellus? inquies. Est:
Sed bello huic neque servus est, neque arca.
Hæc tu, quam lubet, abjice elevaque:
Nec servum tamen ille habet, neque arcam.

7. *Cui nil est.* Muret. *cui non est* Stat. *Hui! non est homo bellus, inquies? est.* Meleag.
9. *Hoc* in quibusdam.

6. *Sic*, tam inhonesto modo.
7. *Homo bellus.* cf. ad Car. XXII. 9.
9. *Abjice*, parvi pende *elevaque* (λόγω κούφιζε,) verbis emolli et extenua. *Nec servum tamen*, est et manet tamen homo pauperrimus.

CARMEN XXV.

AD THALLUM.

Cinæde Thalle, mollior cuniculi capillo,
Vel anseris medullula, vel imula oricilla,
Vel pene languido senis, situque araneoso:
Idemque Thalle, turbida rapacior procella,

2. *Inula moricilla* vel *moricula* vel *molicellu* corrupte in libb. MSS. unde fluxit satis lepida conjectura Statii *inula amaricilla.* In edit. prima Mureti et aliis vetustioribus legitur *hinnula tenella.* Alia lectionis monstra piget addere.

Thallum, hominem mollissimum eundemque rapacissimum, qui pallium et quædam alia furaci manu Catullo surrepta tanquam sua palam habere non erubescebat, graviter monet, ut mox illa sibi remittat, nisi pœnas contumeliosas in molli corpore flagellis exigendas dare velit. cf. supra Carm. XII. Versus sunt septenarii.

1. *Thalle* est fortasse nomen fictum, adolescentiæ indicandæ causa, a græca voce θαλλὸς *de germine oleæ et quavis fronde viridi* dictus.—*moll. cunic. capillo,* ad omne genus pilorum transferri *capillum* exemplis probavit Drackenborch. ad Liv. Tom. IV. p. 597.

2. *Anseris medullula.* Eadem comparatione ad summam hominis cujusdam impudici mollitiem describendam usus est auctor in Lus. LXV. 1.—*vel imula oricilla.* imitatus est Cicero ad Quint. fratrem II. 15. ubi est *auricula infima mollior.*

3. *Situque araneoso.* intelligitur suspensa in locis desertis aranearum textura, natura sua mollissima, quæ etiam in Lus. LXXXIII. 29. *situs araneosus* dicitur, ubi vid. Burmannus Secund.

4, 5. Locus valde impeditus et vario modo tentatus (vid. Var. Lect.) cujus integritatem ne sic quidem, ut nunc ex emendatione Scaligeri omnibus fere probata legitur, præstare velim. Quantum fieri poterit, rem interpretatione emollire studeamus. Comparatur Thalli rapacitas *turbidæ* et omnia secum ab-

Cum de via mulier aves ostendit oscitantes:
Remitte pallium mihi meum, quod involasti,
Sudariumque Sætabum, catagraphosque Thynos,
Inepte, quæ palam soles habere, tanquam avita.
Quæ nunc tuis ab unguibus reglutina et remitte;

5. Mirum in modum turbant in hoc versu libb. vett. in plurimis est: *Cum diva mulier aves* (pro quo in quibusdam *alites* vel *alios*) *ostendit oscitantes.* in Muret. edit. I. *Cum diva mater alites ostendit occinentes.* pro *occinentes* offert Stat. *oscinentes.* notatu digna et nemini observata est lectio, quam reperi in edit. Gryph. ab anno 1537. *Cum dira maris hyems aves ostendit oscitantes.* quæ quidem lectio, modo metrum constet, sensum admodum commodum fundit hunc: Quando mare sæviens in conspectum venire sinit aves oscitantes, h. e. diducto ore clamitantes. Intelligi inprimis debent halcyones vel fulicæ. Vossius ex optimo exemplari, quod olim fuit Palatinæ Bibliothecæ, profert: *Cum diva Malia naves ostendit oscitantes,* unde effingit *Quum clivias Malea aves ostendit oscitantes.* Heinsius campum hic nactus, ubi exsultaret ingenium suum, legendum esse pronunciat in Not. ad Catul. *Cum Clivias Malea aves ostendit arce nantes,* vel: *Cum devias mare alites ostendit obnatantes.* Nostra lectio *Cum de via mulier* debetur ingenio Scaligeri.

7. *Catagraphonque linum* Muret. *catagraphonque linon* in edit. Brix. et Venet. *cyrographosque Thynos* invenerat Scaliger in suo MS. unde ipse conjicit *chirographosque,* quod et Salmasio primum arrisit, postea vero maluit *cirographosque,* i. e. *cerographosque* et explicat de annulis signatoriis sculpturæ Bithynicæ. *catagraphonque Thynon* exhibet Vossius et exponit de pugillaribus membranaceis et buxeis, quorum quatuor pagellæ diversis coloribus, purpureo, croceo, viridi et coccineo pictæ et exornatæ fuerint; Bithyniam autem omnibus iis, quibus ejusmodi pugillares conficerentur, vel maxime instructam fuisse confirmat.

ripienti *procellæ,* qualis fere instat, *cum de via mulier* (quævis saga, ἡ τυχοῦσα) *ostendit* (se observasse ait) *alites oscitantes,* magno clamore (hianti ore) tempestatem præsagientes, vel: cum monet de alitibus oscitantibus. *ostendere* est verbum augurale. ad *aves oscitantes* fortasse referri possunt fulices, de quibus *Cicero de Div.* I. 8. 14. ex veteri poëta:

Cana fulix itidem fugiens e gurgite ponti,
Nunciat horribiles clamans instare procellas,
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.

pro *oscitantes* mihi in mentem veniebat *ominantes,* scil. turbidam procellam. Sed nescio quid duri et frigidi in toto hoc versu remanet, qui fortasse pannus assutus scioli cujusdam est.

6. *Remitte pallium,* quod fortasse in balneis Catullo clam subduxerat Thallus. Utebantur etiam Romani pallio in cœnis. vid. Fulv. Ursin. in Appendice ad Petrum Ciacconium de Triclinio p. 238. *quod involasti: involari* eleganter dicuntur res, quibus summo cum impetu et celeritate manus injicimus.

7. *Sudariumque Sætabum.* vid. supr. ad Carm. XII. 14. *catagraphosque Thynos.* vix certe affirmari potest, quid per *catagraphos Thynos* intelligendum sit. Achilles Statius non inepte explicat de hominibus Thynis seu Bithynis, in vestibus aut aulæis εἰκονικῶς acu pictis. Aliorum explicationes vid. in Var. Lect. Quicquid autem fuerit, variis certe coloribus et imaginibus distinctum et e Bithynia, cui finitima est regio Thynia, reportatum videtur.

8. *Tanquam avita,* hæreditatis jure accepta.

9. *Reglutina,* h. e. resolve. eleganter de furibus, quorum manus glutine quasi et visco illitæ omnibus rebus adhærent, easque tenaciter retinent. Sic infra Carm. XXXIII. 3. *dextra inquinatior* dicitur.—*Laneum latusculum,* h. e. molle.

Ne laneum latusculum, natisque mollicellas,
Inusta turpiter tibi flagella conscribillent,
Et insolenter aestues, velut minuta magno
Deprensa navis in mari, vesaniente vento.

10. *Manusque molicellas* Muret. et aliae antiquiores.

11. Etiam huic versui varias et ridiculas formas induit criticorum sedulitas. alius mavult *inlusa flagella*, alius *infecta*, alius *invisa*, alius *insuta*, alius (facile agnosces Corradinum de Allio) vere insulse *insulsa*. pro *conscribillent* in aliis est vel *concribillent* vel *constrigillent* vel *consigillent* vel *conserillent* vel (ohe! jam satis est?) *contribillent*.

11. *Inusta flagella*. uruntur enim fere homines flagellis vehementius caesi. Sic *loris uri* apud. Hor. Epist. I. 16. 47. *loris non ureris, ajo.—conscribillent* h. e. dilacerent, dilanient. Plaut. Pseudol. I. 5. 131, 132.

Quasi in libro cum scribuntur calamo literae, Stilis me totum usque ulmeis conscribito. Sic ἐπιγράφειν χρόα apud Hom. Iliad. IV. 139. et ἐπιγράφειν ταρσὸν ποδὸς XI. 388.

12. *Insolenter aestues*, praeter modum subagiteris et iacteris. *velut deprensa navis*, tempestate abrepta. *deprendere* est verbum proprium in re nautica: vid. Bentleium ad Hor. Od. I. 14. 10. et Burmann. ad Phaedr. Fab. V. 4. 10. *minuta* respondet τῷ *magno*, quo perpetuo fere epitheto *mare* e poëtis insigniri solet. Sic Graecis ἅλς δῖα, ἱερά. adi Burmannum ad. Val. Flacc. I. 50. et quos ibi laudat.

CARMEN XXVI.

AD FURIUM.

FURI, villula nostra non ad Austri

1. *Vestra* in L. MSC. et tribus editt. antiquissimis teste editore Cantabrigiensi. Eandem lectionem in quibusdam libris scriptam invenit Vossius.

Argumentum hujus carminis pendet a dubia lectione versus primi, ubi pro *nostra* in nonnullis exstat *vestra*. Si *vestra* vera sit lectio, ut nobis videtur, omnis lusus ad Furii inopiam deridendam pertinebit, cujus villula horribili vento opposita. h. e. creditoribus oppignorata dicitur. Responderi quidem potest, et a Vulpio jam responsum est, Furium ne cimicem quidem et araneum (ut noster de illo canit Carm. XXIII.) nedum villulam possedisse; sed primum quis nescit verba poëtae non ad vivum resecanda esse, deinde verissime etiam hoc dici poterat de homine, cujus rem familiarem aes alienum superaret. Quodsi vero cui altera lectio *nostra* verior videatur, is animo sibi fingat, Furium a Catullo pecuniam et fortasse centum illa sestertia (de quibus vid. Carmen XXIII. 23.) petiisse, Catullum autem, jocose indicato, quo ipse prematur, aeris alieni pondere, has preces a se removisse. Sed mihi persuadere non possum, tam ingenue Catullum angustae rei suae statum patefecisse Furio, in cujus egestate carpenda ingenium suum exercere solebat.

Flatus opposita est, nec ad Favoni,
Nec sævi Boreæ, aut Apeliotæ,
Verum ad millia quindecim et ducentos.
O ventum horribilem atque pestilentem!

4. *Ducenta* in quibusdam. vid. Gronov. de Pec. Vet. in notis laudatus.

2. *Opposita est.* ludit poëta in ambigua hujus verbi significatione, qua villula primum ventis, deinde pignori, ob millia quindecim et ducentos sestertiûm tanquam hypotheca, ut JCti loquuntur, opposita dicitur. *opponere* pro *oppignorare* est apud Senec. de Benef. VII. 14. *Rebus meis ad securitatem creditoris oppositis.* alia exempla collegit Vulpius.—*Apeliotæ,* de hoc vento vid. Plin. II. 47. et Gell. Noct. Attic. II. 22.—*ad millia quind. et ducentos* sc. sestertios ad sestertium. Faciunt autem *sestertium quindecim millia et ducenti* ex ratione Gronovii de Pecun. Vet. III. 17. p. 549. denarium tria millia septingentos quinquaginta, coronatos CCCLXXV.—

5. *Ventum horribilem, πνεῦμα φοβερόν.*

CARMEN XXVII.

AD POCILLATOREM PUERUM.

MINISTER vetuli, puer, Falerni,
Inger mi calices amariores,
Ut lex Posthumiæ jubet magistræ,

2. *Ingere* Muret. contra metri rationem, pro quo ipse in notis *inger* legendum esse existimat. *Jungere* et *ingue* reperit in libb. vett. Vossius. *junge* affert Heins. in not. ad Catullum e codice Britannico Archiepiscopi Cantuariensis. *misce* invenit Dousa Fil. quod glossam sapit.

Pincernam evocat poëta ad administranda pocula mero vetustiori plena, aquam autem, vini perniciem, ad severiores migrare jubet. Est hoc carmen vere Anacreonticum, qualia complura cecinit etiam Flaccus. cf. Epod. IX. 13.

1. *Minister* proprie de eo, qui pocula et epulas ministrat. vid. Burm. Advers. p. 83.

2. *Inger* h. e. infunde. nihil amplius. Plaut. Pseudol. I. 2. 24. *Tu, qui urnam habes, aquam ingere. inger* antique pro *ingere*, ut *biber* pro *bibere*—*calices amariores*, h. e. vino amariori impletos. *vinum amarum* (herber Wien) est vinum vetus; *delectat* enim *amaritudo in vino nimis veteri*, ut ait Seneca Ep. LXIV. Eodem modo *vinum Falernum* apud Hor. Od. I. 27. 9. dicitur *severum*.

3. *Ut lex Posthum. jub. mag.* creabantur enim in conviviis apud veteres plerumque talorum jactu (Hor. Od. I. 4. 27. *Nec regna vini sortiere talis*) magistri convivii, quorum quidem munus vel *magisterium* (ut vocat Cic. Cat. Maj. II. 4.) præcipue in ferendis bibendi legibus versabatur. Iidem dicti sunt vel *modimperatores*, vel *reges*, vel *domini convivii*, vel *cœnæ patres*, vel *strategi*, vel *dictatores*, vel *ar-*

Ebriosa acina ebriosioris.
At vos, quo lubet, hinc abite lymphæ,
Vini pernicies, et ad severos
Migrate: hic merus est Thyonianus.

4. *Acino* Stat. male! vid. Gell. VII. 22.

bitri bibendi. (Græcis *συμποσίαρχοι, βασιλεῖς τοῦ συμποσίου* cet.) Præter Fulv. Ursin. in Appendice ad Petr. Ciaccon. p. 339. seqq. adi interpretes ad Cic. l. c. et ad Petronium cap. 55. et Potter. Archæol. IV. 20. p. 323. *Posthumia* autem, mulier bibula et vinolenta, quæ *acina ebriosa ebriosior* dicitur, admodum liberalis *magistra* in moderanda potatione fuisse videtur. *Ebriosus* est, qui sæpe fit ebrius, vinolentiæ deditus, et *ebriosa acina* (usitatius *acinus* et *acinum*) est nucleus uvæ (vinaceum vocat Columella) in succo et musto natans, vel succo turgens. cf. Gronov. Diatribe in Statii Libr. c. 13. p. 75.

6. *Vini pernicies:* contra Propertius II. 24. 27.

Ah pereat, quicunque meracas repperit uvas,
Corrupitque bonas nectare primus aquas.

ad severos, sobrios, tristes et morosos, cum quibus nihil negotii Bacchus habet. cf. Tibull. III. 6. 21. *hic merus est Thyonianus*, h. e. a nobis nil nisi merum bibitur; finge tibi poëtam in manu jam tenentem poculum. *Thyonianus* vel *Thyoneus* (Hor. Od. I. 17. 23.) Bacchus ab ejus matre Thyone, quæ et Semele vocatur, ita dictus. cf. Rittershus. ad Oppian. Cyne. I. 27. De Bacchi matre, Thyone, quam ex inferis in cœlum duxisse perhibetur filius, narrat Diod. Sicul. III. 62. et IV. 21. ubi cf. Wesseling.

CARMEN XXVIII.

AD VERANNIUM ET FABULLUM.

Pisonis comites, cohors inanis,

Verannius et Fabullus, cum sordidam Pisonis, quem in Hispaniam secuti fuerant, adeo experti essent avaritiam et illiberalitatem, ut plus expensi quam accepti in tabulis, adeoque nihil plane in provincia illis paratum esset in loculis, jocose jam post reditum de rerum suarum conditione examinantur a poëta, qui, quam illi in Pisonis, eandem ipse olim in Memmii comitatu avaritiæ experientiam fecerat. Addita igitur admonitione, quam parum tuta spes sit in patrocinio nobilium posita, ejusmodi detestandis prætoribus, Romanæ gentis dedecoribus, mala quælibet indignabundus imprecatur.

1. *Pisonis comites.* innuitur ex sententia Parthenii, quem sequitur Vulpius, Cn. Calpurn. Piso, qui, teste Sallust. (in Catilin. c. 18.) in citeriorem Hispaniam quæstor pro prætore (h. e. *cum imperio et dignitate prætoria*) missus est. Sed prætor etiam in Hispania fuit L. Calpurnius Piso, Pisonis, qui primus *Frugi* dictus est, filius. de quo vid. Cic. Verrin. IV. 25. et Liv. LXV. 20. In Hispaniam certe prætorem secutos esse Verannium et Fabullum, colligere possumus ex Carm. IX. et XII.—*cohors inanis* nihil ex provin-

Aptis sarcinulis et expeditis,
Veranni optime, tuque, mi Fabulle,
Quid rerum geritis? satisne cum isto
Vappa, frigoraque et famem tulistis?
Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expensum? ut mihi, qui meum secutus
Prætorem, refero datum lucello:
O Memmi, bene me, ac diu supinum
Tota ista trabe lentus irrumasti.
Sed, quantum video, pari fuistis
Casu: nam nihilo minore verpa

8. *Ratum in lucello* vel *datum in lucello* tentat Heins. in notis ad Catull.

9. In edit. Muret. et aliis hic novum carmen exorditur, sed contra fidem MSCC. et antiquissimarum editionum, ut testantur Vossius, Statius et editor Cantabrigiensis. Certe, quæ sequuntur, optime respondent antecedentibus. Qui hoc carmen divellunt, *fuisti* pro *fuistis* in v. 11. et *es fartus* pro *farti estis* in v. 13. invitis codicibus legunt. Heinsius in not. ad Cat. misere in hoc carmine emendando fluctuat. modo pro *es fartus* vult *Is fartus*, modo probat, quod Achill. Stat. scripti codices habent: *pari fuistis casu* et *Farti estis*, modo recte codicem Oxoniensem ex uno duo epigrammata facere judicat. pro *lentus* in v. 10. *Vossius* ex veteribus libris reposuit *tentus*.

cia reportans. de *cohorte* vid. supr. ad Carm. X. 11.

2. *Aptis. sarc. et exp.* sarcinæ *aptæ* sunt, quæ commode gestari possunt, ad gestandum bene aptæ et accommodatæ, parvæ et habiles. *expeditæ* parum oneratæ, concinnæ.

5. *Cum isto Vappa.* hæc vox translata a vino corrupto notat hominem nequam et nullius pretii, quemadmodum apud Aristophanem ὀξίνης.

6. *Ecquidn. in tab. pat.* cet. Sensus est: Num expensum in tabulis vestris tanquam lucrum et acceptum apparet? ut mihi olim accidit, cum prætorem meum in Bithyniam secutus *datum* h. e. expensum (*das zugesetzte*) lucri et accepti loco in tabulis scribere cogerer. Faciebat igitur in tabulis, ubi lucrum vel acceptum apparere debebat, utramque paginam *expensum.* cf. Gronov. de Pec. Vet. III. 17. pag. 557. *patet* eleganter et proprie in ratione tabularum pro *est, exstat, apparet.*

9. Graviter ipsum Memmium jam alloquitur, cujus in simili amicorum casu recordatio antiquum ex sordida ejus avaritia et illiberalitate sibi inflictum dolorem refricuerat. Quæ quidem inopinata ad hominem absentem nequam ἀποστροφὴ quantam vim habeat ad vehementiorem animi commotionem exprimendam, non sensisse videntur, qui novum carmen hic incipere statuerent, et ab antecedente sejungerent. vid. Var. Lect. de *Memmio* vid. supr. ad Carm. X. 12. *bene me ac diu sup.* cet. h. e. turpiter et inhoneste me tractasti, sordide et illiberaliter mecum egisti. Verbis obscenis et impudica imagine rem non obscenam, sed turpem et inhonestam expressit. vid. ad Carm. X. 12. Si verborum proprietatem spectes, *supinus* adumbrat σχῆμα hominis muliebria patientis. *trabs* est τὸ ἀνδρῶν αἰδοῖον. cf. Barth. Advers. LXI. 12. quemadmodum *columna* apud Martial. XI. 51. *lentus*, Veneris usu lassus, languidus, confectus. Propert. II. 15. 8.

12. *Nam nihilo min. verp. farti est.* ab æque turpi homine male mulctati

Farti estis. Pete nobiles amicos.
At vobis mala multa Dii Deæque
Dent, opprobria Romuli Remique.

estis, æque sordidi et impuri hominis avaritiam experti estis. *pete nobiles amicos*, cum indignatione quemlibet ab aditu ad viros nobiles revocat; i nunc, quisquis es, inquit, et a nobiliorum patronorum liberalitate exspecta commoda! hoc est petere et adire amicos potentes! tanta ab iis redundare solet utilitas!

15. *Opprobria Rom. Rem.* Romanæ gentis dedecora, ἐλέγχεα, λῶβαι, cf. Bentlei. ad Hor. Od. 1. 37. 9.

CARMEN XXIX.

IN CÆSAREM.

Quis hoc potest videre, quis potest pati,
Nisi impudicus, et vorax et aleo,
Mamurram habere, quod Comata Gallia

2. *Helluo* Voss. quem sequitur Bipont. non plane inepte puto ob vers. 17. ubi est *helluatus est*. Sed nostram lectionem *aleo* mordaciter tenent antiquissimæ editt. fere omnes. Eadem vox restituenda videtur Sallustio Catil. XIV. 2. ubi pro *ganeo* rectius in quibusdam legitur *aleo* ob sequentem vocem *manu*.

Contumeliosis proscindit Cæsarem conviciis, quod Mamurram (quocum turpiter ille consuesse videtur, cf. Carm. LVII.) ad summas importuna sua liberalitate evectum divitias profuse jam omnia perdere et deglutire, et ad explendam libidinem strenue consumere, tam æquo animo videat et patiatur. Simillimum igitur Mamurræ censet ipsum Cæsarem, qui ejusmodi hominem ferre et fovere possit, eumque ignominiosis illis dictis, quæ proprie in Mamurram cadebant, maligno dente lacerat et perstringit. Graviter inprimis et salse ab illo quærit, an eo nomine et consilio ad orientes populos debellandos profectus sit, ut ingentes divitiarum copias Mamurræ dissipandas devorandasque pararet.—Quamquam igitur hoc contumelioso in Cæsarem carmine vix quicquam cogitari potest audacius et poëtæ periculosius, illum tamen tam leni fuisse ingenio tradit Sueton. (Cæs. LXXIII.) ut, quod vix credas, *Catullum, a quo sibi versiculis, de Mamurra, perpetua stigmata imposita non dissimulaverat, satisfacientem*, h. e. dementiam facti excusantem, *eadem die adhibuerit cœnæ, hospitioque patris ejus, sicut consueverat, uti perseveraverit*, h. e. patri Catulli hospitium, olim institutum, propter injuriam a filio acceptam, non renunciaverit, ut recte ibi interpretatur et egregie tam ad Scaligeri subtilitates ad Euseb. Chronic. MDCCCCLX propositas, quam ad Vossii argutias ad h. l. respondet Ernesti. — Cæterum Mamurra fuit præfectus fabrum Cæsaris in Gallia, de cujus insano luxu est locus classicus apud Plin. XXXVI. 6. cf. Bayle Diction. Historique et Critique s. v. Mamurra T. II. p. 2020.

3. *Habere*, h. e. possidere, in manu et potestate sua habere, ut ἔχειν apud Græcos. vid. si tanti est, Dracken-

Habebat uncti et ultima Britannia?
Cinæde Romule, hæc videbis et feres?
Es impudicus, et vorax, et aleo.
Et ille nunc superbus et superfluens
Perambulabit omnium cubilia,
Ut albulus columbus, aut Adoneus?

4. *Habebat omnis* Muret. *cuncta* Scaliger, unde ipse restituit *unctum*. In MSSC. Statii erat *cum te*, unde Faernus acutissime revocavit *uncti*.

5. *Hoc videbis* Heins. in not. ad Catull.

6. Expunxit hunc versiculum Vossius, quem in libris MSSC. abesse præter Vossium testantur Scaliger et editor Cantabrigiensis. Exstat tamen in edit. Gryph. Muret. Græv. et aliis, nec turbare imo egregie rem et orationem, meo quidem sensu, juvare videtur. *circumfluens* Barth. ad Claud. in IV. Consul. Honor. v. 139.

9. Maffei, Scalig. et Stat. MSSC. offerunt *aut idoneus* præter unum, in quo est *aut ydoneus*, unde recte a Statio et Scaligero haud dubie genuina nostro vindicata est lectio *aut Adoneus*, pro quo nimis ingeniose vult Vossius *Aidoneus*. in vetustioribus quibusdam contra metri rationem legitur *aut Dionæus*. Heins. in not. ad Catull. vult. *Ut albulus columbulus Dioneus*, sed sic legerat jam Muretus.

borch. ad Sil. Ital. V. 264. et Græv. Cic. ad Ep. ad Div. VII. 29. *quod uncti habebat*, quibuscunque bonis et lautioribus rebus gaudebat, cf. supr. ad Carm. X. 11. *Comata Gallia* intelligitur Gallia omnis Transalpina præter Narbonensem provinciam, ut in vulgus notum. *ultima Britannia* cf. ad Carm. XI. 11.

5. *Cinæde Romule*. Romulus vocatur Julius Cæsar vel in universum pro *Romano*, ut *gens Romula*, *tellus Romula*, vel quia virtute bellica æque ac Romulus de patria meruerat; de virtute bellica enim nihil detrahit Cæsari poëta, imo eum vocat *imperatorem unicum*; eo gravius additur *cinædus* ob suspectam consuetudinem cum Mamurra, quamquam jam Nicomedis contubernio æterna fere pudicitiæ ejus macula inusta fuerat; unde notissima illa cantilena: *Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem*. vid. Suet. Cæs. XLIX. Muretus et Jan. Dousa in Præc. c. 3. in contemptum potius *Romulos* dictos fuisse volunt eos, qui *Romulo* essent dissimillimi; in quorum sententiam cf. Cortius ad Sallust. in Lepid. Fragm. p. 937. 6. *Es impudicus*. Si hoc potes ferre et videre, tu ipse es impudicus, cet.

7. *Superfluens* non libidine, ut argutantur interpretes, sed divitiis et omni rerum copia ad quælibet pro animi libidine impetranda abundans et instructus, ut apparet ex instituta comparatione in vers. 9. hinc *arrogans*, *insolens*, ὑπερφίαλος. *perambulabit*, graphice pro conscendet, polluet.

9. *Ut albul. col. aut Adon.* utraque comparatio non ad libidinem, [in laude enim potius est columbarum castitas. Propert. II. 15. 27.

Exemplo junctæ tibi sunt in amore columbæ,
Masculus et totum femina conjugium.]

sed ad externum splendorem et superbiam referenda videtur, quatenus Mamurra quolibet ornamentorum et pigmentorum genere condecoratus mulierculaarum oculos præstringere et auro, quod, ut Venusinus de Danae canit, *medios ire amat per satellites*, facilem accessum sibi parare solebat. *Albulus columbus* est pulcher, qui placet ob colorem, ut *Adonis* ob externam formæ speciem placebat. *Adoneus* pro *Adonis*, ut apud Plaut. Menæchm. I. 2. 35. Sic *Achilleus* pro *Achilles*, *Ulixeus* pro *Ulixes*. non video igitur, cur in hoc loco tam interpretando quam corrigendo adeo se torserint interpretes.

Cinæde Romule, hæc videbis et feres?
Es impudicus, et vorax et aleo.
Eone nomine, Imperator unice,
Fuisti in ultima Occidentis insula,
Ut ista vostra diffututa mentula
Ducenties comesset, aut trecenties?
Quid est? ait sinistra liberalitas,
Parum expatravit; an parum helluatus est?
Paterna prima lancinata sunt bona:
Secunda præda Pontica: inde tertia
Hibera, quam scit amnis aurifer Tagus.
Hunc, Galliæ, timetis, et Britanniæ?

11. Ex corrupta lectione *et si impudicus* male fecit Vossius *est impudicus.*

15. Verissima mihi visa est nostra in textum recepta lectio, in quam conspirant libri veteres Vossii et Scaligeri, vid. not. in MSC. Statii *Quid est. alit sinistra liberalitas.* Hinc Faernus: *Quid abstulit. Quid est alit* vel *alid* pro aliud. Stat. *an hæc sinistra liberalitas Parum expatravit?* ex conjectura *Avantii* probata Mureto et aliis, repetita nunc in edit. Bipont. Vulpius ad Statii conjecturam textum conformavit.

18. *Primum* male in vett. quibusdam.

20. *Quam auxit* perperam nonnulli. *quas et aurifer Tagus* sc. prædas attulit, parum ingeniose tentabat et interpretabatur Scaliger.

21. *Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ* ex ingenio Avantii, quem optimæ editt. secutæ sunt. *Hunc Galliæ timet et Britanniæ* Stat. MSC. sic tamen, ut inter verbum *timet*, et id quod sequitur paulum quid desit, quod eleganter sup-

12. *Imperator unice. unicus* latinis dicitur, qui parem sui non habet, qui in genere suo præstantissimus est. vid. Heins. operose hujus vocis usum adstruentem ad Ovid. Met. III. 454. *ultim. Occid. ins.* Britannia. *ista vostra diffut. ment.* lepida Mamurræ pathici descriptio. *ducent. aut trecent.* h. e. ducenties aut trecenties centena millia sestertium. *comesset,* dilapidaret, decoqueret. Sic *comedere nummos* apud Cic. ad Attic. II. 2. *bona comedere* ad Div. IX. 20. cf. Interpret. ad Horat. Epist. I. 15. 40. et Victor. Var. Lect. IV. c. 6.

16. *Quid est? ait sin. lib.* Quid tum? ait importuna tua liberalitas, ais male et importune jam liberalis. *parum expatravit,* non adeo multum absumsit libidine. Eodem sensu apud Sueton. Cæs. c. LI. dicitur *aurum effutuere*— Sed quæso, pergit poëta, *an parum helluatus est?* num dici hoc potest *parum?* mox recenset ipse perdita et consumta bona. *lancinata* h. e. lacerata, dissipata. vid. Cortius ad Sallust. Cat. XIV. 2.

19. *Secund. præd. Pontic.* Vossius accipit de lucro Cæsari olim ex contubernio M. Thermi prætoris et familiaritate Nicomedis Bithyniæ regis facto, alii intelligunt spolia, quæ superato Ponti rege Pharnace Cæsar retulerat. *tertia Hibera* recte interpretatur Vossius de præda belli Lusitanici. *quam scit,* de qua facta præda testis est Tagus, Lusitaniæ fluvius notissimus; sæpe enim fluvii rerum præclare gestarum testes advocantur a poëtis. cf. infr. LXIV. 358. Tibull. I. 7. 11. Virg. Eclog. 21. Hor. Od. I. 4. 38.

21. Sensus est: hunc igitur hominem nequam, Mamurram, vos o Galli et Britanni timetis, ne omnia vestra bona

Quid hunc, malum, fovetis? aut quid hic potest,
Nisi uncta devorare patrimonia?
Eone nomine, Imperator unice,
Socer generque perdidistis omnia?

plevit Faernus, pro *timet* una syllaba *is* addita *timetis* legens. *Hunc Galliæ timent et Britanniæ* in edit. Reg. 1. *Timentque Galliæ hunc, timent Britanniæ* Turnebus; at Scaliger, qui in libro suo invenerat *Hunc Galliæ timent tellus et Britannia* totum versum, ex quo ne extundi quidem possit sana sententia, spurium esse indicat.

22. *Quid hoc malum fovebis* tanquam concinnius commendat Vossius.

24. *Urbis opulentissimæ* editiones fere omnes ante Scaligerum. admodum dure et frigide!

deglutiat! *Quid hunc, malum, fovetis?* Sed cur per deos immortales istum fertis et patimini? *malum*, elegans particula de irascentibus et subito cum indignatione in verba erumpentibus. (nos: beym Himmel!) Terent. Heauton. III. 7. 38. *Quid, malum, me ætatem censes velle id adsimularier?* cf. Eunuch. IV. 7. 10. Adelph. IV. 3. 4. Plaut. Casin. I. 1. 3. et sæpe alibi. *uncta patrimonia*, opima et opulenta.

24. *Eone nomine*, sc. ut Mamurra, quod profunderet, haberet. *Socer generque* Cæsar et Pompeius. *perdidistis omnia?* sc. bello.

CARMEN XXX.

AD ALPHENUM.

ALPHENE immemor atque unanimis false sodalibus,
Jam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi:
Jam me prodere, jam non dubitas fallere, perfide.

Flebiliter queritur de perfidia Alpheni, a quo cum summam in arctissima ejus secum contracta amicitia et sanctissima sibi data fide poneret fiduciam, turpiter deceptus, et in re, ubi probare ille debebat præstitam fidem, præter omnem opinionem derelictus est; cujus quidem violatæ fidei deos ultores et vindices fore sibi persuasum habet. Quid illud fuerit, ubi Catullo defuerit Alphenus, non certo affirmari potest. Fortasse fraudem ei fecit in re amatoria, in quam ab ipso antea irretitus fuerat, cui quidem opinioni favere præcipue videntur v. 7. et 8. Cæterum mollissimus in hoc carmine sensus regnat, qui facile tangat et ad commiserationem moveat animum. Cf. Carm. LXXIII.

1. *Alphene*, vid. ad Carm. X. 1. *immemor* sc. datæ fidei. *unan. false sodalibus*, h. e. qui fallere soles sodales unanimos, ut *falsus amicis* apud Claud. Conf. Honor. IV. 278.

3. *Me prodere*, h. e. me deserere, destituere. Sic infr. carm. LXIV. 190. Ariadne se vocat *proditam*, a Theseo desertam. vid. Gronov. Observat. III. 20. et Græv. ad Cicer. pro L. Flacc. c. 41.

Nec facta impia fallacum hominum cœlicolis placent:
Quæ tu negligis, ac me miserum deseris in malis.
Eheu! quid faciant dehinc homines, quoive habeant fidem?
Certe tute jubebas animam tradere, inique, me
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia factaque
Ventos inrita ferre, et nebulas aërias sinis.
Si tu oblitus es, at Dii meminerunt, meminit Fides:
Quæ, te ut pœniteat postmodo facti, faciet, tui.

6. MSC. et veteres editiones *dico*, unde bene Statius fecit *dehinc*, quem sequitur Vossius. Pontanus volebat *dic*, quem sequuntur plurimi libri excusi.

10. *Ad nebulas* male Muretus. *ac nebulas* Statius. dure! ob ingratam repetitionem particulæ *ac* ex versu antecedenti, ubi erat *ac tua dicta*.

11. *At Di meminere, at meminit Fides* libet Mureti.

4. *Nec facta impia*, *nec* pro *non* vid. Drackenborch. ad Liv. I. 3. 27. T. I. p. 629.—630. Eadem gravitate de Deorum justitia Homer. Odyss. XIV. 83. 84.

'Ου μὲν σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσι:
'Αλλὰ δίκην τίουσι, καὶ αἴσιμα ἔργ' ἀνθρώπων.

cf. Tibull. I. 9. 24. et quæ congesserunt in hanc sententiam Gatackerus in Advers. Miscell. I. 7. p. 214. et Rittersh. ad Oppian. Halieu. II. 687. p. 257.

5. *Quæ tu neglig.* quæ tu tanquam levia parum curas et parvi pendis. *animam tradere* dicuntur illi, qui plane alicui se devovent et committunt, vitam et omnia sua alicui credunt.

8. *Inducens in amorem.* inducere est fallacia et dolo malo pellicere, ut decipias. exempla dabit Broukh. ad Tib. I. 7. 1.

10. *Ventos irrita ferre.* cf. infra ad Carm. LXIV. 58. 59.

11. *Fides.* Divinis apud Romanos *Fidem* cultam esse honoribus, res est satis nota; memorabile autem est solemne illud, quod Numam Pompilium huic Deæ instituisse tradit Liv. I. 21. ubi miror, *Strothium* ex loco satis perspicuo se expedire non potuisse; verba ibi sunt: *Et soli Fidei solemne instituit*, h. e. *Fidei soli* præ ceteris diis deabusque omnibus *solemne*, singulari quodam more et ritu celebranda sacra instituit et sacravit, nimirum, *ad id sacrarium*, pergit Livius, *flamines bigis, curru arcuato, vehi jussit, manuque ad digitos usque involuta rem divinam facere: significantes fidem tutandam, sedemque ejus etiam in dextris sacratam esse.* Hic locus igitur minime sollicitandus, aut verbis, quæ excidisse videbantur Strothio, supplendus videtur.

CARMEN XXXI.

AD SIRMIONEM PENINSULAM.

PENINSULARUM, Sirmio, insularumque
Ocelle, quascunque in liquentibus stagnis,
Marique vasto fert uterque Neptunus:
Quam te libenter, quamque lætus inviso!
Vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos
Liquisse campos, et videre te in tuto.
O quid solutis est beatius curis?

Exsultat præ lætitia poëta, cum ex Bithynia reversus villulam suam ante oculos videt, in cujus sinu, curis abjectis omnibus, suaviter et tranquille nunc delitescere et animum onere et laboribus ex itinere fessum recreare possit.—Dulcissimos sane hoc carmen ex vitæ rusticæ felicitate concipiendos sensus propinat et excitat, et liquidissimam illam, qua, qui ex longa laboriosaque peregrinatione domum reversi omnia ibi quieta et composita reperiunt, demulcentur voluptate, egregie et vivis coloribus exprimit.

1. *Sirmio* miræ amœnitatis peninsula in agro Veronensi ad lacum Benaci, qui nunc *Lago di Garda* vocatur, sita, ubi prædium habuit Catullus. vid. Cellar. in Not. Antiq. Orb. T. I. lib. 2. c. 9. p. 639. *ocelle* optima et præstantissima, eleganter enim, *oculis*, præstantissima corporis nostri parte, res optimæ et nobis carissimæ denotantur. Similiter Cicero villulas suas *ocellos* vocat ad Att. XVI. 6. et sic sæpe apud Græcos ὄμμα et ὀφθαλμὸς de rebus præstantioribus dicitur. Adrastus apud Pindarum Amphiaraum ob præcipuas ejus virtutes vocat ὀφθαλμὸν τῆς στρατιᾶς Olymp. VI. 27. et ἀνθῶν ὀφθαλμὸς est *rosa* apud Achill. Stat. II. 1. vid. quæ præter Victorium Var. Lect. IX. 9. in hanc rem notarunt Barthius in Advers. p. 516. et Burmann. ad Quinctil. 6. Procem. p. 494. cf. supr. ad Carm. III. 5.

3. *Uterque Neptunus*, Ἐπιθαλάσσιος καὶ ἐπιλίμνιος, stagnorum æque ac maris vasti præses, ut recte interpretatur Vulpius. cf. Aristoph. Plut. v. 396, 397. et ibi Spanhem. Nam qui factum sit, ut in loco tam claro, cujus interpretationem sponte offerunt addita verba *in stagnis marique*, tam egregie hallucinarentur et nugas venderent Scaliger, Vossius et alii, vix assequi possum. Neptunus insulas *fert*, h. e. sustinet quasi humeris impositas, in potestate sua habet ac dirigit. Sic φέρειν apud Græcos. cf. Interpr. ad Nov. Testam. in Epist. ad Hebræos I. 3. ubi Christus dicitur φέρων τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, h. e. omnipotentia sua omnia quasi sibi imposita regens et gubernans.

4. *Quam te libenter.* Sic Ulysses, cum post multos exantlatos labores, in patriam rediret Ithacam.

Χαῖρ' Ἰθάκη. μετ' ἄεθλα, μετ' ἄλγεα
    πικρὰ θαλάσσης
Ἀσπασίως τεὸν οὖδας ἱκάνομαι·

apud incertum auctorem in Anal. Vet. P. Gr. Brunkii T. III. carm. XVIII. p. 146.

5. *Thyniam* vid. supr. ad Carm. XXV. 7.

6. *In tuto* ἐν ἀσφαλεῖ, nos: in der Ruhe.

7. *O quid sol. b. c.* exquisitius ipsæ curæ vocantur *solutæ*, cum proprie *animus* curis solutus dicatur. Ipse Li-

Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus larem ad nostrum,
Desideratoque acquiescimus lecto.
Hoc est, quod unum est pro laboribus tantis.
Salve, o venusta Sirmio, atque hero gaude:
Gaudete, vosque Lydiæ lacus undæ:
Ridete quidquid est domi cachinnorum.

13. *Gaudete vos quoque* Stat. *Ludiæ lacus* ab antiqua voce *Ludius* h. e. saltatore, quasi unda saltet, nimis ingeniose Scaliger. *Lariæ lacus* ex optimo exempl. Commelini præfert Vossius, quod Catullus etiam ad lacum Larium in Comensi Colonia villulam habuerit. *Limpidæ lacus* audacter Avantius.

vius III. 8. *eo solutiore cura in Lucretium incidunt consulem*, h. e. eo liberiore et omni timore vacuo animo. cf. Burmannum Secund. ad Lotich. III. 11. 13.

8. *Peregrino labore* molestissima peregrinatione.

11. *Hoc est, quod unum est pro laborib. tant.* hæc una ex multa variaque in itinere et comitatu Memmii nobis devorata molestia in nos redundat utilitas, multo ut magis jam, quam præbet villula nostra, sentiamus et percipiamus voluptatem. *labor* est vox latissimæ significationis, et complectitur omnia, quæ nobis molestiam creant, nos premunt et conficiunt. Sæpe hac voce de misera Æneæ in ejus erroribus sorte usus est Virgilius. Quam male se habuerit Catullus in Bithynia, et quam illiberaliter a Memmio tractatus sit, ab ipso disce in Carm. X. et XXVIII.

13. *Lydiæ lacus undæ* intellige lacum Benacum in agro Veronensi, cujus *aquæ* ideo jam vocantur *Lydiæ*, quia Rhæti, ad quos pertinebat Verona, originem suam ab Etruscis et hi a Lydis ex vulgari veterum opinione repetebant. cf. Illustr. Heynii ad Virgil. Æneid. XI. Excurs. III.

14. *Ridet. quicq. est dom. cach.* rideat et gaudeat, quicquid in villula ridere et gaudere potest. Vulpius inepte explicat *cachinnum ridere* de aquarum plangore et murmure; aperte enim repugnat vox *domi*.

CARMEN XXXII.

AD IPSITHILLAM.

Amabo mea dulcis Ipsithilla,

1. *Hispitilla* profert Vossius ex libro veteri, *Hypsithilla* Vulp.

Tam cibis, quam libidine post prandium plenus, meridiari et ineptire vult apud Ipsithillam, quam, ut copiam sibi explendæ libidinis faciat, satis libidinose sollicitat.

1. *Amabo jube* h. e. jube quæso, magnam gratiam apud me inibis, si jusseris. Sæpe hæc blandientis particula obvia est apud Comicos.

Meæ deliciæ, mei lepores,
Jube ad te veniam meridiatum.
Quod si jusseris, illud adjuvato,
Ne quis liminis obseret tabellam,
Neu tibi lubeat foras abire:
Sed domi maneas, paresque nobis
Novem continuas fututiones.
Verum, si quid ages, statim jubeto,
Nam pransus jaceo, et satur supinus
Pertundo tunicamque, palliumque.

4. *Adjubeto* vult Gifanius in Indice Lucret. s. v. *adcrescere*.
9. *Si quid ago* tentat Vulpius et explicat: si quid precibus proficio.
10. Pro *satur* Statius mavult *Sathe* a græca voce *σάθη* (membrum virile) quam non sagacem sed rectius salacem conjecturam dixeris.

4. *Meridiatum.* meridiantes amori ludum dedisse apud veteres, vel sine exemplis facile tibi persuadeas; nec indicio meo fortasse egebit lasciva illa meridiatio Ovidii Amor. I. Eleg. V.

5. *Liminis obs. tabellam. liminis tabella* ornate pro ipsa janua, quam, ut bene observat Vossius, etiam Græci *σανίδα καὶ πτύχα* vocarunt, quia ex tabulis sectilibus constructæ et compositæ sunt januæ; has tabulas vocat Homerus *σανίδας εὖ ἀραρυίας* Odyss. XXII. 128. de verbo *obserare* vid. Sagittar. de Januis Veterum cap. X. §. 6. 7. p. 68, 69.

7. Cf. Ovid. Amor. III. 7. 25, 26.

9. *Si quid ages*, nos: wenn du etwas thun willst.

11. *Pertund. tun. pall.* plenius id expressit Martial. XI. 16. 5. *pallium* recte explicat Vulpius de veste stragula. vid. Burmann. ad Ovid. Amor. I. 2. 2. profecto enim non pallio indutus jacuisse videtur supinus.

CARMEN XXXIII.

IN VIBENNIOS.

O FURUM optime balneariorum,
Vibenni pater, et cinæde fili:

Petulanter stringit calamum in Vibennios, patrem et filium, quorum alter furto, alter impuro amore innotuerat, eosque in malam rem abire jubet.

1. *Optime.* nimirum in genere suo et arte erat optimus, h. e. callidissimus et artis furandi peritissimus. Sic *bonus* sæpe in malam partem usurpatur apud Comicos, vid. Drakenborch. ad Sil. Ital. II. 240. *de furibus balneariis* (*βαλανειοκλέπταις*), qui vestimentis in balneis lavantium insidiabantur, præter Vulp. consule Interpretes ad Petron. c. 30 et quos ibi laudat Burmannus.

Nam dextra pater inquinatiore,
Culo filius est voraciore:
Cur non exilium malasque in oras
Itis? quandoquidem patris rapinæ
Notæ sunt populo, et nates pilosas,
Fili, non potes asse venditare.

3. *Uncinatiore* Guyetus ex conjectura.

3. *Inquinatiore* h. e. furaciore, multis furtis polluta et contaminata; inquinatur enim quasi manus illicito rerum alienarum tactu, et rapaci unguium tenacitate. Cæterum et *dextræ* jam tribuitur furandi agilitas, qua alias *sinistra* tantum infamis erat. cf. supr. ad Carm. XII. 1.

5. *Malasque in oras*, loca inculta, remota, et abominanda, non nisi malis hominibus scelerum expiandorum caussa adeunda. cf. Terent. Phorm. V. 9. 86. edit. Bipont.

CARMEN XXXIV.

AD DIANAM.

Dianæ sumus in fide

De tempore et consilio, quo hoc carmen a poëta nostro compositum sit, magna inter viros doctos agitata est controversia. Josephus Scaliger haud dubie ab aliena manu huic carmini præfixa inscriptione *Seculare carmen ad Dianam* illusus, et præoccupatus in Eusebianis animadversionibus ad annum MDCCCCLX. ipsis Ludis Secularibus anno U. C. 737. celebratis hoc carmen scriptum fuisse operose adstruere conatus est; cujus quidem ab omni veritatis specie alienam sententiam recte jam impugnavit Vossius, dum longe ante hoc tempus diem supremum obiisse poëtam ostendit; sed idem non magis probabilem in constituenda ætate Catulli rationem sequitur, dum nimis severa manu decurtat et resecat ejus vitæ filum, quod nimis benignè ille produxerat et extenderat. Hanc utrinsque viri nimiam in definiendo vitæ Catulli termino aberrationem egregie examinavit et vindicavit *Bayle* in *Dict. historique et critique* T. I. p. 864—866. qui medium tenens inter utrumque concedit quidem, non amplius in vita fuisse Catullum, cum Ludi Seculares Augusti celebrarentur, sed eundem ad provectiorem ætatem pervenisse, quam Vossius putabat, idoneis argumentis evincit. Quod autem ad nostrum carmen attinet, id eo fortasse consilio ante Ludos Seculares a poëta nostro scriptum fuisse Vir doctus autumat, ut vel paratum jam jaceret ipsis Ludis Secularibus instantibus, vel pueros puellasque ad illos rite celebrandos hoc carmine evocaret et præpararet. Sed quis tam angustis magni poëtæ ingenium circumscribat finibus, ut, tanquam præsens præteritumque tempus graviora argumenta non suppeditet, eum res futuras in usum futurum carmine descripturum esse existimet? Profecto hoc est poëtas veteres comparare cum poëtis ætatis nostræ mercenariis, qui pro parata pecunia quovis tempore in quævis futura tam tristia quam læta hominum fata in promptu habent, et parata jam sua carmina emtori offerunt. Rectius igitur hoc carmen (nisi hymnum vocare malis) vel cum Bentleio, qui pessime illud a viris doctis *Seculare* inscriptum esse judicat in *Sententia de temporibus libror. Horat.* ad festum Dianæ, quod singulis annis mense Augusto celebrabatur, vel ad quemcunque sacrum et peculiarem, in Dianæ honorem, usum referendum videtur, præcipue cum ejusmodi hymni amœbæi sæpius a choro puerorum puellarumque nobilium in Dianam et Apollinem decantati fuerint, qualis v. c. est hymnus Horatii in Dianam et Apollinem Od. I. 22. qui omnino cum nostro comparandus est. In nostro quidem hymno uterque puerorum puellarumque chorus solius Dianæ laudes celebrat, ejusque præsidio totius populi Romani salutem committit; sed apud Horatium pueri sejunctim Apollinis et puellæ Dianæ laudes alternis canunt.—Denique ex multis locis veterum constat, non solum Dianæ et Apollinis, sed etiam aliorum Deorum laudes a nobilium puerorum puellarumque choris decantatas fuisse: cf. Hor. Od. IV. I. 25. seqq. et quæ ibi notavit Cl. Jani.

1. *In fide*, h. e. clientela et patrocinio, ut sexcenties alibi. *integri*, casti et indelibati. Diana enim et ipsa servabat castitatem et a castis coli volebat. cf. Spanhem. ad Callim. Hymn. in Dian. 5. hinc ipsa quoque ab Horatio vocatur *integra* III. Od. 4. 70. Ceterum hanc et ultimam hujus carminis stropham uterque chorus conjunctis vocibus cecinisse videtur.

Puellæ, et pueri integri:
Dianam pueri integri,
Puellæque canamus.
O Latonia, maximi
Magna progenies Jovis,
Quam mater prope Deliam
Deposivit olivam;
Montium domina ut fores,
Silvarumque virentium,
Saltuumque reconditorum,
Amniumque sonantum.
Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis:

3. *Dianam pueri integri*, cum hic versus deesset in MSS. et editt. vett. felicissime a viris doctis revocatus et primum ab Aldo impressus est.

7, 8. *Prope Deliam*. de dissensu veterum in Dianæ natalitiis vid. Spanh. ad Callim. Hymn. in Del. 255. et ad 262.—*deposivit* antique pro *deposuit*. *deponere* autem sicut Græcorum ἀποτίθεσθαι proprie dicitur de partu, qui tanquam onus deponitur. vid. Ernesti ad Callim. Hymn. in Jovem 15. et Burmann. ad Phædr. Fab. I. 18. 5.

9. *Mont. dom. ut fores* cet. Accommode Hor. III. Od. 22. 1. *Montium custos nemorumque, Virgo*, cf. eundem I. Od. 21. 5. precata enim fuerat Diana a Jove patre Δὸς δέ μοι οὔρεα πάντα apud Callim. H. in Dian. v. 18. ubi vid. Spanhem. hinc Græcis dicta οὐραία, ὀρεσκόμος.

12. *Sonantum* pro *sonantium*, ut *fallacum* pro *fallacium* in Carm. XXX. 4.

13—16. *Tu Lucina dol.* cf. Callim. Hymn. in Dian. v. 20. sqq. Horat. III. Od. 22. 2. Eædem enim sæpe sunt et eodem obstetricis munere apud poëtas funguntur *Juno Lucina*, *Diana Lucifera* et *Ilithyia*. cf. Cl. Jani ad l. c. Horat. cui adde Hemsterhus. ad Lucian. Dial. D. XXVI. T. I. p. 287. et Jablonski Panth. Ægypt. lib. III. c. 3. Pars II. p. 62. *Trivia* (τριοδῖτις) ita vocatur, quia in triviis colebatur Diana triformis (τρίμορφος, τριπρόσωπος) vid. Spanh. ad Callim. Hym. in Dian. 38. præcipue nota sunt Ἑκαταῖα, vel δεῖπνον Ἑκάτης ἐν τῇ τριόδῳ, de qua re disputat erudite et copiose Hemsterhus. ad Lucian. Dial. Mort. T. I. p. 330.—*notho lumine Luna*, ex communi enim jam antiquissimis temporibus veterum opinione Luna non propria sed spuria quasi et a sole mutuata luce fulget. Ponam in hanc rem luculentum locum ex Luciano de Astrolog. c. 3. T. II. p. 361. Αἰθίοπες— ἰδόντες πρῶτα τὴν σεληναίην οὐκ ἐς πάμπαν ὁμοίην φαινομένην, ἀλλὰ πολυειδέα τε γιγνομένην, καὶ ἐν ἄλλοτε ἄλλῃ μορφῇ τρεπομένην, ἐδόκεεν αὐτέοισι τὸ χρῆμα θαύματος καὶ ἀπορίης ἄξιον. ἔνθεν δὲ ζητέοντες, εὗρον τουτέων τὴν αἰτίην, ὅτι οὐκ ἴδιον τῇ σεληναίῃ τὸ φέγγος, ἀλλά οἱ παρ' ἠελίου ἔρχεται. et sic Plinius II. 9. *Luna in totum mutuata a sole luce fulget.* Hinc suaviter Lotichius ad Lunam. I. Eleg. 5. 77.

Hoc quoque quod tecum rutilos communicat ignes
Sol oculus mundi, gloria magna tua est.

ubi cf. Burmann. Sec. et ad nostrum locum Vulp. et Jan. Dousa.

Tu potens Trivia, et notho es
Dicta lumine Luna.
Tu cursu, Dea, menstruo
Metiens iter annuum,
Rustica agricolæ bonis
Tecta frugibus exples.
Sis quocunque placet tibi
Sancta nomine, Romulique
Antiquam, ut solita es, bona
Sospites ope gentem.

22. *Romulique Ancique*, hæc lectio plurimas editiones invasit post Scaligerum, quam ille finxerat ex lectione MSC. *antique*. Sed hanc emendationem ipse loquendi mos respuere videtur, cum nullibi fere *Romulus* cum *Anco* ita conjungi soleat. Aliud est *Romuli Remique* in carm. XXVIII. 15. Huc accedit, quod in nostram lectionem, quæ multo magis orationi accommodata et vere poëtica est, ceteri MSS. et libri veteres omnes, teste editore Cantabrigiensi, amice conspirant. *antiqui* unus MSC. Stat.

17. *Tu cursu, Dea, menstr.* Non solum enim ad maturitatem perveniunt fruges descriptis Lunæ cursu mensibus, sed ipsi Dianæ quoque tribuitur, quod alias Cereri convenit. cf. Callim. Hym. in Dian. 130. ubi vid. Spanhem. et quod ad Vossii argutias, *qui more Græco et præsertim Asiatico Cererem et Dianam eandem esse putat*, in notis ibi respondet Ernesti.

21. *Sis quocunque—nomine.* multis enim nominibus gaudet Diana πολυώνυμος, quæ ipsa a Jove rogaverat πολυωνυμίαν. vid. Callim. Hym. in Dian. v. 7. et quæ solita sua diligentia in hanc rem congessit Spanhem.—*Sancta* (ἅγια) veneranda. *Sancta mater* Diana in veteri lapide Thesauri Gruter. XLI. 5. *bona ope sospites* h. e. favore tuo et patrocinio serves. Hinc etiam Diana ΣΩΤΕΙΡΑ vel πολιοῦχος a variis olim urbibus culta et tanquam tutelaris dea in variis urbium et populorum nummis expressa est. vid. Spanh. ad Callimach. Hym. in Dian. ad v. 18—36. et 129.

CARMEN XXXV.

CÆCILIUM INVITAT.

Poetæ tenero, meo sodali,

Amicum suum Cæcilium, cui res quasdam de communi quodam amico patefacturus est, quam primum Novo Como ad se Veronam venire jubet, eumque lepide monet, ne pulchræ puellæ blanditiis, a qua ex eo tempore, quo ejus poëma de Cybele illi lectum sit, multo vehementius eum amari audiverit, se revocari patiatur ab hoc itinere. Suaviter autem ipsam chartam, quæ mandata referat, tanquam nuntium abiturum, ut sæpe Ovidius, alloquitur.

1. Quis fuerit Cæcilius, non certe

Velim Cæcilio, papyre, dicas,
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi mœnia, Lariumque litus:
Nam quasdam volo cogitationes
Amici accipiat sui, meique.
Quare, si sapiet, viam vorabit,
Quamvis candida millies puella
Euntem revocet, manusque collo
Ambas injiciens, roget morari:
Quæ nunc, si mihi vera nuntiantur,
Illum deperit impotente amore.
Nam, quo tempore legit inchoatam

13. *Legit entheatam Dindymi dominam* edit. Brix. et Venet. male! *incohatam* scribit Maret. de qua scribendi forma vid. Drackenborch. ad Liv. Tom. IV. p. 353.

constat, quem tamen ex eo, quod *poëta tener* vocatur, res amatorias præcipue tractasse teneris et mollibus versibus facile colligas. Locum Ovidii, ubi Callimachus, Sappho, Tibullus et Gallus *poëtæ teneri* vocantur, jam indicavit Vulp. Remed. Amor. 757. et sic *versus teneri* Ovid. Art. II. 273. et *carmen tenerum* apud eundem *Amor*. III. 8. 2.—*papyre* pro *charta*, quæ ex papyro Ægyptiaca conficiebatur. vid. Schwarz. de Ornamentis Libr. Vet. c. 2. p. 22. 23. edit. Leuschn.

3. *Novi Comi mœnia.* Novum Comum fuit oppidum in Insubria ad Lacum Larium. vid. Vulp. et Cellar. Not. Orbis Antiq. T. I. Lib. 2. c. 9. p. 680.

5. *Nam quasd. volo cogit.* cet. eleganter pro vulgari: nam communicabo cum illo communis nostri amici sententias quasdam.

6. *Viam vorabit*, h. e. summa celeritate et festinatione viam emetietur, velis remisque huc advolabit. *vorare* habet notionem incitatioris impetus et festinationis, quemadmodum illi, qui cibos avidius et festinatius deglutiunt, *vorare* dicuntur. Pari modo dicitur *viam rapere*, ἁρπάζειν τὴν ὁδὸν. vid. Dorville ad Charit. I. 9. p. 263. edit. Lips.

8. *Candida puella*, pulchra. vid. ad Carm. XIII. 4.

9. *Euntem*, h. e. ire et proficisci volentem, ut apud Virg. Æn. II. 111. *terruit Auster euntes.*

10. *Injiciens man. amb. coll.* injicere alicui manus proprie in malam partem dicitur de violento impetu, sed apte transfertur ad amantes summo amoris impetu alterius amplexus petentes. Sic *brachia collo injicere* apud Ovid. Met. III. 389.

12. *Illum deperit*, h. e. perdite amat. pereunt enim quasi homines prudentes, scientes, vivi videntesque, quos agendi libertate amor privat, et, quicquid ille demum suadet, agere cogit. Sic *Lydia* apud Hor. Od. I. 8. 3. *amando perdere* dicitur *Sybarim*, cujus amore ille ita emancipatus tenebatur, ut rebus suis non amplius vacare et libere operam dare posset. Hinc facile apparet, quid sit *amor impotens*, h. e. sui non compos, sibi temperare nesciens. Nam ut vere Propertius canit El. II. 15. 3.

Verus amor nullum novit habere modum.

13. *quo tempore* pro vulgari ex *eo tempore quo inchoatam Dindymi domi-*

Dindymi dominam; ex eo misellæ
Ignes interiorem edunt medullam.
Ignosco tibi Sapphica, puella,
Musa doctior: est enim venuste
Magna Cæcilio inchoata mater.

nam; intellige autem carmen in Cybelem, quod scribere adgressus fuerat Cæcilius, needum absolverat. Fortasse primam tantum hujus carminis partem cum lectoribus tum communicaverat. Vossius *inchoare* explicat perficere et consummare, et in hanc rem laudat Virg. Æn. VI. 252. sed nec ibi *inchoare* est perficere rem et finire; immo semper apud Ciceronem *inchoatum* opponitur *perfecto.* Egregie in rem nostram facit locus quidam in Brut. c. 20. *meos libros, quos exspectas,* inchoavi, *sed conficere non possum his diebus.*—*Dindymi domina* vel *Dindymene* vocatur Cybele a monte Dindymo Phrygiæ majoris, ubi illa colebatur, ut notum. *misellæ* ornate pro *illi. misella* autem jam non est infelix, sed misere amans, *die zärtlich liebende:* sæpissime enim apud poëtas amantes dicuntur *miseri,* quorum animus totus est in amore. Sic *misellus Acmen* infra Carm. XLV. 21. σχέτλιοι οἱ φιλέοντες Theocrit. XIII. 66.—*ignes edunt medullam,* cf. Muret. ad h. l. et Cerda ad Virg. Æn. IV. 66. *macerari lentis ignibus* de vehementiore amore dicit Hor. Od. I. 13. 8.

16. *Sapphica musa,* pro Sappho ipsa, quæ Græcis Musa decima dicta est.

CARMEN XXXVI.

IN ANNALES VOLUSII.

Annales Volusi, cacata charta,
Votum solvite pro mea puella:

Lepide et jocose voto se obstrinxerat puella Catulli Veneri et Cupidini, se, simulac Catullus sibi reconciliatus iamborum tela in se contorquere desierit, electissima pessimi poëtæ carmina in gratiam hujus reconciliationis igni comburenda tradituram esse. Cum igitur hujus voti damnatæ jam persolvenda esset hæc Diis adstricta fides, ipse Catullus puellæ pietati satisfacturus salse tanquam egregie malum libellum in has partes vocat annales Volusii, Veneremque, ut favere velit his ex voto puellæ concremandis pessimi poëtæ carminibus, solemni Deos appellandi more appellat.

1. *Annal. Volus.* Volusius, quicunque tandem ille fuerit ætate Catulli male feriatus poëta, ad exemplum Ennii carmine composuerat annales, sed tam infelici studio et irato Apolline, ut turpiter se deridendum propinaret omnibus Annalium suorum lectoribus. Præter Catullum nemo, quantum scio, veterum hujus Volusii poëtæ et ejus Annalium mentionem injicit, de quibus verissime cecinisse videtur Noster infr. XCV. 6. 7. At *Volusi annales* * * * *Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.*—*cacata charta* h. e. conspurcata et contaminata malis versibus, parum honeste! nec magis honeste mala carmina describit Martial. XII. 61. 10.

Nam sanctæ Veneri, Cupidinique
Vovit, si sibi restitutus essem,
Desissemque truces vibrare iambos,
Electissima pessimi poëtæ
Scripta tardipedi Deo daturam
Infelicibus ustulanda lignis:
Et hæc pessima se puella vidit
Jocose et lepide vovere Divis.
Nunc, o cæruleo creata ponto,

3. *Sancte* Livin. male!
9. *Et hoc* Venet. Gryph. Muret.
10. *Jocose, lepide* Scalig. L. MS. et omnes Statii. *joco se* Vossius, quem sequuntur editt. recentiores Goetting. Bipont. sed sic otiosum plane est *se* in versu antecedenti. Lubenter igitur acquiescimus in vulgata, quam dedimus, ex edit. Gryph. Muret. et aliis antiquioribus. Heins. in not. ad Catull. mavult *Joco sed lepido*, parum concinne!

3. *Sanctæ Veneri.* sic infra vocatur Venus *sancta* Carm. LXVIII. 5. et ipse Cupido *sanctus* Carm. LXIV. 95. cf. Brouckhus. ad Tibull. IV. 13. 23. *restitutus*, h. e. reconciliatus, redditus. cf. infr. CVII. 4.

5—11. *Truc. vibr. iamb.* eleganter *iambi* dicuntur *truces*, h. e. terribiles et minaces, ob timendam inde contumeliam. *Contumeliosos* vocat Hor. Od. I. 16. 2. de quorum inventore, Archilocho, eundem vid. Art. Poët. V. 79. iambis autem plerumque deinceps scriptores ad satyras conscribendas usi sunt; hinc ἰαμβίζειν apud Græcos nihil aliud est nisi satyras conscribere. *vibrare iambos* tanquam tela venenata, exquisite pro vulgari *scribere.*—7. *tardipedi deo*, Vulcano, pro igni. cf. Tibull. I. 9. 49. et Horat. Od. I. 16. 3. —*infelicibus lignis.* ligna infelicia sunt abominanda, ut *lapis infelix* apud Tibull. I. 4. 60. ubi cf. Illustr. Heyne. *arbor infelix* de cruce apud Liv. I. 16. locus classicus de *arboribus infelicibus* exstat apud Macrob. Saturnal II. 16. cf. Cœlius Rhodigin. Antiqu. Lect. X. c. 7. Interpr. ad Grat. Cyneg. v. 242. Turneb. Advers. XVIII. 2. ad portenta autem expianda usurpata fuisse *ligna infelicia* apparet ex Lycophr. v. 1157. ubi vid. Meurs. 9. *hæc pessima puella* blande *dieses lose Mädchen*, ut infr. Carm. LV. 10. *vidit*, h. e. intellexit, probe cognovit.

11—16. Solemni invocatione ad Venerem se convertit, et more poëtarum nomina locorum, quibus præesse illa credebatur, concumulat, ut sæpe Horatius et illi. Cum nostro loco compara Horat. Od. I. 30. 1 seqq. et vid. Burmannus Secund. ad Lotich. lib. I. Carm. 26. 15. edit. Kretschm. nam quo major urbium erat numerus, quas Dii singuli præsidio suo fovebant, eo major inde illis conciliabatur honor et dignitas: hinc sæpe ipsi dii jactanter fere, quas tuebantur, urbes enumerant; ut Venus apud Virg. Æn. X. 51.

Est Amathus, est celsa mihi Paphos atque Cythera,
Idaliæque domus.

cæruleo creata pont. Sic Græcis Venus dicitur ποντογενής, ἀπόσπορος θαλάσσης. cf. Rittershus. ad Oppian. Cyneg. I. 33. *Idalium* Cypri nemus, Veneri sacrum, in quo oppidulum. cf. Theocrit. Idyll. XV. 100. et ibi Valckenar. qui plura in hanc rem dabit. *Syrosque apertos:* hæc lectio, quam Vossius ex vestigiis antiquorum codicum eruit, haud

Quæ sanctum Idalium, Syrosque apertos,
Quæque Ancona, Cnidumque arundinosam
Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos,
Quæque Durrachium Adriæ tabernam:
Acceptum face, redditumque votum,
Si non inlepidum, neque invenustum est.
At vos interea venite in ignem,
Pleni ruris et inficetiarum,
Annales Volusi, cacata charta.

12. *Uriosque* in omnibus editionibus vetustioribus; intelligi autem volunt incolas *Uriæ*, quæ fuit urbs Apuliæ in via Appia non longe a Venusio distans, ubi Venus solemni modo in celebri templo culta sit. Hinc *Venus Appias* apud Ovid. Remed. Amor. v. 659. cf. Heins. ad Art. Am. III. 452. sed aliæ etiam urbes *Uriæ* fuerunt. cf. Cellar. not. Orb. Antiq. T. I. lib. II. c. 9. p. 902.—*Eriosque* Ald. *Uxiosque* Scalig. *Ariosque* Stat. *Erycosque* Corrad. de All. *Uriosque portus* Heins. in not. ad Catull. cf. not.

14. *Colchos* in libris quibusdam Vossii.

15. Alii *Durrhachium* vel *Dyrrachium*.

19. *Pleni turis* male in quibusdam vetustioribus. cf. supr. XXII. 14.

dubie ceteris [*vid. Var. Lect.*] præferenda videtur, ad quam stabiliendam egregie facere videtur vetus epigramma Posidippi in Anal. Vet. Poët. Græc. Brunckii. T. II. p. 46. ep. 3.

Ἁ Κύπρον, ἅ τε Κύθηρα, καὶ ἃ Μίλητον ἐποιχνεῖς,
Καὶ καλὸν Συρίης ἱπποκρότου δάπεδον.

per *Syros* Vossius intelligit Syros superiores, h. e. Assyrios, qui jam propter planas et apertas, quas incolebant, regiones, ipsi quoque a nostro ex more poëtarum licentius in epithetorum usu sibi indulgentium vocantur *aperti*, ut supr. Carm. VII. 5. *Jupiter* a Lybia arena æstuante, ubi ille colebatur, dictus est *æstuosus*. De apertis Assyriæ regionibus locum Ciceronis *de Divinatione*. I. 1 commode jam laudavit Vossius, quem adscribam. *Assyrii—propter planitiem magnitudinemque regionum, quas incolebant, cum cœlum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, trajectus motusque stellarum observarunt.* 13. *Ancon* vel *Ancona* urbs maritima in agro Piceno. *Ancon* autem est usitatius veteribus. vid. Oudendorp. ad Cæs. Bell. Civ. I. 11. cf. Wesseling. ad Anton. Aug. Itiner. p. 101.—*Cnidus* urbs Doridis in Caria, quæ Veneri sacra ejusque signo a Praxitele sculpto adeo nobilitata fuit, ut multi ad illud visendum Cnidum navigarent. vid. Plin. XXXVI. 5. cf. Pausan. Attic. c. I. *arundinosa*, arundine vel calamis scriptoriis, ut tradit Plin. XVI. 36. abundans.—14. *Amathus*, oppidum Cypri, *Golgus*, *Golgum* vel *Golgi*, urbs Cypri, unde Venus *Golgia*. cf. Valckenar. ad locum Theocr. paulo ante laudatum. 15. *Durrachium*; urbs Macedoniæ, mercatura inprimis olim celebris, ubi Illyrii et omnes Hadriaticum mare accolentes negotiabantur; hinc *Hadriæ taberna* vocatur. Multis descripsit hanc urbem celeberrimam Palmerius Vet. Græc. lib. I. c. 19.

16. *Accept. face, redditumque vot.* accipe hoc votum tanquam rite peractum et solutum; verba *accipere* et *reddere* proprie dicuntur de ære alieno, quod a debitore *redditum* et *solutum* accipit creditor.

CARMEN XXXVII.

AD CONTUBERNALES.

Salax taberna, vosque contubernales,
A pileatis nona fratribus pila,
Solis putatis esse mentulas vobis?
Solis licere quidquid est puellarum

Cum puella relicta, cui perdite amabatur, Catullo, in tabernam quandam libidinis usu infamem secedens turpiter ibi corporis sui copiam faceret omnibus hanc Veneris palæstram adeuntibus, graviter huic tabernæ et abjectis istis hominibus, qui libidinis causa in illa commorabantur, indignatur poëta, a quorum multitudine ut ut numerosa se non deterritum iri ait, quo minus illos omnes contumeliose tractet, et, evulgatis eorum flagitiis, turpes notas illorum famæ inurat.

1—4. *Salax taberna,* taberna jam est caupona vel locus publicus, ubi compotandi confabulandique causa confluebant homines; et quia in ejusmodi locis libidini plerumque fenestræ quasi aperiri solent, non raro in istis tabernis cauponariis, tanquam lupanaribus, delitescere solebant meretriculæ, quas frequentes adibant homines salaces; cujusmodi *taberna* haud dubie fuit nostra, quæ inde vocatur *salax,* quo sensu etiam *taberna* illa apud *Auctorem Copæ* v. 3. *famosa* dicta videtur; alteram enim lectionem *fumosa* equidem non prætulerim ibi cum Illustrissimo Heynio, cum omnino crotalistria lasciva et infamis in *famosa* potius quam *fumosa taberna* saltasse videri debet.—*contubernales,* scortatores, qui in eadem taberna una erant et eidem nequitiæ sub eodem tecto operam dabant. Pari modo *contubernium* in malam partem de scortatione dictum est apud Cic. Verr. V. 40. *ubi illud contubernium muliebris militiæ in illo delicatissimo littore.*—Eleganter autem summæ indignationis exprimendæ causa ipsum locum simul poëta acerbe alloquitur, ubi homines, in quos odium et iram suam effusurus erat, degebant. 2. *A pileatis nona fratr. pila,* h. e. nona inde a Castoris et Pollucis templo taberna; cuilibet enim tabernæ, ut facilius a prætereuntibus animadverteretur, pila sive columella apposita fuit. *Pileati fratres* sunt Castor et Pollux, pileos gestantes, quorum figura, ab eorum fabulosis natalibus, dissectum per medium ovi putamen [τοῦ ὤου τὸ ἡμίτομον] refert. vid. Lucian. Deor. Dial. XXVI. ad quem locum erudita et copiosa de Dioscurorum insignibus et ministeriis disputatio adjecta et Vossii ad Nostri locum de Dioscurorum pileis prolata sententia recte refutata est a Viro Incomparabili Hemsterhusio T. I. p. 281—287.—Situm autem fuit templum Castoris et Pollucis in foro Romano ad lacum Juturnæ. vid. Cl. Adlers ausführliche Beschreibung der Stadt Rom, p. 246.

4—11. *Quicquid est puellar.* eleganter: omnes puellas sine discrimine. 5. *hircos,* h. e. qui viros se præstare nequeunt, hircis castratis similes. Interpretes explicant *hircos* homines fœdos, hircum olentes, h. e. tætro axillarum odore laborantes, et hinc puellis detestandos, de qua re vid. ad. Carm. LXIX. 6. sed prior explicatio aptius respondet versui 3.— 6. *An, continenter quod sedetis insulsi* cet. *sedere* proprie dicitur de iis, qui desides in aliquo loco commorantur et ignavo otio diffluunt; id quod vel maxime valet de hominibus libidinis causa in tabernis sedentibus, qui ipsi suaviter inde v. 8. vocantur *sessores.* Sic apud Græcos ἧσθαι et καθῆσθαι. vid. quæ ambitiose in hanc rem constipavit *Klotzius* ad

Confutuere, et putare ceteros hircos?
An, continenter quod sedetis insulsi
Centum, aut ducenti, non putatis ausurum
Me una ducentos inrumare sessores?
Atqui putate: namque totius vobis
Frontem tabernæ scipionibus scribam.
Puella nam mea, quæ meo sinu fugit,
Amata tantum, quantum amabitur nulla,
Pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
Consedit istic. Hanc boni beatique
Omnes amatis: et quidem, quod indignum est,
Omnes pusilli, et semitarii mœchi;
Tu præter omnes une de capillatis

10. *Sopionibus* tentat Vossius, cui *sopiones* extincti aut sopiti carbones sunt, ζώπυρα. aliis placet *titionibus* vel *scriptionibus*.

11. *Puella namque quæ meo sinu fugit* in quibusdam vetustioribus. Sed Mureto et Vossio magis arridet vetus lectio, quam præferunt libri veteres Ald. Venet. *Puella nam modo quæ meo sinu fugit*; nostram lectionem debemus Statio, qui omnibus in MSSC. invenerat *puella nam me quæ meo*: in uno autem *quæ meo e sinu fugit*. Edit. R. *quæ e meo sinu*, sed præpositiones sæpe apud poëtas negliguntur.

13. *Bella patrata* Scaliger, probante N. Heinsio in Not. ad Catull.

15. Versus sequentes male in editionibus quibusdam antiquis sede sua moti trahuntur ad carmen proximum, quocum plane non cohærent.

Tyrtæum p.143.—*continenter*, nach der Reihe, einer nach dem andern; uno quasi ordine et tenore. Sic Græci συνεχῶς, ἐπισχερὼ, ἑξῆς.—*centum aut ducenti*, numerus rotundus pro multis. *inrumare*, flocci pendere, non curare, injuria lacessere. cf. ad Carm. XXIX. 10. et X. 12. Dilucide autem ex hoc loco apparet τὸ *inrumare* non propria significatione accipiendum esse, cum statim additur *namque totius vobis frontem tabernæ scipionibus scribam*, h. e. totius tabernæ fronti [i. e. extremæ parti] flagitia vestra inscribam, ut palam fiant et ab omnibus prætereuntibus cognoscantur. Non raro enim, carbonibus præcipue, in ædium foribus ab inimicis notari evulgarique solebant hominum vitia. Plaut. Merc. II. 3. 74. *Impleantur meæ fores elogiorum carbonibus*; ubi vid. Interpret. hinc *carbone notare* est perstringere. Hor. Sat. II. 3. 248. *Scipio* igitur hoc loco bacillum semiustum notare videtur, quo fortasse eo consilio jam carbonis loco usurus erat, ut eo altiori loco, ubi non facile deleri posset, criminosam inscriptionem appingeret—*vobis*, in vestram contumeliam.

12. *Amata tant. quant amab.* Sic supr. Carm. VIII. 5.

13—17. *Pro qua mihi sunt magna b. pugn.* h. e. de qua magnæ mihi cum rivalibus excitatæ sunt lites. *bellum pugnare* dictum est ut *pugnam pugnare*, *bellum bellare* cet. 14. *consedit istic*, sedem propriam quasi ibi fixit. *hanc boni beatique*, qualis nimirum bonitas et beatitudo cadit in homines, qui v. 16. vocantur *pusilli* [h. e. abjecti, impuri μικρόψυχοι, apud Martial. II. 10. 2. *pusillus* opponitur *bello*] et *semitarii mœchi* meretricum diobolarium sectatores.

17. sqq. *Une*, ad usum hujus vocativi probandum hunc ipsum Nostri lo-

Cuniculosæ Celtiberiæ fili,
Egnati, opaca quem bonum facit barba,
Et dens Hibera defricatus urina.

18. *Celtiberosæ* MS. Prisciani, unde Vossius jam ad Melam. p. 233. conjecerat *Celtis perosæ;* sed nostram lectionem *cuniculosæ* ex nummo, ubi sedens cum oleæ ramo mulier et adstans cuniculus, peculiare Hispaniæ symbolum, exhibetur, defendit Spanhem. de V. et Pr. Num. Diss. IV. p. 179.

cum laudant Grammatici. *de capillatis,* capillos enim alere et promittere solebant Celtiberi et Hispani. *Cuniculosæ* vid. Var. Lect. *opaca quem bonum facit barba et dens* cet. h. e. qui præter barbam opacam et dentium candorem, multa urinæ fricatione quæsitum, nihil habet, quo se commendet, cujus omnis bonitas in barba et dentibus spectatur. *barba opaca* eleganter dicitur prima lanugo, quæ genas quasi inumbrat. Claudian. in Prob. et Olyb. Cons. v. 68.

Ante genas dulces quam flos juvenilis
inumbret,
Oraque ridenti lanugine vestiat ætas.

ubi vid. Barth. Sic Græcis *τὸ πρόσωπον τοῖς ἰούλοις κατασκιάζεσθαι* dicitur. cf. Virg. Æn. VIII. 160. ubi plura in hanc rem ex græcis scriptoribus congessit Cerda. Fundus est in Homeri Odyss. XI. 318. 319.—de *dente Hibera urina defricato* cf. ad Carm. XXXIX. 19.

CARMEN XXXVIII.

AD CORNIFICIUM.

Male est, Cornifici, tuo Catullo:
Male est, mehercule, et laboriose,
Et magis magis in dies et horas:
Quem tu, quod minimum facillimumque est

2. *Hercule me* Muret. *mercule* Conrad. d. All.
3. *Magisque et magis* Gryph. Muret. Vulp. Voss. sed *magis magis* sine copula dicitur quoque infra LXIV. 275.
4. *Quam* inepte tentat Corrad.

Catullus cum gravi rei cujusdam adversæ, quam expertus fuerat, afflictus dolore a Cornificio, ut in doloris sui societatem veniret, animique tristitiam molli quodam carmine levaret, frustra hanc fidem sibi probandam exspectasset, jam neglectæ amicitiæ culpam ei exprobrat.

1—6. De *Cornificio* vid. Burmannum ad Ovid. Trist. II. 436.—2. *laboriose mihi est,* h. e. multo dolore mihi laborandum est, misera mihi sors est.—5. *allocutione* h. e. consolatione, ut *alloquium* apud Ovid. ex Ponto I. 6. 18. Trist. IV. 5. 3. vid. Bentleius ad Hor. Epod. XIII. 18. et Drackenborch. ad Liv. Lib. IX. 6. Tom. II. p. 682. et sic sæpe *alloqui* est consolari. vid. Vulp. cui adde illustre exemplum ex Seneca Troad. v. 622. *Alios parentes alloqui in luctu decet: Tibi gratulandum est.* Intelligo autem per *allocutionem* carmen consolatorium ob versum ultimum.

Qua solatus es adlocutione?
Irascor tibi. Sic meos amores?
Paulum quid lubet adlocutionis,
Mœstius lacrimis Simonideis.

6. *Dic meos amores* male vult. Heins. in not. ad Catull.—Totum hunc versum, cum nexum non posset assequi, audacter ut solet, statim post tertium posuit Scaliger.

7. *Paulum quid* vel *quod* in quibusdam vett. *Paulum quidlibet* Gryph. Muret. et alii, quod fortasse sic explicari potest, ut subintelligatur *satis fuisset* vel sic: *paulum quidlibet allocutionis* a te profectum *Mœstius* fuisset *lacrimis Simonideis*—*Paulum quod juvet* Vossius approbante Heins. in not. ad Cat.

6. *Sic meos amores?* scil. curare soles. Tam parum curas id, quod animum meum graviter afficit? eleganter autem ad vim doloris exprimendam verbum omittitur. *amores* accipio de amore a puella perfida interrupto, adeoque infelici. Fortasse enim omnis dolor Catulli pertinet ad perfidiam puellæ, quam carmine superiore a se in tabernam secessisse ait. *amores* sæpe sunt, quod nos dicimus die Liebschaft. cf. nos ad Carm. X. 1. Vulpius cogitat de præmatura morte fratris, de quo vid. Carm. LXVIII.

7. *Paulum quid lubet adlocut.* interpretor locum paulo obscurum et implicitum sic: *lubet* opto et desidero *paulum quid adlocution.* brevem tantummodo consolationem, breve carmen consolatorium, quod *mœstius* sit *lacrimis Simonideis*, miserabiles et flebiles elegos Simonidis superet. cf. Var. Lect. *lacrimæ* paulo sublimius de carminibus, quæ lacrimas movent. Simonidem autem scribendis carminibus operam dedisse vel ex Phædri fabulis notum est, multum præcipue valuisse videtur in tractandis rebus lugubribus, et molliori sensu excitando, ut hic ipse Nostri locus docet. Hinc laudatur Σιμωνίδης ἐν Θρήνοις apud Scholiast. Theocrit. ad Idyll. XVI. 36. vid. de Simonide Munckerus ad Hygin. Fab. CCLXXVII. Baylius Dictionaire Historique et Critique s. h. v. et quos laudat de ἐγκωμίοις, quæ Simonidi tribuuntur, Wesseling. ad Diodor. Sicul. T. I. p. 412.

CARMEN XXXIX.

IN EGNATIUM.

Egnatius, quod candidos habet dentes,

Egnatium, hominem stultum et ineptum exagitat, qui, quum ex more patrio, Celtiberis proprio, dentibus urina quotidie lotis et perpolitis candorem conciliare studuisset, usquequaque, ut dentes candidos ostentaret, nec loci nec temporis ratione habita, in re gravi æque ac tristi, ridere solebat. Ab hoc igitur inepto et importuno risu avocare studet hominem, ex ea præcipue ratione, quod, quo candidiores et expolitiores ejus dentes sint, eo plus urinæ eum bibisse indicent.—Catulli rivalem fuisse Egnatium apparet ex carmine XXXVII. ubi jam notavit ejus stuporem v. 17. sqq.—Compara cum Nostro jam a Mureto allatum locum Alexidis Comici apud Athenæum lib.

Renidet usquequaque: seu ad rei ventum est
Subsellium, cum orator excitat fletum,
Renidet ille: seu pii ad rogum fili
Lugetur, orba cum flet unicum mater,
Renidet ille: quicquid est, ubicunque est,
Quodcunque agit; renidet. Hunc habet morbum,
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum:
Quare monendus es mihi, bone Egnati:
Si urbanus esses, aut Sabinus aut Tiburs,
Aut pastus Umber, aut obesus Etruscus,

2. Pro *seu* ad vitandam diphthongi elisionem in hoc et quarto versu Vossius legit *si*.

9. *Quare monendus est mihi. Bone Egnati,* pauci. Vossius legit quidem *es*, sed interpungit post *mihi*.

11. *Parcus Umber* in plerisque vett. unde fecit Scalig. *porcus Umber*, quem sequitur Bipont. parum recte! noluit enim Catullus Umbros ridere, sed potius

XIII. ubi inter alias meretricum artes refert:

> Εὐφυεῖς ὀδόντας ἴσχει; ἐξ ἀνάγκης δεῖ γελᾶν,
> Ἵνα θεωρεῖεν οἱ παρόντες τὸ στόμ', ὡς κόμψον φορεῖ cet.

cui adde Ovid. Art. Am. III. 279. seqq.

2—7. *Renidet*, renidere jam est: os ridendo ita diducere, ut dentes [quos Græci inde γελασίνους vocant. Pollux II. c. 4. Sect. 91.] renideant et effulgeant.—*usquequaque*, h. e. quovis tempore et loco, quavis occasione; elegantcr mox ipse hanc particulam circumscribit. 6. *quicquid est, ubicunque est, quodcunque agit—seu ad rei ventum est sub.* cet. h. e. seu ad causam reo ex subselliis dicendam ventum est, ubi causæ patronus orationis gravitate sæpe ita percellit animos adstantium, ut sibi a lacrimis temperare nequeant. *Subsellia* in judiciis sunt sedes judicum et patronorum utriusque partis. vid. Ernesti Clav. Cic. s. h. v. sed hoc loco reis quoque *subsellia* assignantur. *fletum excitare* de miserabili dicendi genere miserabiliter explicat Vulpius.—5. *unicus filius* jam est μονογενὴς, ut acerbior luctus exprimatur, alias fere *unicus* est ἀγαπητὸς, dilectus.

7—16. *Hunc habet morbum*: morbus passim de vitio animi vel insania; Ter. Eunuch. II. 1. 19. alia exempla dabit Cort. ad Sallust. Catil. XXXVI. p. 223. sic νόσος apud Græcos. cf. Victor. V. L. I. 14. et Triller Obs. Critic. p. 377.—10. *Si*, etiamsi, licet. vid. Græv. ad Cicer. Epist. ad Famil. XII. 11. Drackenborch. ad Liv. XXXIII. 49, T. IV. p. 758.—*urbanus*, h. e. *Romanus*. Sic *urbanus* pro *Romano* dicitur Cic. Brut. 46. ut *urbs* sæpissime pro *Roma*. vid Cort. ad Sallust. in Catil. LII. p. 333.—Recenset jam poëta nobiles quosdam Italiæ populos, a bona corporis habitudine et puritate laudandos.— 11. *pastus Umber* [ex emendatione Vossii, vid. Variet. Lect.] h. e. pinguis, bene saginatus, bene curata cute πιμελής. cf. Vossius. *obesus Etruscus*, e copiosis, *inquit Muretus*, frequentibusque sacrificiorum epulis, quibus ea gens plurimum dedita fuisse dicitur.—12. *Lanuvinus ater*. Lanuvium fuit oppidum Latii et municipium, cultu Junonis Sospitæ celebre. 13. *ut meos. quoq. atting.* nam Verona pertinet ad Italiam transpadanam.—14. *lavit* a *lavere*, quod apud Virgilium, Horatium et alios occurrit.

Aut Lanuvinus ater atque dentatus,
Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam,
Aut quilibet, qui puriter lavit dentes;
Tamen renidere usquequaque te nollem:
Nam risu inepto res ineptior nulla est.
Nunc Celtiber es: Celtiberia in terra,
Quod quisque minxit, hoc solet sibi mane
Dentem, atque russam defricare gingivam;
Ut quo iste vester expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse prædicet loti.

laudare succulenta Umbrorum corpora. Pro *Parthus*, quod invenerat Meleager, legit *fartus—pinguis Umber* quidam.

12. *Lanuvinus acer* in quibusdam vett.

17. *Nunc Celtiberus, Celtiberia in terra* vel *nunc Celtiber, Celtiberia in terra* in plerisque vett. editt. et MSC. teste Statio. Scaliger in MSC. et vett. editt. se invenisse ait: *Celtiber ex Celtiberia in terra*, unde ille legit *Celtiber in Celtiberia terra*. editor Cantabrigiensis bene tentat *Nunc Celtiber et Celtiberia in terra*, sed male explicat: *Nunc cum sis Celtiber*, et Heins. in Not. ad Catull. vult: *Nunc Celtiber e Celtiberia terra;* fortasse, ut meam quoque interponam sententiam, *Nunc Celtiber, at Celtiberia in terra*. Quam in textum recepimus lectionem, *Nunc Celtiber es*, exstat in edit. Gotting. et Bipont. haud dubie ex edit. Corrad. de Allio.

19. *Pumicare gingivam* legit Apuleius in Apologia hunc versum proferens.

16. *Nam risu inepto res ineptior nulla est.* Antiquum et verum dictum. Sic in Gnomicis v. 83. 84. p. 224. edit. Brunck.

Γέλως ἄκαιρος ἐν βροτοῖς δεινὸν κακόν.
Γελᾷ δ' ὁ μωρὸς, κἄν τι μὴ γελοῖον ᾖ.

17. *Nunc Celtiber*, populus Hispaniæ Tarraconensis. *Celtiberia terra* dictum ut *terra Africa, terra Hispania, terra Campania*. vid. Vulp. ad Tibull. I. 9. 33. et V. V. D. D. quos bene multos in hanc rem laudavit Drackenborch. ad Sil. Ital. XVI. 180. cf. eundem ad Liv. XXV. 7. Tom. III. p. 956.

18. *Quod quisque minx.* cet. Idem de Celtiberis tradit Diodor. Sicul. Lib. V. τὸ σῶμα λούουσι οὔρῳ καὶ τοὺς ὀδόντας. ubi vid. Wesseling. T. I. p. 357. qui in eandem rem indicat locum Strabon. Lib. III. p. 249. ubi cf. Casaubonus.

CARMEN XL.

AD RAVIDUM.

QUÆNAM te mala mens, miselle Ravide,

Furorem Ravidi increpat, qui æterna ab Iambis Catulli timenda contumelia se deterreri non passus sit, quo minus ejus puellam [vel puerum] ad amorem sollicitaret.

1. *Quænam te mala mens* cet. Wie

Agit præcipitem in meos iambos?
Quis Deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?
Anne ut pervenias in ora volgi?
Quid vis? qualubet esse notus optas?
Eris: quandoquidem meos amores
Cum longa voluisti amare pœna.

6. In uno MSC. Statii legebatur *Quia vis;* hinc fecit *Quo vis qualubet esse notus optas. Cuivis qualubet esse optas,* Vossius.

kannst du auf den unglücklichen Einfall kommen, dich mit Gewalt in meine Iamben zu stürzen?—*mala mens,* mentis perversitas, dementia.

3. *Quis deus non bene adv.* nam mala consilia æque ac bona a diis immissa dicebantur. Vulpius laudat Hom. Iliad. XVII. 469.

Αὐτόμεδον, τίς τοι νυ θεῶν νηκερδέα βουλὴν
Ἐν στήθεσσιν ἔθηκε, καὶ ἐξέλετο φρένας ἐσθλάς.

4. *Rixa vecors,* cum quis alterum, cui impar est, temere ad rixam lacessit.

5. *Ut pervenias in ora volgi,* ut per iambos meos vulgo innotescas, et ore omnium feraris et differaris.

6. *Quid vis?* Quid quæris et tibi vis? *qualubet* sc. ratione, quocunque modo, licet per iambos mordaces sit, *notus esse optas?*

8. *Amare meos amores,* puellam meam tangere. cf. ad Carm. X. 1. *cum longa pœna,* ut semper duret inde tibi contracta ignominia ad posteros per iambos propaganda.

CARMEN XLI.

IN AMICAM FORMIANI.

Anne sana illa puella defututa

1. *Acme illa, illa puella defututa Tota.* in plerisque editt. vett. quod tenuit etiam edit. Bipont. In libris MSSC. fuit *ameana* vel *amean,* unde fecit Stat. *Acme una puella* et Vossius *Ain' sana puella*—Vulpianus ex edit. Vossii servavit

Meretricem quandam turpem et deformem, ingenti pro libidinosa nocte a Catullo postulato pretio, delirare et medicorum propinquorumque curæ tradendam putat.

1—7. *Defututa tota,* i. e. assiduo scortationis usu plane confecta et detrita. Infra Carm. CX. 8. *Quæ sese toto corpore prostituit—millia decem* sc. sestertium. 4. *Formiani,* Mamurræ Formiis nati. vid. Argum. ad Carm. XXIX. 5. *Propinqui,* furiosorum enim eorumque pecuniæ curam ex lege suscipere debebant agnati et gentiles. Auctor. ad Herenn. l. c. 13. Hinc Horat. Epist. II. 2. 136.

Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus
Expulit helleboro morbum.

cf. eundem Sat. II. 3. 218.

Tota millia me decem poposcit;
Ista turpiculo puella naso,
Decoctoris amica Formiani.
Propinqui, quibus est puella curæ,
Amicos medicosque convocate:
Non est sana puella; nec rogare
Qualis sit solet hæc imaginosum.

Ah me, an illa puella defututa—nos dedimus lectionem præ ceteris nobis probatam ex edit. Gotting. cui egregie respondere videtur vers. 7.

7—8. *Nec rogate Qualis sit, solet hæc imaginosum* L. MSC. et omnes fere impressi. *Nec rogare Qualis sit solet hæc imaginosum.* Muret. qui *imaginosum* explicat de speculo, ut sit: speculum de sua forma non consulere solet. Salmas. ad Solin. p. 1087. legit: *dolet hæc imaginosum*, quod explicat: *μαίνεται, φρενιτιᾷ imaginibus laborat.* Vossius, ut novam inferret obscenitatem, exsculpsit *ἐκ μαγείου ὄζειν*, quid quod sit, apud ipsum videant harum deliciarum cupidi. *Hæc imago nasum* inepte Turnebus, ineptius tamen Corrad. de All. *en imago nasum!* cui adhæret edit. Gotting. vid. not.—In editt. antiquis Venet. Gryph. et aliis cum sequenti carmine hoc conjungitur, a quo quidem illud disjungendum esse recte jam monuit Victor. Var. Lect. II. c. 15.

7—8. *Nec rogare Qualis sit solet* cet. Non parum hic locus ingenia Virorum Doctorum exercuit. [vid. Var. Lect.] Plerique sequuntur Scaligerum, qui legit *nec rogate, Qualis sit. Solet hæc imaginosum*, et supplet ad vocem *imaginosum* morbum ægrotare. per *morbum imaginosum* autem intelligit *φαντάσματα*, quæ animo occurrunt, in cujus sententiam vide quæ disputat Burmann. Sec. in Antholog. T. I. p. 463. Scaligeri explicandi rationem, quod mireris, amplectitur etiam Nic. Heins. in Not. ad Catull. qui per *imaginosum* morbum, quo laborasse meretricem volunt, intelligit *cum concentus carminum audimus, et patentibus oculis somniamus ut sensus sit: sana non est, nam tota nocte nil nisi æris tinnitum meditatur.*—Equidem lubenter fateor, me nondum a sensu meo impetrare potuisse, ut in ulla a V. V. D. D. ad hunc locum allata vel explicatione vel emendatione acquiescerem. Imo totum locum vel plane mutilum, vel alia certe medela sanandum puto. Cardo rei vertitur in voce *imaginosum*, quæ vel damnanda [si vox damnanda sit, quæ semel tantum apud veteres occurrit] vel explicatione juvanda videtur. Jam vero cum *imaginari* recte apud bonos scriptores dicitur de iis, qui imaginem quandam sibi fingunt et animo concipiunt, non video cur non eodem jure a Catullo *imaginosa* dici potuerit ea, cujus tanquam febri correptæ phantasia in fingenda, qua sibi placeret, imagine, multum valuerit. Quodsi verum est, locus fortasse ita constitui possit;

—nec rogare
Qualis sit, solet; en imaginosam!

h. e. nec in se descendere et quærere solet, quam vilis et deformis sit; en quantum ejus phantasia valet in fingenda sibi de se formaque sua imagine! In eandem sententiam legi quoque possit;

—nec rogare,
Qualis sit, solet hæc imaginosa.

Sed illud *en imaginosam!* non solum gravius finit epigramma, sed etiam ad antiquam lectionem in MSSC. Achillis Statii *et imaginosum* propius accedit.—

CARMEN XLII.

IN QUANDAM.

Adeste, hendecasyllabi, quot estis
Omnes undique, quotquot estis omnes.
Jocum me putat esse mœcha turpis,
Et negat mihi vostra redditurum
Pugillaria, si pati potestis.
Persequamur eam, et reflagitemus.
Quæ sit, quæritis? illa, quam videtis
Turpe incedere, mimice ac moleste

8. *Myrmice* male in vett. edit. pro *mimice*, quod recte revocavit Stat. *murice* Corrad. de All. *ritmice* Erhardus ad Petron. c. 126.

Ad vindicanda a meretrice sibi subducta pugillaria omnes undique convocat hendecasyllabos, eo consilio ad meretricem jam amandandos, ut sublatos codicillos, tanquam rem sui juris, alta et contumeliosa voce ab ista reflagitent;—sed mox eosdem, cum omni conviciorum genere usi nihil apud perfrictæ frontis meretricem proficere possent, rationem invertere et rem blanditiis tentare jubet.

1—8. *Hendecasyllabi*, jaciendis enim conviciis æque apti ac iambi visi sunt hendecasyllabi, ut apparet vel ex hoc carmine. 3. *jocum me put.* dignum quem ludat et parvi pendat. Sic passim *jocus* de iis, qui sunt ludibrio. Phædr. Fab. I. 21. 2. Petron. c. 57. vid. ad utrumque locum Interpretes.—4. *negat redditurum*, sc. *se*, quod sæpe apud poëtas negligitur. *vestra*, nam sedem quasi propriam habent versus in poëtarum tabellis. *pugillaria* vel *pugillares* erant codicilli parvi, quorum tabellæ, ut nunc quoque concinnari solent, fuerunt a fronte dissectæ, a tergo consutæ compactæque; at plerumque in utraque planitie ceratæ, vid. Schwartz. de Ornamentis Libr. Vet. p. 179 et 128. edit. Leuschn. et quæ de usu et forma codicillorum disputat Burmannus in præfatione ad Petronium non longe ab initio. *si pati potestis*, si per vos fieri potest, ut inulta cum ista sua protervitate elabatur meretrix, sed certe id fieri per vos non potest; agedum igitur, *persequamur eam* et *reflagitemus* pugillaria.—Ita sæpe apud poëtam nexus quærendus est. Istam enim interpunctionem a plerisque editionibus receptam *Pugillaria: si pati potestis, Persequamur eam et refl.* vix verba admittere videntur.

8. *Turpe incedere*, quod fit ab iis, quorum incessus, ut Petronius ait, ita arte compositus est, ut ne vestigia quidem pedum extra mensuram aberrent. Ejusmodi autem gressum delicatum meretrices imprimis placendi causa fingebant. Hinc Ovid. Art. Am. III. 299 sqq.

Est et in incessu pars non temnenda decoris;
Adlicit ignotos ille, fugatque viros.
Hæc movet arte latus tunicisque fluentibus auras

[cf. Propert. I. 2. 2.]

Excipit; extensos fertque superba pedes.
Illa velut conjux Umbri rubicunda mariti
Ambulat; ingentes varica fertque gradus.

Ridentem catuli ore Gallicani.
Circumsistite eam, et reflagitate:
Mœcha putida, redde codicillos;
Redde, putida mœcha, codicillos.
Non assis facis? O lutum, lupanar,
Aut si perditius potest quid esse.
Sed non est tamen hoc satis putandum.
Quodsi non aliud pote est, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.
Conclamate iterum altiore voce:
Mœcha putida, redde codicillos,
Redde, putida mœcha, codicillos.
Sed nil proficimus, nihil movetur.
Mutanda est ratio, modusque vobis,
Si quid proficere amplius potestis.
Pudica et proba, redde codicillos.

13. *O lutum, o lupanar* vel *o lutum luparum* vult Stat. *o lutum lupanare* Vossius.—*Oblitum o lupanar* tentat Heins. in not. ad Catull. quia, teste Vossio, olim lectum sit *oblitum lupanar*.

16. *Non aliud potest* in MSS. Stat.

cf. in hanc rem Interpretes ad Petron. c. CXXVI. et Burmannus ad Phædr. Fabul. V. 1. 13. *incedere* autem proprie de iis, qui gravitatem quandam et dignitatem incessu affectant. Prop. II. 2. 6. cf. Serv. ad Virg. Æn. I. 46.—*mimice et moleste ridere* est morem imorum et ingrato more ridere, *catuli ore Gallicani*, ore patulo et late diducto, quali fere instructi sunt canes venatici Gallicani.

11. *Putida*, ridicula ob nimium et multa arte quæsitum placendi studium, ineptis moribus displicens.

13. *O lutum* pro *lutulenta*, sordida, ut sæpe loqui solent Comici. Sic *stupor* supra Carm. XVII. 21. pro homine stupido. Sic *cœnum* apud Cicer. ad Attic. II. 21. Pro Pub. Sext. c. 11. cf. Turneb. Advers. XXIX. 17. *lupanar* pro *lupa*. Sic *carcer* apud Terent. Phorm. III. 2. 25. pro homine carcere digno.

14. *Aut si quid perditius* h. e. vilius et abjectius.

16. *Quodsi non aliud pote est* cet. Quodsi non alia ratione ad extorquenda pugillaria nobis uti licet, *exprimamus*, exprimere certe tentabimus pudorem *Ferreo canis ore*, duro et impudenti ore. *canis* enim jam antiquissimis temporibus fuit impudentiæ imago. In vulgus notum est Homericum κυνώπης. vid. Spanhem. ad Callim. H. in Cererem v. 64. et Interpretes ad Petron. c. 74. Sic apud Terent. Eunuch. IV. 7. 33. *Ain' vero canis?*—et mox eodem sensu v. 35. *os durum*, ubi in edit. Bipont. satis lepida, quales non raro in illa vendi solent, adjecta est explicatio. *durius quam quod molliatur et concoquatur*. [ab *os, ossis*] imo *duri oris* [non *ossis*] *homo* apud Ciceronem et Livium dicitur, cujus os nulla re facile mutatur aut pudore suffunditur, qui omnem pudorem exuit.

23. *Amplius*, alia ratione plus.

CARMEN XLIII.

IN AMICAM FORMIANI.

Salve, nec minimo puella naso,
Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore sicco,
Nec sane nimis elegante lingua,
Decoctoris amica Formiani.
Ten' provincia narrat esse bellam?
Tecum Lesbia nostra comparatur?
O seclum insipiens et inficetum!

1. *Nec nimio naso* Scalig. probante Heins. in not. ad Catull.

Descripta Formiani amicæ deformitate, non satis mirari potest poëta insipidum eorum ingenium, quibus ista bella et digna, quæ cum Lesbia comparetur, videri possit.—In eandem scriptum est Epigram. XLI. quod confer.

1. *Salve*, εἰρωνικῶς: nam profecto illam non *salvere*, sed abire potius in malam rem jubet. Pari modo passim usu venire solet *Vale*: cf. ad Carm. XI. 17. Graviter autem hac solemni quasi allocutione exordiri alias solent poëtæ carmina, Deorum Dearumve vel Heroum laudes celebraturi.—*nec minimo naso.* Fuit iste nasus, quem præ se tulit meretrix, *turpiculus*, ut vocatur Carm. XLI. 3. sive fuerit *nec minimus* h. e. præter modum grandis et expansus, sive *nec nimius* [vid. Var. Lect.] præter modum parvus et depressus. Vossius *nec minimo naso* ridicule interpretatur, *quasi nihil plane nasi habuerit puella.*—*Nec bello pede*, haud dubie nimis largo et spatioso; nam in laude fuit *pes exiguus*, Ovid. Art. Am. I. 623. et Amor. III. 3. 7.—*nec nigris ocellis:* apud veteres quoque pars pulchritudinis ponebatur in nigris oculis, Propert. II. 12. 23. cf. Faber ad Anacreont. Od. XXVIII. 7. et Lambin. ad Horat. Od. I. 32. 11.—*Nec longis digitis:* cf. Propert. II. 2. 5. et ibi Passeratium.—*nec ore sicco*, ex quo salivæ quasi rivulus perpetuo rorat.—4. *nec sane nim. eleg. ling.* innuitur fortasse meretricis infantia vel loquendi rusticitas, vel ingratæ vocis asperitas.—5. cf. ad Carm. XLI. 4.—6. *Ten' provincia.* Scaliger intelligit Galliam, cujus pars esset Transpadana, ubi amica Mamurræ et ipse Catullus, cum hæc scriberet, commoratus fuerit.

8. *O secl. insip. et inficet.* o ætatis nostræ homines ab omni sensu pulchri destitutos!

CARMEN XLIV.

AD FUNDUM.

O FUNDE noster, seu Sabine, seu Tiburs,
Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum lædere : at quibus cordi est,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt.
Sed seu Sabine, sive verius Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana
Villa, malamque pectore expuli tussim;
Non immerenti quam mihi meus venter,

7. Pro *expuli tussim* Scaliger et Vossius malunt *exspui*, quod apud Terentium Eunuch III. 1. 16. dicitur, *miseriam ex animo exspuere*. Sed hæc levis causa ad proscribendam lectionem satis bonam, quæ egregie stabiliri potest Horatii exemplo Epist. II. 2. 137. ubi est *expulit helleboro morbum*. Cæterum hic locus a Viris Doctis felicissime sanatus est ex corrupta et fœda MSC. lectione *aliamque pectore* [vel *petere*] *expulsus sum, non immerenti quam mihi mens vertitur*, vel *mens veretur*, vel *mens vertur* [ut in Stat. MSS.] vel *meus vertet* [uti in Marot. MS.]. Lambini liber *vorax venter*.

Ad cœnam cum invitatus esset Catullus a Sestio quodam oratore pessimo, prælecta ab eo ineptiarum et stuporis plena oratione adeo affectus fuit, ut illico quassaretur tussi et gravedine. Ut igitur, quod in hac cœna devorasset, acerbitatis virus evomeret, et male affectum corpus recrearet, adiit villulam suam, in cujus sinu mox recuratus fuit otio et medicaminibus.—Laudat ergo in hoc carmine villulæ suæ præstantiam et egregium ab illa sibi præstitum beneficium, Sestiique nefaria scripta in posterum se nunquam manu triturum esse sancte pollicetur.—Eandem fere sortem, quam Catullus a Sestio, Philoxenus olim expertus est a Dionysio, cujus prælectis carminibus adeo cruciatus et pæne confectus fuit, ut redire mallet in latomias. vid. Diodor. Sicul. lib. XV. c. 6.

1. *O Funde nost s. Sab. s. Tib.* Situs nimirum fuit Catulli ager in Sabinorum et Latinorum finibus ita, ut commode ad utramque regionem referri posset. Fuit autem ager circa Tibur, oppidum Latii ad Anienem amnem, amœnissimus, cujus suavissimam descriptionem lege apud Horat. Od. I. 7. 11. seqq. *Tiburtem* igitur Catullus, cum ob celebratam ejus regionis amœnitatem, tum ob majorem villulæ conciliandam dignitatem, fundum suum vocari maluit, quam *Sabinum*. Eadem de causa optat Horatius Od. II. 6. 5. seqq.

Tibur—Argeo positum colono
Sit meæ sedes utinam senectæ;
Sit modus lasso maris et viarum
Militiæque.

de *Tiburte* qui egerint, vide quos laudat Illustr. Heyne ad Virgil. Æn. VII. Excurs. VIII. Tom. III. p. 134. 3. *lædere*, urere et pungere.—*Quovis pignore esse contend.* satis nota hæc loquendi ratio vel ex Phædr. IV. 20. 5. *Sacramento contendere* eodem sensu dixit Cic. in Epist. ad Div. VII. 32. ubi cf. de hoc dicendi genere Manutius. 8. 9. *Non immer. quam mihi meus vent. Dum* &c. h. e. quam, dum lautas et opiparas sector cœnas, jure meritoque mihi [*dedit*] contraxit [*venter*] ventris mei voracitas.

Dum sumtuosas appeto, dedit, coenas.
Nam, Sextianus dum volo esse conviva,
Orationem in Antium petitorem
Plenam veneni et pestilentiæ legit.
Hic me gravedo frigida, et frequens tussis
Quassavit, usquedum in tuum sinum fugi,
Et me recuravi otioque et urtica.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod non es ulta peccatum.
Nec deprecor jam, si nefaria scripta
Sexti recepso, quin gravedinem et tussim

11. *Actium* vel *Attium* in plurimis, sed verior lectio videtur nostra, quam Stat. e lectione MSS. *minantium* bene restituit. *munacii* in quibusdam vetustioribus.

15. *Procuravi* Scalig. *Et me curavi* in uno MSC. Stat. qui conjicit; *Et me ne curavi*, ut *ne* pro *quidem* dictum sit. *ocymoque* Muret.

17. *Quæ non es ulta peccatum* in MSS. Patav. Statii. *quod non es* ulte *peccatum* emendat Gabriel Faernus, ut ad fundum referatur, quem sequitur Vulpius. *non es* ultu' *peccatum* Muret.

19. *Sesti* et vers. seq. *Sestio* scribunt alii, quod rectum puto ob locum Ciceronis in notis laudatum, ubi est ἀνοστιωδέστερον. cf. in hanc rem ad locum Cic. Leonard. Malhesp.

10. *Sextianus conviva*. haud dubie ad *Sextium* vel potius *Sestium* nostrum pertinent *dicta Sestiana* pro insulsis et ineptiis apud Ciceron. ad Div. VII. 32. ad quem locum jam Victorius probatum ivit, eundem ibi Sestium a Cicerone innui, quem Catullus in hoc carmine perstrinxerit. Fortasse de eodem valet, quod scribit Cic. ad Attic. VII. 17. *in quo accusavi mecum ipsum Pompeium, qui cum scriptor luculentus esset, tantas res, atque eas, quæ in omnium manus venturæ essent, Sestio nostro scribendas dederit; itaque nihil unquam legi scriptum* ἀνοστιωδέστερον h. e. magis insulsum et frigidum.—11. *Orat. in Ant.* de Antio nihil certi pronuntiari potest. Vossius intelligit *C. Antium Restionem*, qui legem tulit sumtuariam et proscriptus a triumviris anno U. C. 711. mira servi fidelitate evasit, testibus Macrobio et Appiano Alexandrino.—*petitorem* perperam Vulpius, et quos ille sequitur, de eo explicant, *qui in veste candida magistratum a populo petierit*. imo *petitor* jam est actor causæ, qui petit et litem intendit, cui opponitur *unde petitur* h. e. reus, in quo sensu *petitor* passim apud Ciceronem dicitur. verbi causa in Orat. pro Roscio c. 14. edit. Græv. cf. Terent. Eunuch. Prolog. v. 11. 12.—Pro reo igitur quodam in oratione ista pestifera contra actorem Antium causam dicere ausus fuerat Sestius.—*Plen. ven. et pestil.* cf. supr. Carm. XIV. 19.

13. *Gravedo frigida*, morbus, qui, ut Celsus docet IV. 2. *nares claudit, vocem obtundit, tussim siccam movet*; est igitur *gravedo*, quod dicimus: Schnupfen und Catarre.—*in sinum tuum* eleganter summæ familiaritatis et consuetudinis indicandæ causa pro *ad te*. 17. *meum peccatum*, quod temere me adduci passus sim, ut lautioris coenæ causa hominem stultum adirem, qui pæne me perderet et enecaret stultissimæ orationis prælectione. 18. *Nec deprecor*, nec recuso et a me amolior. *recepso* antique pro *recepero*.

Non mi, sed ipsi Sextio ferat frigus,
Qui tunc vocat me, cum malum legit librum.

20. *Non mi, sed ipsi Sest.* explico: non mihi solum, sed ipsi quoque Sestio; quam quidem explicationem orationis nexus fere flagitat; huc accedit, quod particulæ, *non*, *sed*, sæpiuscule apud optimos scriptores poni solent pro *non modo, sed etiam*. vid. Cort. ad Sallust. Jugurth. XIV. 23. p. 484. et Drackenb. ad Liv. X. 6. Tom. III. p. 25. ad XXVIII. 26. Tom. IV. p. 226. et ad XXXVIII. p. 22. Tom. V. p. 199.

21. *Qui tunc voc. me, cum mal. leg. libr.* ex bono alias more apud veteres fieri solebat, ut convocatis ad cœnam amicis doctos labores prælegerent, et, priusquam illos publici juris facerent, eorum judicio subjicerent; sed non raro huic mori male indulgebant homines stulti, laudem stultissimis scriptis, quibus non parum sibi placebant Suffeni isti, per oblatas epulas a convivis paraturi. Huc pertinet Lucil. Epigr. LXXII. in Anal. Vet. Poët. Græc. Brunk. T. II. p. 331.

Ποιητὴς πανάριστος ἀληθῶς ἐστιν ἐκεῖνος,
Ὅστις δειπνίζει τοὺς ἀκροασαμένους·
ἢν δ' ἀναγινώσκῃ, καὶ νήστιας οἴκαδε πέμπῃ,
εἰς αὐτὸν τρεπέτω τὴν ἰδιήν μανίην.

De verbo *vocare* pro *invitare* vid. ad Carm. XLVII. 7.

CARMEN XLV.

DE ACME ET SEPTIMIO.

Acmen Septimius, suos amores,

Versatur hoc carmen in ferventissimo Septimii et Acmes describendo amore, et declarando modo, quo mollissimos amoris sensus invicem sibi patefecerint. Septimius Acmen suam in gremio tenens, summum, quo erga illam flagrat semperque flagraturus sit, amoris ardorem perpetuæ fidei obtestatione exponit primum; quem blande deinde excipit Acme dulci osculo, et multo vehementiorem, quo torreatur, erga illum amorem libere fassa proprìam se illi per totam vitam dicat.— Sed huic amori, cui nunc demum Amor dexter adspirasse dicitur, v. 8. 9. et 17. 18. non respondisse antea videtur optatus successus, sive aspera primum fuerit Acme, sive alia impedimenta amori objecta fuerint.—Cæterum miram in mutuo invicem sibi aperiendo amore simplicitatem et venustatem quilibet, opinor, in hoc dulcissimo mellitissimoque carmine mirabitur. Expressit hoc carmen Kretschman. in Carm. Teuton. T. II. p. 206.

1—8. *Suos amores*, amicam suam. vid. ad Carm. X. 5. *Quant. qui pot. pl. per.* h. e. quantum ullus amator amicam suam perdite amare potest. *perire* pro deperire cf. ad Carm. XXXV. 12. 6. *Solus in Libya* pro sola in Libya h. e. deserta. *India tosta*, arida, torrida. Nos hunc autem a Nostro Africam cum India componi observat Barthius ad Stat. Silv. IV. 3. 137. quod equidem non video. Voluit et potuit poëta jam quamlibet regionem remotiorem appellare, leones alentem, quod quidem de India æque ac Libya valere non dubium est, quamquam Libya leonum frequentiâ nobilior sit, et *Getuli* inprimis *leones* sæpe apud poëtas

Tenens in gremio, Mea, inquit, Acme,
Ni te perdite amo, atque amare porro
Omnes sum assidue paratus annos,
Quantum qui pote plurimum perire:
Solus in Libya, Indiave tosta,
Cæsio veniam obvius Leoni.
Hoc ut dixit, Amor, sinistram ut ante,
Dextram sternuit approbationem.

5. *Quoi pote* in marg. libr. Bibl. Bodleian. Oxon.

8. *Sinistra ut ante Dextra sternuit approbatione* MSSC. fere omnes et editt. veter. nec video, cur non ita loqui potuerit Catullus: nostram lectionem produxit Statius ex MSC. Patavino altero.—*Hoc ut dixit Amor sinister ante, Dextram sternuit adprobationem* Vossius, qui in quibusdam libris invenerat *sinistrante ante*. Ceteris lectionis monstris futilibusque recensendis conjecturis chartam perdere nolo.

commemorentur. 7. *cæsio leon.* τὸ *cæsius* male vulgo explicant de glauco leonis colore. imo *cæsius* leo plane est, qui Homero Iliad. XX. 172. dicitur γλαυκιόων h. e. vultum truculentum præ se ferens, quia oculi cæsii truculentum quiddam et terribile habent. In quam sententiam recte etiam explicatur Minerva γλαυκῶπις. vid. Hemsterhus. ad Luc. T. I. p. 226. et Heins. ad Ovid. Art. Am. II. 659. Terribilis autem leonis vultus multo gravius quam ejus color ab Homero et aliis pœtis in adjunctis exprimi solet. Hinc σμερδαλέος Iliad. XVIII. 579. χαροπὸς Odyss. XI. 610. *obvius veniam* sc. ut me sceleratum et perfidum discerpat. Sceleratos enim præcipue a feris peti, vulgaris ferebat veterum opinio. Hinc Horat. *integrum vitæ scelerisque purum* se prædicans, sponte *se inermem lupum in silva Sabina fugisse* canit Od. I. 22. 9. sqq.

8. *Hoc ut dixit, Am. sin. ut* cet. Sensus est: ab hoc tempore et hoc amoris declarandi modo favere cœpit Amor Septimii et Acmes amori, cui antea minus favere visus est.—*Sternuere dextr. approb.* est omen faustum, *sinistr. appr.* omen infaustum sternuendo prædicere. Sternutamenta enim jam antiquissimis temporibus ad bona auspicia pertinuisse apparet ex Homero, ubi faustum eventum ex Telemachi sternutatione auguratur Penelope Odyss. XVII. 545. Sic de Menelao apud Theocrit. Idyll. XVIII. 16.

Ὄλβιε γάμβρ', ἀγαθός τις ἐπέπταρεν
ἐρχομένῳ τοι
Ἐς Σπάρταν.—

Hinc vulgaris illa, qua sternuentes apud veteres excipiebantur, cantilena ζεῦ σῶσον. Translatum igitur est *sternuere* inde ab hominibus vel ad Deos, qui cœptis propitii adessent, præcipue ad Amorem, amantium votis obsecundantem Theocr. Idyll. VII. 96. Σιμιχίδᾳ μὲν Ἔρωτες ἐπέπταρον. Propert. II. 3. 24.

Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus,
Aureus argutum sternuit omen Amor.

vel ad alias boni ominis res, verbi caussa ad crepitantem lucernæ stridorem apud Ovid. Heroid. XIX. 151. vide in hanc rem Interpretes ad locos laudatos, præcipue Burmann. Sec. ad locum Propert. et quos laudat Pet. Burmann. ad Ovid. l. c. Memorabile autem est in nostro loco, quod Amor *sinistram* quoque *approbationem* sternuisse dicitur; unde non ad bona solum, sed etiam ad mala omina relata fuisse sternutamenta recte colligi potest, quod egregie confirmat locus Frontin. Stratag. I. c. 12. §. 11.

At Acme leviter caput reflectens,
Et dulcis pueri ebrios ocellos
Illo purpureo ore suaviata,
Sic, inquit, mea vita, Septimille,
Huic uno domino usque serviamus,
Ut multo mihi major acriorque
Ignis mollibus ardet in medullis.
Hoc ut dixit, Amor, sinistram ut ante,
Dextram sternuit approbationem.
Nunc ab auspicio bono profecti,
Mutuis animis amant, amantur.
Unam Septimius misellus Acmen
Mavolt, quam Syrias Britanniasque:
Uno in Septimio fidelis Acme
Facit delicias, libidinesque.
Quis ullos homines beatiores
Vidit? quis Venerem auspicatiorem?

12. *Saviata* Meleager.
14. *Huic* uni perperam in quibusdam; nam amat Catullus formam hujus vocis antiquam, ut supr. Carm. XVII. 17.

10—13. *Levit. cap. refl.* nota est simillima illa Licymniæ osculationis descriptio apud Horat. Od. II. 12. 25. *Dum flagrantia detorquet ad oscula cervicem.*—*ebrios ocellos,* ebrii oculi sunt, quos vocat Quintilianus lib. XI. c. 3. *Lascivos et mobiles aut natantes et quadam voluptate suffusos* cet. Eodem plane sensu oculi vocantur apud Græcos *ὑγροί*, vid. Fischer. ad Anacr. Od. XXVII. 21. imprimis Bergler. ad Alciphr. p. 117. et quæ de oculorum petulantia copiose notarunt Interpret. ad Petron. cap. CXXVI. 12. *illo purpureo ore,* h. e. pulchro. nihil amplius, ut recte Bentl. ad Hor. Od. III. 3. 12. sed observa vim in pronomine *illo*, h. e. cum nullo alio comparando.

13. *Sic, inquit, mea vita* cet. particula *sic* respondet *τῷ ut* v. 15. Sensus est; Quam certe ego te multo ardentius amo, tam certe semper ego meam tibi uni probabo fidem. est igitur jurisjurandi genus; expende verborum ornatum. *Huic uno domino* δεικτικῶς et eleganter pro: tibi. *Serviamus* eleganter hoc verbum ad amorem transfertur Terent. Eun. V. 8. 3. Ovid. Amor. II. 17. 1. ut δουλεύειν apud Græcos. vid. Dorvill. ad Chariton. II. c. 17. p. 319. edit. Lips. Suaviter autem et molliter jam Acme Septimium suum *dominum* vocat, cum alias solæ puellæ apud poëtas in amore audiant *dominæ*, quibus proprie *servire* dicuntur amatores. Nisi quis forte verba: *Huic uno domino*: suavissima imagine δεικτικῶς ad *Amorem* tanquam præsentem referre malit. et sic similiter infr. Carm. LXI. 134. dicitur: *servire Thalassio.*

19. *Nunc ab auspic. bon. prof.* h. e. lætis ominibus amorem exorsi. 21. *misellus* der Zärtliche. cf. ad Carm. XXXV. 14.

CARMEN XLVI.

AD SE IPSUM DE ADVENTU VERIS.

JAM ver egelidos refert tepores,
Jam cœli furor æquinoctialis
Jucundis Zephyri silescit auris.
Linquantur Phrygii, Catulle, campi,
Nicææque ager uber æstuosæ.
Ad claras Asiæ volemus urbes.
Jam mens prætrepidans avet vagari;
Jam læti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete cœtus,
Longe quos simul a domo profectos
Diverse variæ viæ reportant.

11. *Diverse varie* liber Heinsii. *Diversos variæ* in MSC. teste editore Cantabrig. quam lectionem servavit Vulpius. *diversæ varie* vel *diversæ et variæ* in quibusdam.

Catullus cum esset in Bithynia, quem male ibi in comitatu Memmii se habuisse constat ex Carmen X. et XXVII. sub adventu veris, quo discessum ex Bithynia apparaturus erat, exsultat præ lætitia, et dulcissimam, quam ex hac in aliam regionem instituendo itinere capturus sit voluptatem, jamjam animo præsentiscit. Læto igitur animo valedicit comitibus.

1. *Egelidos tepores.* egelidus est gelu expers, et dicitur de tepidis et mollioribus sub veris reditu auræ flatibus. Hinc *ver egelidum* apud Columell. X. 282. ubi vid. de hac voce Beroaldus, *furor cœli æquinoctialis*, sublimius et exquisitius de ventis sub æquinoctium imprimis furere et bacchari solitis; videtur igitur scriptum hoc carmen post æquinoctium. Statius et alii parum commode *æquinoctialis* ad *Zephyri* trahunt, at Vossius et Vulpius *æquinoctialis* referunt ad *cœli*. ego jungo *æquinoctialis furor*.

4. *Phrygii campi:* Bithynia enim antiquitus fuit pars Phrygiæ minoris.

5. *Nicææq. ag. ub. æst.* vide de hac urbe Strabon. lib. XII. p. 389. [edit. Casaub.] ubi Nicæam, μητρόπολιν τῆς Βιθυνίας vocat, et ejus πεδίον μέγα καὶ εὐδαίμον laudat. *æstuosa* ex explicatione Vossii dicitur Nicæa, quod, quo vehementius ibi, teste Galeno, ob crassiorem aërem hyemali tempore sæviret frigus, eo gravior deinde, ut docet Aristoteles, ibidem ferveret calor. 6. *ad clar. Asiæ urb.* huc refer Pergamum, Smyrnam, Ephesum, Miletum et alias. cf. omnino Ducker ad Liv. XXVI. 24. §. 9. Tom. III. p. 1104. edit. Drackenb.

7. *Mens prætrepidans.* prætrepidare eleganter de iis, qui moræ sunt impatientes et præ lætitia, vel cupidine alicujus rei, quam mox suscepturi sunt, sicut equi generosi, ut hoc exemplo utar, frenum mordentes, trepidant.

8. *Jam læt. stud. ped. vig.* versus ornatissimus pro vulgari: jam pedes prompti et parati sunt ad ingrediendum iter. *studio* sc. ambulandi. Vulpius, qui *pedes* de navium pedibus explicat, egregie, ut passim, ineptit.

9. *O dulc. comit.* haud dubie intelligit ceteros ex cohorte Memmii.

11. *Diverse,* in diversas terræ regiones.

CARMEN XLVII.

AD PORCIUM ET SOCRATIONEM.

Porci et Socration, duæ sinistræ
Pisonis, scabies famesque Memmi;
Vos Veranniolo meo et Fabullo
Verpus præposuit Priapus ille?
Vos convivia lauta sumtuose
De die facitis; mei sodales

2. In plerisque editt. præter Vulp. recepta est lectio *famesque mundi*, quam quidem omnes libros MSSC. nisi quod in nonnullis pro *mundi* sit *mondi* vel *mandi*, pro se ferre testantur Achill. Stat. et Janus Meleager. Sed ex mea sententia totus locus friget, nisi viri cujusdam nomen jungatur substantivis *scabies famesque*. Jam vero cum Scaliger in libro suo invenerit: *scabiesque Memmi*, eandemque lectionem offerat edit. Venet. ab anno 1493 et Gryph. ab anno 1537, servandam et revocandam illam putavi, præcipue cum Catullus eosdem bonos viros Pisonem et Memmium jam secum composuerit eorumque imparitatem perstrinxerit supra Carm. XXVIII.

Catullus cum homines nequissimos, Porcium et Socrationa, ob inhonestum, quo Pisonis habendi cupiditati velificabantur, studium, bene et laute, at sodales suos Veranniolum et Fabullum, quibus isti nebulones prælati essent a Pisone, maligne et duriter vivere videret, animi sui indignationem de hac iniqua sorte abjectis istis hominibus hoc carmine declarat.

1. *Duæ sinistr. Pisonis.* h. e. quorum opera egregie uti poterat Piso in surripiendis aliorum bonis; de *manu sinistra*, furto infami, vid. supr. ad Carm. XII. 1. erant igitur Porcius et Socration ministri et quasi instrumenta Pisonis nequitiæ; iidem paulo audacius mox vocantur *scabies et fames Memmi* ideo, quod Memmii avaritiæ ita inservire studebant, ut istius *scabiem* et *famem* in semetipsis referrent, et eadem, qua ipse, aliorum bonis rapacitate inhiarent: der Abdruck von Memmius immer reizenden Haabsucht und Geldhunger. *Scabies* de nimio et prurienti quasi lucrandi studio dicitur apud Horat. Epist. I. 12. 14.

Cum tu inter scabiem tantam et contagia lucri
Nil parvum sapias,

et *auri sacra fames* de insana habendi cupiditate ex Virgilio satis nota est. Videant de hac mea explicatione doctiores. cf. Var. Lect. Cæterum de *Memmii* avaritia et illiberalitate vid. ad Carm. X. de *Pisonis* ad Carmen XXVIII.

4. *Verpus Priapus ille*, proprie salacissimus iste homo Piso, quasi totus penis. Sed puto hac obscœna imagine nil nisi sordidissimam Pisonis avaritiam et turpitudinem notari, ut supra Carm. XXVIII. 12. *nam nihil minore verpa Farti estis*. idem valebat de voce *irrumator*, vid. nos ad Carm. X. 12. et verbo *irrumare* Carm. XXXVII. 8.

6. *De die*, h. e. statim a meridie sive multa adhuc die; eodem modo passim apud Ciceronem dicitur *de nocte* pro statim a media nocte, sive multa adhuc nocte. *convivia* igitur *de die* sunt *tempestiva*. vid. Interpretes ad Curt. V. 7. 2. ubi est *de die convivia inire*. cf. Bur-

Quærunt in triviis vocationes?

mann. ad Phædr. III. 10. 20. Sic Græci ἀφ' ἡμέρας πίνειν. vid. Toup. Emend. in Suid. P. III. p. 221.

7. *Mei sodales Quærunt in triv. vocat.* at sodales mei in triviis exspectare debent invitationes ad cœnam? *vocationes* sunt *invitationes*, quemadmodum *vocare* [καλεῖν apud Græcos] simpliciter pro *invitare* dicitur, ut supr. Carm. XLIV. 21. cf. Cort. ad Plin. Epist. X. 117. Hinc servi ad cœnam invitantes dicti sunt *vocatores*, Græcis κλήτορες. vid. Rittershus. ad Oppian. Halieu. III. 232. p. 270. qui plusoula in hanc rem dabit. *in triviis*, respexit fortasse poëta cœnam Hecatæ, in cujus honorem sub initium cujusque mensis apud Athenienses præcipue a ditioribus cœna instructa et in triviis proposita fuit, ut diriperetur a pauperibus: de qua re vid. Hemsterhus. ad Lucian. T. I. p. 330.

CARMEN XLVIII.

AD JUVENTIUM.

Mellitos oculos tuos, Juventi,
Si quis me sinat usque basiare,
Usque ad millia basiem trecenta,
Nec unquam saturum inde cor futurum est:
Non si densior aridis aristis
Sit nostræ seges osculationis.

4. *Nec unquam videar satur futurus* edit. Gryph. *inde cor satur futurus* invenit Stat. in MSC. unde tentat *Nec mi unquam videor satur futurus.* Vossius defendit librorum veterum scripturam *Nec unquam inde ero satur futurus,* quam se invenisse etiam in L. MSC. et Edit. R. affirmat editor Cantabrigiensis, qui transposita voce *satur* versum sic concinnandum putat: *Nec unquam satur inde ero futurus.* Quam nos dedimus lectionem satis bonam, jam est in edit. Venet. ab an. 1493.

Juventium, puerum formosum, a quopiam sibi deosculandum dari optat, cujus ne numerosissima quidem osculorum copia se expletum iri ait. conf. in eundem Juventium Carmen XXIV.

1. *Mellit. ocul.* de more osculandi oculos vid. ad Carm. IX. 9. et cf. XLV. 11.

4. *Nec unquam satur. inde cor futur.* Nam ut Theocrit. canit Idyll. III. 20.

Ἔστι καὶ ἐν κενεοῖσι φιλάμασιν ἀδέα τέρψις.

5. *Non si dens. arid. ar. sit. seg.* cet. versus suavissimi et ornatissimi! *aristarum* comparatione ad ingentem alicujus rei significandum numerum et alii poëtæ passim usi sunt. Ovid. Epist. ex Ponto II. 7. 25.

Cinyphiæ segetis citius numerabis aristas.

cum *arena Libyssa* infinitam osculorum copiam comparat Noster supr. Carm. VII. 2.

CARMEN XLIX.

AD M. T. CICERONEM.

Disertissime Romuli nepotum
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis;
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poëta:
Tanto pessimus omnium poëta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

6. Hunc versum abesse in melioribus libris affirmat Vossius, quo quidem sublato nec sensum turbari idem existimat; cum *quantus*, *qualis* et similia pronomina absque relativis poni soleant; quod quamvis in nonnullis locis verum est, vid. Drackenborch. ad Liv. IX. 36. §. 2. Tom. II. p. 985. id tamen parum commode huic loco accommodari posse videtur. Librariorum fortasse incuria ob verborum repetitionem, ut sæpe factum est, hic versus excidit.

M. T. Ciceroni, cui obstrictus pro re quapiam tenebatur Catullus, gratias in hoc carmine agit, quas potest maximas, et quanto ipse se omnibus poëtis inferiorem fatetur, tanto illum omnes oratores eloquentia superare ait.

2. *Quot sunt, quotque fuere,* nota loquendi forma de rebus vel hominibus incomparabilibus. Sic supr. Carmen XXIV. 1—4.

O qui flosculus es Juventiorum,
Non horum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut posthac aliis erunt in annis.

cf. supr. Carm. XXI. 2. et 3.

CARMEN L.

AD LICINIUM.

Hesterno, Licini, die otiosi

Convenerat die quodam inter Catullum et Calvum Licinium, otio, quo fruebantur, ita uti, ut versibus invicem se lacesserent, et alter ad alterius in Catulli tabellis scriptos versus responderet. In quo quidem certamine poëtico Calvi sale et leporibus ita abreptus fuit Catulli animus, ut domum reversus, cum totus esset in repetendis et admirandis Calvi facetiis atque leporibus, nec cibo nec somno juvaretur. Scripsit igitur in hac ipsa graviori animi affectione hoc poemation, quo misso non solum indomitum, quo ob privatam ejus absentia voluptatem nunc crucietur, significaret dolorem Licinio, sed eundem quoque, ut summo, quo flagret, secum versandi colloquendique quam primum satisfaciat desiderio, per Nemesin obtestaretur. De Calvo Licinio vid. supr. ad Carm. XIV.

Multum lusimus in meis tabellis,
Ut convenerat esse, delicatos
Scribens versiculos uterque nostrum,
Ludebat numero modo hoc, modo illoc,
Reddens mutua per jocum atque vinum.
Atque illinc abii, tuo lepore
Incensus, Licini, facetiisque,
Ut nec me miserum cibus juvaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos,
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer, cupiens videre lucem,
Ut tecum loquerer, simulque ut essem.
At defessa labore membra postquam

3. *Ut convenerat esse, delicatos* in Patavin. altero, male!

2. *Multum lusim. in meis tab.* versibus enim αὐτοσχεδιαστὶ in pugillaribus exaratis boni etiam nonnunquam poëtæ animi causa ludere solebant, frequentius tamen poëtæ deterioris notæ. Horat. Sat. I. 4. 13. seqq.

——Ecce
Crispinus minimo me provocat: Accipe, si vis,
Accipe jam tabulas, detur nobis locus, hora,
Custodes: videamus, uter plus scribere possit.

3. *Ut convenerat esse,* supple *otiosos,* et explica: ut conventum inter nos fuerat hoc die esse otiosos; sic omnis, puto, qua impediti tenentur interpretes, remota erit difficultas. Male in editione Bipont. et aliis interpungitur post *delicatos,* quod ad versiculos referendum est; *delicati versiculi* sunt jocosi.

6. *Reddens mutua* sc. carmina, quod sæpe omitti solet. Sic apud Virgil. Eclog. VII. 22.

——proxima Phœbi
Versibus ille facit.

ubi si ad *proxima* supples *carmina,* non opus est cum *Heynio* statuere τὸ *proxima* tanquam neutrum absolute positum esse pro *proximos.* cf. Vir. Eclog. IX. 36. et Aen. II. 239. *reddere mutua* igitur est quasi *alternis canere.* — *per jocum atque vinum* insolentius dictum videtur *per vinum*; sed vid. exempla apud Drackenborch. ad Liv. LX. 7. 9. Tom. V. p. 439. supra dicebatur Carm. XII. 2. *in joco atque vino.*

7. *Illinc abii,* ex hoc certamine.

8. *Incensus* non ira ob præreptam sibi in hoc certamine a Calvo palmam, sed in bono sensu: facetiarum admiratione inflammatus, plane iis abreptus et in una harum facetiarum cogitatione defixus.

9. *Me miserum,* vehementiori animi affectione impeditum.

10. *Nec somnus tegeret quiete ocellos.* ornate additum est τὸ *quiete.* indomitus sc. somno, *furore,* ob furorem. vincere igitur et domare furentem et nimium sibi indulgentem animum somnus nequibat.

14—15. Versus ornatissimi! *defessa labore* versando et circumagitando *membra semimortua* elanguida, inertia et adeo viribus exhausta, ut vix amplius versari et promoveri in lectulo possent, qualia fere sunt, quæ morte appropinquante deficere incipiunt.

Semimortua lectulo jacebant,
Hoc, jucunde, tibi poema feci,
Ex quo perspiceres meum dolorem.
Nunc audax, cave, sis; precesque nostras,
Oramus, cave despuas, ocelle,
Ne pœnas Nemesis reposcat a te:
Est vehemens Dea; lædere hanc caveto.

19. *Cave despuas ocello* vitiose in quibusdam cum vett. tum recentioribus; nam quis unquam dixerit: *ocello aliquem despuere?*

20. *Ne pœnas Nemesis reponat: Ate est vehemens Dea* Meleag. Voss. et editor Cantabrig. sed quilibet, opinor, vulgatam sine hæsitatione præferet.

17. *Meum dolorem*, quem tui desiderio capio.

18. *Precesque nostras* refer ad vers. 13. optat nimirum et precatur, ut quamprimum Calvus una secum esse velit.

19. *Despuas*, respuas et a te amoliaris; ductum inde, quod, qui rem mali ominis vel etiam homines sibi invisos aversarentur, ter in sinum despuere solebant. Tibull. I. 2. 96. Theocrit. Idyll. VI. 39. et XX. 11. *ocelle*, carissime, quem jam supra Carm. XIV. 1. *plus oculis a se amari* dixit.

20. *Nemesis* superbiæ ultrix Macrob. Saturn. I. c. 21. *Nemesis quæ contra superbiam colitur.* cf. Vulp. et *Herderum* in *zerstreute Blätter* T. II. p. 230. seqq.

21. *Est vehemens dea:* graviter superbos ulcisci solens. βαρὺς θεός.

CARMEN LI.

AD LESBIAM.

Ille mihi par esse Deo videtur,

Beatum et vere divina sorte, vel si quid ultra, illum frui putat, cui tam felici esse contingat, ut Lesbiam contra intueri et dulces ejus voces captare possit, qua quidem obtingente sibi felicitate sensibus adeo se privari et furere corripi fatetur.—Quam studiose Græcorum vestigia presserit Catullus, vel ex hoc carmine dilucide apparet, quod ad singula verba pæne, ut infra Carm. LXVI. de coma Berenices ex Callimacho, expressum et translatum dedit ex Sapphus quodam carmine, servato illo nobis a Longino de Sublimitate cap. X. ubi si quis acutissimi harum elegantiarum arbitri de sublimitate hujus carminis legerit judicium, nec meam nec me peritiorum, opinor, commendationem desiderabit.—In gratiam juvenum, ut, perfectissimo veræ simplicitatis et naturalis pulchritudinis exemplo ante oculos posito, summam, nisi omni sensu pulchri destituti sint, ex instituta utriusque carminis comparatione percipiant voluptatem, subjiciendum curabo venustissimum Sapphus odarion, modo de nexu ultimæ strophæ, quam sensu suo ductus Sapphicæ imitationi Catullus addidit, quædam præmisero. Profecto enim in ex-

Ille, si fas est, superare Divos,

plicando hoc carmine vere et turpiter abusi sunt *otio*, qui cum nexum ultimæ strophæ cum cetero carmine sensu suo non possent assequi, insulsissima ad hunc locum vendere et lectoribus obtrudere non erubescerent judicia. Sic *Vossius* Catullum *otio* in adeo tenui re, vertendo Sapphus carmine, diutius abuti nolentem abrupisse et hoc nomine ultimam stropham addidisse censet, quo quid ineptius a viro docto vix dici et in medium proferri potuit; alii, qui mollius de Catulli ingenio sentirent, fragmentum certe alius carminis, cujus initium perierit, putarunt.—Haud raro nimirum factum est, ut in locis poëtarum pulcherrimis, præcipue iis, ubi amatorum modo ferventissimo amore flagrantium, modo eidem renunciantium, modo supplicantium, modo superbientium, modo laudantium, modo objurgantium, modo exsultantium, modo dolentium, egregie se invicem quasi trudentes animi motus expressi eorumque imagines vivis coloribus adumbratæ sunt, egregie hallucinarentur eorum interpretes et frustra cogitationum nexum quærentes istos locos impugnarent, turbarent, luxarent vel certe reprehenderent. Qua quidem in re præ ceteris turbas dedisse *magnum Scaligerum* ex ejus trajectionibus in Tibullo et Propertio audacter tentatis satis constat. At profecto non sola doctrinæ copia [quam quis ausit derogare Scaligero, Vossio et aliis?] in explicandis poëtarum carminibus juvamur, sed feliciter in iis interpretandis versaturi, eorum sensum potius quasi induere, eorum statum et conditionem subire et in animo nostro in eorum locum nos surrogare debemus. In quam rem vide, quæ præclare disputat *Heyne* ad Tibull. de codic. et editt. p. XVI. edit. nov. Idem valet de ultima strophа παρὰ προσδοκίαν carmini nostro addita, qua ex meo quidem sensu maxima omnino eidem conciliatur dignitas et majestas. Quodsi enim tibi finxeris Catullum, cum imitationem Sapphicam ad Lesbiam suam translatam pæne finierat, seriori cogitatione instituta et causa insani amoris et ineptiarum in *otio* inventa, post breve temporis intervallum in hæc verba erupisse:

Otium, Catulle, tibi molestum est,

haud scio, an hic locus inter præstantissimos Catulli locos habendus et gravitate ceteris omnibus præferendus sit?—In eodem animi statu, quo ultima hujus carminis stropha scripta est, scriptum etiam videtur Carm. VIII: *Miser Catulle, desinas ineptire:* et sic sæpe apud amantes repugnantes plane invicem se excipiunt animi motus. Sic Tibullus I. 4. 75—81. qui modo jactanter se professus fuerat magistrum spretis amatoribus, et cuilibet se aditùro Veneris præcepta promiserat, eodem fere momento v. 82. infr. furit, nec ulla arte indomito amoris furori resistere potest. Sic apud Terentium in Eunucho Phædria, in cujus mira arte adumbrato charactere absolutissimum veri amatoris habes exemplum, modo æstuat, modo animi mollitiem ejicere tentat, modo ad pristinam insaniam redit.—Nec tamen in amore tantum ejusmodi conversiones apud magnos et lyricos præcipue poëtas locum habent, sed etiam in tractandis aliis rerum argumentis cum gravioribus tum ludicris. Sic Noster supra Carm. XXII. postquam salse perstrinxerat Suffeni φιλαυτίαν, repente ad se redit vers. 18. ubi cf. argumentum.—Sed ut in gratiam redeam cum iis, quibus levia forte, quæ in hanc rem attexere sustinui, videantur, apponam nunc Sapphus odarion, ut legitur illud apud Longin. ex recensione Mori p. 62—66.

Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν
Ἔμμεν' ὠνὴρ, ὅστις ἐναντίος τοι
Ἰζάνει, καὶ πλασίον ἁδὺ φωνού-
  σας ὑπακούει,
Καὶ γελαΐς ἱμερόεν· τό μοι τὰν
Καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν·
Ὡς γὰρ εἴδω σε, βροχέως με φωνᾶς
  Οὐδὲν ἔτ' εἴκει·
Ἀλλὰ καμμὲν γλῶσσα ἔαγε· λεπτὸν δ'

Qui sedens adversus identidem te
Spectat et audit
Dulce ridentem, misero quod omnes
Eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, adspexi, nihil est super mi
* * *
Lingua sed torpet: tenuis sub artus
Flamma dimanat: sonitu suopte
Tintinant aures: gemina teguntur
Lumina nocte.
Otium, Catulle, tibi molestum est;

7. *Suprema* in nonnullis apud Stat. * * * hanc lacunam olim explevit Parthenius ita: *Quod loquar amens*, et Corradinus de Allio: *voce loquendum*. certe tale quid postulant verba græca βροχέως μὲ φωνᾶς οὐδὲν ἔτ' εἴκει. Sed quis ausit in textum recipere, quod in ejusmodi veterum scriptorum lacunis non nisi ingenio V. V. D. D. suppletum et prolatum fuit; æque ac si quis quartam Sapphici carminis stropham, quam intactam reliquerat Catullus, a Statio, Jan. Dousa fil. et aliis imitatione expressam Catullianæ imitationi sociare velit.

9. *Tenues* in quibusdam, male! nam est in Sapphus carmine λεπτὸν πῦρ.

10. *Suapte* pro *sponte* absolute positum vult Vossius, in quam rem laudat Lucret. VI. 755. sed ibi in optimis libris legitur *sua vi*.

11. *Tinniunt* Muret. Gryph.

Αὐτίκα χρῷ πῦρ ὑποδεδρόμακεν·
Ὀππάτεσσιν δ' οὐδὲν ὄρημ', ἐπιῤῥομ-
-βεῦσι δ' ἄκουαί·

3. *Sedens adversus*, e regione, ἐναντίος. Francogalli: *vis à vis*.

5. *Dulce ridentem*. notissimus ille locus Hor. Od. I. 1. 22. 23. *Dulce ridentem Lalage namabo, Dulce loquentem.*—*quod* intellige *τὸ spectare et audire Lesbiam.*—*misero mihi*, misero mihi amanti.

6. *Simul* pro *simulac*, ut sexcenties etiam in pedestris orationis scriptoribus.

9. *Lingua sed torpet*: signum ferventissimi amoris. Sic in veteris carminis fragmento Æditui, quod servavit Gellius Noct. Attic. c. 9. *verba labris abire* in amore dicuntur. Hor. Epod. XI. 9. *languor et silentium amantem arguit*. cf. eundem Od. IV. I. 35. 36. et *Lessingii Schriften dritter Theil*. p. 50. —*tenuis flamma*, subtilis et mollis. *dimanat*, permeat: *dimanare* autem, quod proprie de rebus fluidis dicitur, eleganter jam transfertur ad ignem tacite et celeriter serpentem. Sic *manare* et *permanare* apud Lucret. et alios de *igne* dicitur.

18. *Otium, Catulle, tibi molest.* Comparandus omnino cum Nostro locus suavissimus Ovidii Remed. Amor. dignus ille profecto, qui totus a vers. 135 —151. et seqq. ab omnibus juvenibus iterum iterumque legatur, et in succum et sanguinem, quod vulgo aiunt, vertatur. Quædam saltem ex illo delibare liceat. 139. seqq.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus;
Contemtæque jacent, et sine luce, faces.
Quam platanus vino gaudet, quam populus unda,
Et quam limosa canna palustris humo,
Tam Venus otia amat. qui finem quæris amoris;
[Cedit amor rebus] res age: tutus eris.

et paulo post. v. 149.

Otio exultas, nimiumque gestis:
Otium et reges prius, et beatas
Perdidit urbes.

Desidiam puer ille [*Amor*] *sequi solet; odit agentes;*
Da vacuæ menti, quo teneatur, opus.
cf. Terent. Heautont. I. 1. 57.

15. *Otium et reges* est. vid. quæ ad hanc sententiam illustrandam attulerunt Statius et Vulpius.

CARMEN LII.

AD SE IPSUM DE STRUMA ET VATINIO.

Quid est, Catulle, quid moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius sedet:
Per consulatum pejerat Vatinius.
Quid est, Catulle, quid moraris emori?

1. *Quod moraris* Muret. cujus lectionis patrocinium in se suscepit Vulpius, usus auctoritate Ciceronis, qui semper dicere soleat: *quid, quod.* sed in omnibus, quæ produxit, exemplis τῷ *quod* conjunctivus jungitur; et sic debebat etiam esse: *moreris;* at omnes codices et libri veteres conspirant in lectionem *quid,* quæ multo magis animum concitatiorem exprimit.

Catullus, cum homines indignissimos, Nonium Strumam et Vatinium, ad summos honores, hunc quidem ad consulatum, illum ad ædilitatem præturamve evectos videret, ob vix ferendam rei indignitatem non amplius in terra sibi moriendum putat.—Simili fere animi indignatione Horat. Epod. IV. invehitur in Menam, Pompeii libertum, qui levitate et perfidia usque eo pervenerat, ut non solum divitiis, sed equestri splendore adeo superbiret.

2. *Struma Nonius.* meminit ejus Plin. Hist. Natur. XXXVII. 21. cujus distinguendi causa addit: *quem Q. Catullus poëta in Sella curuli visum indigne tulit.*—*Struma* est cognomen a struma, cervicis quodam tumore; cujusmodi multi apud veteres a nævis corporis traxerunt cognomina; ad locum Plinii de hac gente agit *Harduinus.* Cæterum cum aliunde, quos honores gesserit Nonius, non constet, ex sella curuli, magistratuum majorum insigni, in qua sedisse dicitur, Censorem vel Prætorem Ædilemve illum fuisse certe colligere possumus. *Sedet* cum contemtu de homine ignavo et stulto. cf. ad Carm. XXXVII. 6.

3. *Vatinius,* qui fuit consul cum Q. Fusio Caleno anno U. C. DCCVII. cf. supra ad Carm. XIV.—3. *pejerat per consulatum;* jurare enim per carissima quæque præcipue sacrosancta solebant, eo gravius igitur commissum per ea fuit perjurium.

CARMEN LIII.

DE QUODAM ET CALVO.

Risi nescio quem modo in corona,
Qui, cum mirifice Vatiniana
Meus crimina Calvus explicasset,
Admirans ait hæc, manusque tollens:
Dii magni, salaputium disertum!

1. *E corona* affert Meleager e libro Comelini, quam confirmat Papyr. Pal. et libri editoris Cantabrig. cui favet etiam Edit. R. antiquissim. ubi est: *et, corona*.
5. Alii *saluputium*, vel *saliputium*, vel *salapusium*, vel *sapientium*, vel *salapichium*, vel *solopugium*, vel *salicippium*, vel *sallicippium*, vel *salapantium*, vel *kolopashium*, vel *ascolapation*, vel *colabotion*, vel—ohe! sat prata biberunt! tollite manus et admiramini diserta criticorum salaputia!!!

Ridendi causam dederat Catullo quidam ex populo, qui Calvum, audita ejus multa vi et arte in Vatinii criminis habita oratione, *disertum Salaputium* vocarat.

1. *Corona* est circulus hominum, qui judicium in foro audiendi causa ab omnibus partibus cingunt.

3. *Calvus.* de Calvo et Vatinio cf. ad Carm. XIV.

4. *Manusque tollens*, χεῖρας ἀνασχόμενος. morem veterum, summam sublatis manibus admirationem exprimentium, notarunt et multis exemplis illustrarunt *Nic. Heins.* et *Burmannus* ad Petron. c. XL.

5. *Dii magni.* cf. ad Carm. XIV. 12. *salaputium disertum.* in constituenda vocis insolitæ et nuspiam apud ceteros scriptores occurrentis lectione *salaputium*, superare fere se invicem studuerunt interpretes argutiis et figmentis lepidissimis, quorum novis figuris et facetis imaginibus uno obtutu, si lubet, oculos tuos pascere potes in Var. Lect. Quod pro re sua propugnanda quisque attulerit, nec angusti chartæ fines capiunt, nec, ut recensendis vel refutandis ejusmodi vanæ doctrinæ speciminibus immorer, ab ingenio meo impetrare possum. Omnis lis componi poterat loco Senecæ Controv. III. 19. ubi de eodem Calvo: *Erat enim parvulus statura, propter quod etiam Catullus in hendecasyllabis vocat illum salaputium disertum;* sed et ibi libri turbant, et eadem fere in Senecæ loco conspicitur lectionis varietas. Acquiesco igitur in lectione *salaputium*, quam optimorum tam Senecæ, quam Catulli, quibus se usum esse affirmat, codicum auctoritate defendit et erudite de hoc loco disputat *Scaliger* ad Catal. Poët. III. Epigr. 238. in Antholog. Burman. Secund. Tom. I. p. 676. Putat autem Scaliger, *salaputium* esse nutricum ὑποκορισμὸν tractum a *putus* vel *pusus*, [πόσθον, unde præputium est] a qua parte suos alumnos per lasciviam non modo *putos* sed etiam *salaputia*, quasi tu *salaces caudas* dicas, appellarint.—Quodcunque demum sit, vel ex quocunque tandem fonte hanc appellationem haustam putaveris, videntur certe Romani voce *salaputium*, vel huic simillima, cujus optio tibi datur in Var. Lect. *in vita communi* vel conviciandi vel blandiendi et jocandi causa *hominem pusillum* denotasse, quemadmodum fere plebecula apud nos in quibusdam regionibus *hominem pusillum* vocare solet *einen kleinen Puts*, quod ipsum fortasse a *Putus* vel *pusus* tractum est. Sensus igitur est: Di magni, quanta eloquentia latet in hoc pusillo corpusculo!

CARMEN LIV.

AD CÆSAREM.

Othonis caput oppido pusillum,
Vetti, rustice, semilauta crura,
Subtile et leve peditum Libonis;
Si non omnia displicere vellem
Tibi, et Fuffitio seni recocto.

Tres primi versus male in quibusdam editionibus antecedenti carmini annexi sunt.

1. Post *oppido* in quibusdam vett. editt. additur *est*: quod haud dubie intrusum est ab illis, qui nexum carminis non caperent.

2. Hic versus in quibusdam editt. post sequentem demum ponitur, quod etiam salva sententia fieri potest: Cæterum hic quoque versus, ut totum carmen varias formas in vett. editt. induit; in vetustioribus sine sensu legitur: *At en rustice* vel *rusticæ—Heri rustice* Gryph. Muret. *Etri rustice semipleta crura* Scalig. Voss. at in libr. MSC. teste Vossio legitur *Etri* vel *Veteri*, unde Vossius finxit nostram lectionem *Vetti!* in aliis est *Peti* vel *Peri*.

4. *Sed non* Muret.

5. *Suffecio* Venet. Gryph. Muret. plane sic variant libri apud Liv. in hoc nomine I. 23. ubi vide Drackenborch. p. 98. Sic supra Carm. XXII. 11. pro *Suffeno* in nonnullis legitur *Fuffeno*.

Urbanitatis et honesti sensum abjudicat Cæsari, quem una cum sene Fuffitio homines quosdam deformes, sordidos, et obscenos in deliciis habere intellexerat.

1. Ex versibus hujus poematii non nisi Sibyllæ interpretatione sensum aliquem elici posse putabant Muretus, Vossius et alii; sed profecto, ut nunc illi leguntur, sine Sibyllæ afflatu in eorum mysteria penetrare possumus; sensus totius epigrammatis redit fere eo: "O Cæsar[rustice], agrestes plane mores sectaris et ab urbanitate et sensu pulchri alienissimus es—nam quamvis non omnia et quælibet, certe tamen admodum pusillum caput Othonis, Vetti squalorem et spurcitiam, caninam Libonis impudentiam tibi et Fuffitio displicere vellem; sentio quidem, te, unice Cæsar, iterum iambis meis indignaturum esse, sed non merentur veritatis interpretes hanc tuam indignationem."

3. *Subtil. et lev. ped. Lib.* crepitum ventris. πορδὴν. Solebat autem iste spurcus homo usquequaque ejusmodi nasorum pestem clanculum emittere.

5. *Seni recocto.* senex *recoctus* dictus videtur is, qui rerum, in quibus diu multumque agitatus et longo earum usu quasi subactus fuit, multam peritiam sibi contraxit, vafer, astutus; nos in vita communi, ein ausgefeimter. cf. Hor. Sat. II. 5. 55. ubi scriba in eandem, puto, sententiam *recoctus* dicitur, ubi cf. *Torrent.* et *Lambin.* add. *Nic. Heins.* ad Val. Flacc. VI. 444. Simili modo apud Phædr. IV. 1. *mus retorridus, qui sæpe laqueos et muscipula effugerat et procul insidias hostis callidi cernebat*, mihi explicandus videtur. Nisi forte *senex recoctus* dicatur is, qui senectutem viridem et crudam agit, qui juventutem recuperasse videtur; nos: *verjüngt*. Sic certe *anus vino recocta* dicta videtur apud Petron. Fragm. p. 865. in Burmanni edit. secund. Respicitur enim fortasse in hac locutione fabula Æsonis, Jasonis patris, a Medea cocti et juventuti restituti.

Irascere iterum meis iambis
Immerentibus, unice Imperator.

7. *Unice Cæsar* vid. ad Carm. XXIX. 12.

CARMEN LV.

AD CAMERIUM.

Oramus, si forte non molestum est,
Demonstres ubi sint tuæ tenebræ.
Te quæsivimus in minore Campo,

1. *Oro, si forte* Stat. —*Oramus, tibi forte si molestum est* Gronov. ad Liv. VII. 13.
2. *Tu e latebræ* Gryph. Muret. Eodem modo variant libri apud Stat. Achill. II. 243. ubi pro *tenebris* Cod. Voss. *latebris* offert. cf. Burman. Sec. ad Anthol. T. I. p. 70.—*tuæ tabernæ* ex antiqua, ut ait, scriptura reponit Scalig. quam lectionem probat Vulpius: at nostra multo aptior est, et nititur auctoritate L. MSS. et omnium antiquissimarum et optimar. Editt.
3. *Te campo quæsivimus minore* Scalig. ex suo libro, quem sequitur Vossius.

Quærit ex Camerio, quem frustra ubique locorum exquirere et ad summam usque defatigationem huc illuc discurrendo indagare studuerat, quo tandem locorum lateat, quave puella detineatur, eumque audacter sibi committere et palam facere jubet amorem, qui utique amico sermonis gaudeat commercio, nisi tacendo et occultando sibimet ipse ejus fructus intercipere velit. — Contra leges hendecasyllabi sæpius in secunda sede hujus carminis pro dactylo ponitur spondæus, quo quidem versus genere et numeris tardigradis ipsam Catulli, quam circumcursando sibi contraxerat, lassitudinem expressam esse non inepte putat Vossius. Sed cum alii nimis offenderentur hoc in secunda sede posito spondæo, alii, ut Vossius, in illo servando et exsculpendo nimis sibi indulgerent, adeo Criticorum manus in lectiones hujus carminis sæviit, et pro suo quisque arbitrio et aures demulcente numerorum modulo illas diffinxit, [vid. Var. Lect.] ut antiqua et genuina hujus carminis forma vix nunc restitui et ab adspersis maculis purgari posse videatur.

1. *Si forte non mol. est.* urbana et venusta per preces aliquid impetrandi formula. cf. Mart. I. 97. 1. Sic Græci: εἴ τι μὴ λυπεῖ.

2. *Demonstr. ubi s. tuæ tenebræ*, h. e. quo obscuro et latebroso loco lateas; per *tenebras*, ut ex sequentibus apparet, haud dubie innuitur lupanar aliquod; in locis abditis enim et a luce publica quasi remotis operam suam addicere solebant quæstum corpore facientes meretriculæ; hinc homines libidinosi dicuntur apud Plautum Bacch. III. 3. 20. in *locis latebrosis versari*.

3. *In minor. Campo* scil. Martio, qui vocatus quoque fuit *Campus Tiberinus*, nunc *Campo di Fiore*. vid. Cl. Adleri *ausführliche Beschreibung der Stadt Rom. Altonæ* 1781. p. 301. Eundem campum *Cælimontanum* et subsequenti tempore *Lateranum* appellatum esse idem Vir. Doct. observat libro laudato p. 154.

Te in circo, te in omnibus libellis,
Te in templo superi Jovis sacrato,
In Magni simul ambulatione:
Femellas omnes, amice, prendi,
Quas voltu vidi tamen sereno;

4. *In omnibus tabernis* Gryph. Muret.—*in omnibus tabellis* in quibusdam.—*in omnibus plateis* Heins. Cod. vet.—*in omnibus labellis* tentat Stat. et de thermis et balneis explicat.—*in omnibus locellis* conjecit olim Parthenius.

5. *Summi Jovis* Vossius ex suo libro præfert.

7. *Prækendi* vitiose in Venet.

8. *Quas vultu mage vidimus sereno* Gryph.—*Quas vultu vidi tamen serenas.* Muret.

4. *In circo,* haud dubie Circo Maximo, inter Palatium et Aventinum sito, in oblongam et ab altera parte rotundam formam et ab altera rectam exstructo, in quo ludi equestres, qui inde Circenses dicuntur, habebantur, cf. Liv. I. 35. et ibi B. Stroth. cæterum de circis Romanis post *Donat. Rom. Vett. et Nov.* III. 14. *Salmas.* ad Solin, p. 635. et alios sedulo exposuit Cl. Adler libr. laud. p. 325—329.—*in omnibus libellis* h. e. tabernis librariis. res enim venales ex attico loquendi more pro ipsis locis vel tabernis, ubi venales habentur, ponuntur. Commode ad locum nostrum illustrandum laudat Vossius Polluceem IX. 5. cujus verba, ut a Vossio et in libro MSC. Jungermanni leguntur, juvat apponere: Ἐν δὲ ταῖς κοιναῖς βιβλιοθήκαις, ἢ ὡς Εὔπολίς φησιν, οὗ τὰ βιβλία ὤνια, ὃν τόπον καὶ ἁπλῶς βιβλία ἐκάλουν οἱ Ἀττικοί, ὥσπερ καὶ τοὺς ἄλλους τόπους ἀπὸ τῶν ἐν αὐτοῖς πιπρασκομένων, ὡς εἰ φαῖεν, ἀπῆλθον, εἰς τοὔψον, καὶ εἰς τὸν οἶνον, καὶ εἰς τοὔλαιον, καὶ εἰς τὰς χύτρας.

5. *In templo sup. Jov. sacrato:* in Capitolio, ubi Jovi supremo templum a Tarquinio Prisco sacratum fuit. Liv. I. 38.

6. *In Magni sim. ambul.* h. e. porticu Pompeiana prope theatrum Pompeii, ab utraque parte multis arboribus consita, unde poëtis dicitur *umbra Pompeia*, Propert. IV. 8. 75. Ovid. Art. Amand. I. 67. de qua ad utrumque locum plura notarunt Interpretes. Adde inprimis Vitruv. V. c. 9. et *Adleri* ausfuhrliche Beschreibung d. Stadt Rom. p. 310.—Pompeius autem honoris causa passim vocatur simpliciter *Magnus*. Mart. XI. 5. 11. *Et te privato cum Cæsare Magnus amabit;* de quo cognomine quando illi datum, Scalig. ad Euseb. p. 154. 6. Cæterum egregie ad rem cum Nostro Vulpius comparat Plaut. Amphitr. IV. 1. 3. ubi Amphitruo:

Nam omnes plateas perreptavi, gymnasia et myropolia:
Apud emporium atque in macello, in palæstra atque foro;
In medicinis, in tonstrinis, apud omnes ædes sacras
Sum defessus quæritando, nusquam invenio Naucratam.

in quo loco observa, τὸ *in medicinis* eodem modo ut v. 4. *in libellis*, dictum esse de tabernis, ubi medicina venditur.

7. *Prendi* h. e. rogavi. *prendere* aliquem eleganter dicitur, qui aliquem prehensa manu rogat, vel in via sibi occurrentem colloquii causa seducit. Terent. Phorm. IV. 3. 15. *Prendo hominem solum.* Cic. ad Div. VIII. 11. *prendimus eum,* h. e. rogavimus.

8. *Quas vultu vidi tamen sereno.* h. e. illas tamen præcipue, quas vultum serenum præ se ferre videbam vel his verbis, ut te mihi redderent, impensius rogabam. *has te flagitabam* pro vulgari *ab his te flagit.* vel *has de te flagitabam*: quamquam et hujus formæ, ubi duobus accusativis *flagitare* jungitur, usus non adeo infrequens est.

Has vel te sic ipse flagitabam:
Camerium mihi, pessimæ puellæ.
Quædam inquit, nudum sinum reducens:
En hic in roseis latet papillis.
Sed te jam ferre Herculei labos est.
Tanto te in fastu negas, amice.
Dic nobis, ubi sis futurus: ede,

9. *Avellite* vel *aulite sic ipse* in libr. MSS. teste Meleagro, qui inde sine sensu proponit: *Ah vult in, sic ipse flagitabam Camerium mihi, pessimæ puellæ*—*Avelli sinite* Avant.—*has te sic tamen* Gryph.—*has te sic tantum* Muret.—*Ah vel te sic* Scalig. unde ille fecit nostram lectionem *Has vel te sic.* at Vossius mavult *Ah avellite ipse flagitabam*—in margine libri Heins. egregie ad sensum adscriptum fuit: *Jamjam reddite sæpe flagitanti.*

11. *Nitidum sinum* Stat.

13. *Sed te quærere Herculis labos sit* Gryph.—*Sed te quærere jam Herculis labos est.* Venet. Muret.—*Sed ne jam ferre* Meleag.—At nostra lectio est in libris MSS. Scalig. et Voss. edit. Cantabrig. et Edit. R.

14. *Tanto ten' fastu* in quibusdam vett. non male. vid. not.

15. Totum hunc versum glossema putat editor Cantabrig., ex cujus sententia

10. *Camerium mihi:* eleganter ad exprimendum loquendi usum ex vita communi petitum reticetur ejusmodi fere verbum, *reddite, indicate, ubi sit.* Spondæi loco in prima sede hujus versus est tribrachys.—*pessimæ puellæ* blande, ihr losen Mädchen. cf. supra Carm. XXXVI. 9.

11. *Nudum sinum reducens* h. e. reducta veste sinum vel mammam nudans; expressum est illud Homericum, ubi Hecuba, Hectoris ferocem animum, ut intra mœnia potius pugnare et Achillis congressum vitare velit, exserta et monstrata mamma, qua infans a se innutritus sit, flectere et frangere studens, dicitur:

Κόλπον ἀνιεμένη, ἑτέρηφι δὲ μαζὸν ἀνέσχε.

sinum reducere igitur dictum est ut *pectus diducere* pro *nudare* apud Senec. Hercul. Œtæ. v. 1669.

——*Mater in luctum furens*
Diduxit avidum pectus, atque utero tenus
Exserta vastos ubera in planctus ferit.

12. *In roseis papillis.* Sic apud Sosipat. in Anal. Vet. Poët. Græc. Brunckii T. I. p. 504. Epigr. III. 6. *μαζοὶ—φάσης τερπνότεροι κάλυκος*, et eodem modo apud Rufin in Anal. Vet. P. G. Brunck. T. II. p. 394. Epigr. XIX. 1. puella dicitur *ῥοδόμαστος*.

13. *Sed te jam ferre Hercul. labos est:* h. e. quæritando jam te ferre et tui exquirendi causa omnes latebras perreptare velle, res est immensi et vix ferendi laboris.—*Ferre aliquem* non possumus, cum ille nimiam molestiam nobis creat. Malle Vossius *ferre* pro *adducere* explicat, nec dubitat in rem suam Ciceronis, Virgilii et aliorum auctoritate abuti. *Herculei* pro *Herculis*, ut (supra XXIX. 9.) *Adoneus* pro *Adonis:* ubi cf. not.

14. *Tanto te in fastu negas,* h. e. "en insignem tuam, amice, superbiam, qua amicorum adeo conventum vitas!" et sic est epiphonema. Magis tamen placet, si hic versus per interrogationem efferatur hoc sensu: "adeone jam superbis, ut te convenire non liceat?" *se negare* jam est alterius conventum vitare, aliquem latere velle. Præpositio *in τῷ fastu* addita *παρέλκει*, ut sæpe: exempla collegit *Drackenb* ad Liv. Lib. I. 52. T. I. p. 207. præcipue ad I. 56. T. I. p. 220. et quos ibi laudat. —*fastum*, quem ei exprobrat, refer ad amorem, quo nunc beatum illum frui, et insolentius efferri putat.

Audacter committe, crede luci.
Num te lacteolæ tenent puellæ?
Si linguam clauso tenes in ore,
Fructus projicies amoris omnes:
Verbosa gaudet Venus loquela.
Vel, si vis, licet obseres palatum,
Dum vostri sim particeps amoris:
Non custos si fingar ille Cretum,

locus ita distingui et legi debet: *Dic nobis ubi sis futurus, ede hoc, Num te lacteolæ tenent puellæ?* Sed non sensit Vir Doctus, ejusmodi locos, ubi eadem sententia ter et quater aliis verbis iteratur, egregie exprimere vehementiorem, quo quid petitur, animi impetum.

16. *Comiti hoc libenter* vel *licenter ede* Venet. Gryph. Muret.—*Audacter committe, crede, licet* Vossius; at nostram lectionem confirmant omnes libri MSS. Statii, nisi quod in illis pro *luci* vitiose exaratum sit *lucet*, pro quo substituendum esse suspicatur Statius *Luci;* sed primum non demonstrari potest, *Lucium* prænomen fuisse *Camerii*, deinde multo magis respondet *crede luci* versui 2. *ubi sint tuæ tenebræ;* eandem lectionem probat Scaliger.

17. *Lacteolæ tenent papillæ* in cod. Rom. teste Lipsio.

21. *Vel signis licet obseres palatum* vult Vossius.

22. *Dum vestri sim ego particeps amoris* Gryph. Muret. Cæteræ corruptæ lectiones, quas editt. vett. et MSS. in hoc versu exhibent, vix commemoratu dignæ sunt.

23. Sequentes decem versiculi adduntur in tribus antiquissimis editt. et in MSS. L. teste editore Cantabrigiens. Carm. LVIII. *ad Cœlium de Lesbia*, et ita esse in plerisque MSS. affirmat quoque Vossius. Quem nunc in plerisque editt. occupant locum, assignavit his versiculis Josephus Scaliger, quos tamen Vossius nec in hoc loco commode se habere, sed ad præcedens Epigramma pertinere et haud dubie deesse aliquid putat. Edit. Gryph. Muret. et alii constituunt eos post versum 12. *En hic in roseis latet papillis.* Interim ex meo sensu aptissime hoc ipsum carmen claudere videntur.

16. *Crede luci*, ex occulto in lucem profer. cf. Var. Lect.

17. *Lacteolæ puellæ*, candidæ, pulchræ. aptior tamen videtur lectio in Var. Lect. proposita *papillæ*.

11. *Si ling. claus.* cet. conferatur in hanc sententiam Tibull. IV. 7. 1. et ibi *Brouckhus.*—*linguam clauso in ore tenere*, ut mox v. 21. *palatum obserare*, ornate pro *reticere, occultare.*

19. *Fructus projicies*, abjicies, perdes.

21—22. *Vel si vis, licet obser. palat.* cet. sensus: "vel per me licet, si tibi hoc magis placet, nihil plane de amoris tui lusibus mecum communices, modo in partem quandam amoris tui veniens non plane a te sejungar." aut sic: "vel si placet, alios omnes amorem tuum diligenter celes, modo ego unus illius sim conscius."

23. *Non custos si fing.* cet. cum gravitate denuo sub fine carminis repetit, se nullo modo, licet insigni currendi volandive facultate instructus sit, Camerium exquirere posse.—*si* pro *quamvis*. cf. supra ad XXXIX. 11. *fingar* eleganter pro *sim.*—*custos Cretum* h. e. Talus, ærei corporis gigas, Europæ a Jove datus, ut custos esset Cretæ, quam singulis diebus totam circumisse dicitur. Locus classicus de illo est apud Apollon. Rhod. IV. 1637—88. cum aliis ejusdem nominis passim confunditur, de quo vide omnino sagacissimum veterum mythorum interpretem *Illustr. Heyne* ad Apollodor. in not. 220. seqq.

Non si Pegaseo ferar volatu,
Non Ladas si ego, pennipesve Perseus,
Non Rhesi niveæ citæque bigæ:
Adde huc plumipedes volatilesque,
Ventorumque simul require cursum,
Quos junctos, Cameri, mihi dicares:
Defessus tamen omnibus medullis,
Et multis languoribus peresus
Essem, te, mi amice, quæritando.

24. *Penniferve* tres antiquissim. editt.—ceterum egregie ad rem in editt. Muret. hic versus antecedenti præponitur, ita ut hoc ordine et hac permutatione legantur et intelligantur versus: *Non si Ladas pennipesve Perseus, Non si Pegaseo ferar volatu, Non Rhesi niveis citisque bigis.*

26. *Citæque bigæ* invenit Vossius in exemplar. Mediolan. quod de curru Medeæ, utpote natæ in oppido Cyta, intelligi posse autumat.

29. *Mihi dicaris* Gryph. Muret.

32. *Esse in te* vitiose in edit. Vossii.—*mihi amice* Venet. Gryph. Muret.

24. *Non si Pegas. fer. volatu.* Pegasus, equus ille alatus, Neptuni e Medusa progenies, quo per aërem vectus est Chimæræ interfector, Bellerophon, vel pueris nondum ære lotis notus est. Apollodor. II. c. 3.

25. *Non Ladas si ego sc. sim. Ladas* nomen celebris cursoris in Olympicis. vid. Muret. et Vulpius.—*pennipesve Perseus;* profecturus ille ad necandam Medusam accepit a Nymphis *alata talaria* [πτηνὰ πέδιλα] Apollodor. II. c. 4. Pausan. III. 17. p. 251. *edit. Kühn.* mythum more suo explicat *Illustr. Heyne* in not. ad Apollodor. p. 295.

26. *Non Rhesi niv. cit. big.* sc. si mihi sint. Erant autem Rhesi, regis Thracum, equi ex descriptione Homer. Iliad. X. 435. Λευκότεροι χίονος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι. Fabulam horum equorum, Trojanis fatalium, ad locum Homeri memorat Eustath. et Schol.

27. *Adde huc plumipedes volatil.* intelligo omnes, quicunque vel *alatis talaribus* (plumipedes) vel omnino *alis* (volatiles) instructi fuerunt; pluribus enim in veterum fabulis *alata talaria* affinguntur. vid. nos in *Comment. de alatis imaginibus apud veteres.* Goth. 1786 p. 21.—Muretus *plumipedes* non male explicat de Zethe et Calai, Boreæ filiis; alati certe eorum pedes finguntur apud Apollon. Rh. I. 219.

29. *Quos junctos* h. e. omnes; durius alii ad *junctos* supplent *currui.*—*dicares,* ad usum meum concederes.

30. *Defessus tamen.* ἀνακόλουθον hoc loco animadvertit Vulpius, sed non sensit particulam *si* v. 23, 24, 25. pro *quamvis* positam esse.

31. *Peresus,* viribus exhaustus et confectus.

CARMEN LVI.

AD CATONEM.

O REM ridiculam, Cato, et jocosam,
Dignamque auribus, et tuo cachinno.
Ride, quicquid amas, Cato, Catullum:
Res est ridicula et nimis jocosa.
Deprendi modo pupulum puellæ
Trusantem. Hunc ego, si placet Dionæ,
Pro telo rigida mea cecidi.

2. *Dignam naribus* legendum esse censet Scaliger.
3. *Si quid amas* in margine edition. Gryph.
5. *Pupulum puellæ crissantem* vult Vossius et explicat *σικινίζοντα*. nolumus cum illo de obscœnitate pugnare.
6. *Sic placet Dionæ* eleganter conjicit Stat.
7. *Protelo* pro adverbio accipit Vossius, ut sit jugiter, eodem tractu et tenore *συντόνως*. cui subscribit Vulp. cf. Gesneri Thesaur s. v. *protelum*.

Catonem secum ridere jubet ob rem, ut vocat, ridiculam et nimis jocosam, si unquam res turpis et nimis obscena, quam refert, ridicula et honestis auribus digna vocari potest. Immo vehementer dolendum est, Catullum in tractandis ejusmodi argumentis infamibus tam turpiter abusum esse ingenio.

1. *Cato.* vulgo intelligunt Valerium Catonem Grammaticum; sed quis Catullum familiariter cum hoc Catone vixisse præstet?

5. *Deprendi* verbum proprium de iis, qui inopinati ab interveniente quopiam in furtivo amore opprimuntur. Sic *καταλαμβάνειν* apud Græcos. Theocrit. Idyll. IV. 60.

——*πρώαν γε μὰν αὐτὸς ἐπενθὼν,*
Καὶ ποτὶ τᾷ μάνδρᾳ κατέλαμβανον, ἆμος
ἐνήργει.

pupulum, admodum puerum, pusionem. *trusantem*, *trusare* frequentativum a *trudere*, obscene dicitur de iis, qui irrito conatu stuprum puellæ inferre allaborant.

6. *Si placet Dionæ.* pro formula illa solemni, *si Diis placet*, accommodatius jam dicit *si placet Dionæ.* Eleganter autem formula illa solemni *si diis placet* cum sale quodam uti solemus in describendis rebus ineptis et ridiculis. vid. *Brisson.* de Formul. p. 66. et 68.— Sed, ut fatear, multo magis mihi arridet conjectura Statii, pro *si* rescribendum esse suspicantis *sic*, unde hic fere sensus exit: sic enim puniendos vult Venus, qui nondum ejus sacris initiati temere illa contaminant. *Dione*, mater Veneris, non raro pro ipsa Venere ponitur.

7. *Pro telo.* teli loco *rigida* sc. mentula. *cecidi* verbum obscœnum de maribus, de quo vide *Scioppium* ad Lus. Carm. XII. 1.

CARMEN LVII.

AD MAMURRAM ET CÆSAREM.

Pulchre convenit improbis cinædis
Mamurræ pathicoque, Cæsarique.
Nec mirum: maculæ pares utrisque,
Urbana altera, et illa Formiana,

Singularem Cæsaris et Mamurræ morum similitudinem et mirificam inde inter illos enatam unanimitatem familiarissimamque consuetudinem salse describit et exagitat. cf. omnino Carm. XXIX.

1. *Pulchre conven. improb. cinæd. Mam.* cet. h. e. arctissima inter Mamurram et Cæsarem ob unum idemque vitæ studium intercedit necessitudo—amicissime Cæsar et Mamurra in unum idemque conspirant.

2. *Mamurræ pathicoq. Cæsariq.* h. e. tam Mamurræ quam Cæsari pathico. Haud raro enim ita sibi respondent copulæ *que que*; nisi copulam *que*, primo loco τῷ *pathico* additam, pro *nimirum, scilicet*, explicare malis. *pathicus*, ut *cinædus*, designat hominem mollem, qui muliebria patitur, et fœdissima libidine polluitur.

3. *Maculæ pares utrisque* cet. sensus: utrique enim eodem plane flagitiorum genere impressæ sunt maculæ, quæ nunquam deleri et oblitterari possunt; alteri quidem (*Cæsari*) ob commissa flagitia et nequissime disperdita bona in urbe [*Romæ*]; alteri *Mamurræ* Formiis [veteri Campaniæ oppido, ubi ille natus fuit. observa autem τὸ *illa* in versu 4. pro *altera* positum esse. *alter-ille* pro *alter-alter* passim apud bonæ notæ scriptores jungi solent. vid. *Ducker*. ad Flor. IV. 7. 10. et *Ioh. Freder. Gronov.* ad Liv. XXXV. p. 40.—Cæterum loquendi genus: *maculæ impressæ resident nec eluentur*, haud dubie ductum est ex placito illo philosophiæ Socraticæ, a Platone inprimis in Phædone aliisque dialogis exposito et exornato, ubi maculæ illæ et labes, quas animus nimium in vita indulgendo cupiditatibus sibi contraxerit, post mortem etiam apud inferos conspici nec ulla ratione elui posse dicuntur. Locus classicus apud Platonem est in fine Gorgiæ p. 356—60. et in Phædone p. 61. A. B. edit. Ffr. Dignus est, qui in hanc rem consulatur, *Meinersius*, qui præclare veterum Philosophorum et inprimis Platonis placita exposuit, cum in tribus illis, quæ variarum dissertationum nomine inscripsit, voluminibus, [*Vermischte Schriften*] tum in suavissimo et lectu dignissimo libro, *Geschichte der Wissenschaften in Griechenland und Rom.* T. II. p. 404. seqq. et 770. seqq. Ad hunc mythum suavissimum seu involutum fabulosa narratione philosophema Platonicum respexit etiam Virgilius in nobilissimo illo loco Æneid. VI. 730—41. de quo tres tantum versus describam:

Non tamen omne malum miseris nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes: penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.

ubi cf. *Heyne* in not. et uberiorem, quam in hanc rem ex profundæ doctrinæ copia suppeditat, disputationem in Excurs. XIII. ad Libr. VI. p. 664—669.—maculæ illæ flagitiorum impressæ apud Græcos vocantur modo *στίγματα*, modo *οὐλαί*, modo *μώλωπες*, modo *κηλῖδες* vel plenius *ἀνεξάλειπτα ὀνείδη*.—Alia loca in hanc rem congessit Vulpius.

Impressæ resident, nec eluentur.
Morbosi pariter, gemelli utrique:
Uno in lectulo, erudituli ambo:
Non hic, quam ille, magis vorax adulter,
Rivales socii puellularum.
Pulchre convenit improbis cinædis.

7. Vulgatam distinctionem post *lectulo* tollit Meleager et respici putat proverbium *uno in lectulo edocti*: ita ut ambo in omnibus sibi simillimi et in eodem quasi *lectulo improbitatis* nequiter instructi intelligantur.—*Unilectuli* conjectat Statius.

8. *Magis vorax et adulter* Venet.—*Non hic quam ille magis vorax adulter Rivalis sociis puellularum* tentat Stat.—*puellarum* Vossius. In editionibus potioribus constanter legitur *rivales socii et puellularum*; at in edit. Bipont. quam sequimur, copula *et* post *socii* omissa est, quæ profecto incommode post *socii* ponitur. Legendum fortasse *rivales et socii puellarum*, vel *rivales sociique puellarum*.

6. *Morbosi pariter*, turpi amore laborantes. vid. *Bentleius* ad Horat. Od. I. 37. 9.—*gemelli*: honestiori nomine cinædi vocantur *fratres*. cf. *Burmann. Sec. ad Anthol.* T. I. p. 641.

7. *Una in lectulo*, σύλλεκτροι, summæ et turpissimæ simul consuetudinis indicandæ causa.—*erudituli*, eruditionis gloriæ elevandæ gratia.

8. *Vorax adulter*, qui bona sua in adulterio perdit et expatrat. cf. supra Carm. XXIX. 6. Nolim huc trahere obscœnam significationem, quam infra habet verbum *vorare* Carm. LXXX. 6.

9. *Rivales socii puellul.*, h. e. socii et una rivales puellularum. cf. Var. Lect.

CARMEN LVIII.

AD CŒLIUM DE LESBIA.

Cœli, Lesbia nostra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus unam

Lesbiam, præ ceteris omnibus olim sibi amatam, adeo a pristinis moribus recessisse scribit Cœlio, ut nunc vilissimam in angiportis sit prostibulum.

1. *Cœli*. Non sine probabilitate quadam cum Pet. Victor. Var. Lect. Libr. XVI. c. 1. M. Cœlium Rufum intelligere possumus, in quem exstat oratio Ciceronis; fuit certe is, qui pro indole sua facile rebus amatoriis aures præberet. Accuratius de ejus vita, moribus et fatis exposuit Manutius ad Epist. Cicer. ad Div. I. VIII. in præfat. ad Comment. in Epistolas Cœlianas; ad eundem Cœlium pertinet infra Carm. C.—Sed nimis argute Victorius et alii sub Lesbiæ nomine Clodiam latere putant, quam una cum Cœlio amoris causa Catullum adiisse, et hinc *nostram* jam vocasse, frustra contendunt.

2. *Illa Lesbia*: ἐμφατικῶς additur et repetitur *illa*, h. e. olim tam amabilis et honestis moribus conspicua. Sic

Plus quam se, atque suos amavit omnes,
Nunc in quadriviis et angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

5. *Magnanimi Remi* vult Vossius.

Virgil. Æneid. II. 274. *quantum mutatus ab illo Hectore.* cf. Hor. Od. IV. 13. 18.

3. *Plus quam se* cet. sic infra de Lesbia Carm. LXXV. 1.

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam,
Vere, quantum a me, Lesbia, amata, mea, es.

similis orationis color est supra Carm. XXXVII. 12. et VIII. 5.

4. *Angiportis;* in vicis enim angustis prostabant scortilla abjectissima. Hor. Od. I. 25. 10.

Flebis in solo levis angiportu.

5. *Glubit* h. e. masturbat. Eodem obscoenitatis sensu *deglubere* occurrit apud Auson. Epigr. LXX. 7.—*glubere* vel *deglubere* propriam sedem habet in re rustica, et significat vel *corticem detrahere* vel *granum tunica sua nudare*, quod ut multa alia ex re rustica petita, ad obscoenissimæ impuritatis genus accommodatum est, pari modo ut Græcorum σκολύπτειν et ἀποσκολύπτειν, vid. Casaubon. ad Athenæum III. 34. vel δέφειν, δέφεσθαι, quod Vulpius ex Glossis Philoxeni adducit, quem confer.—*magnanimos Remi nepotes*, h. e. Romanos, quos εἰρωνικῶς jam vocat *magnanimos*, qui potius ob turpissimum libidinis exercendæ genus, ut supra Carm. XXVIII. 15. Piso et Memmius, vocari debebant *opprobria Romi.*

CARMEN LIX.

DE RUFA ET RUFULO.

Bononiensis Rufa Rufulum fellat,

1. *Rufa Rufum fellat* Venet.—margini edit. Gryph. adscriptum est *me rursum fallit*—*Rufa Rufulum fallat* ab antiquo verbo *fallare* pro *fallere* acriter defendit Scaliger.

Rufæ cujusdam ex Bononia infimæ conditionis mulierculæ et famelicæ, nequissimo modo abominandæ Rufuli cujusdam libidini morigerantis, infamiam notat et evulgat.—*Rufuli* nomen accepit fortasse impurus iste homo, quem diffamat poëta et cujus diffamandi causa hoc carmen præcipue scriptum videtur, ab ipsa libidinis suæ ministra *Rufa*.—Ruforum gentem amplam et honestam olim floruisse Bononiæ observat Vulpius ex Martial. VI. 85. sed hoc Catullianam *Rufæ* nostræ descriptionem vix potest suspectam reddere.

1. *Fellat. fellare* proprie est *lac su-*

Uxor Meneni, sæpe quam in sepulcretis
Vidistis ipse rapere de rogo cœnam,
Cum devolutum ex igne prosequens panem

2. *Uxorne Meni?* quod fecit ex veteri, ut ait, scriptura *uxor nemeni* Scaliger, quem perperam sequitur edit. Bipont. nam præter Scaligerum veterem illam scripturam nemo reperit, immo omnes libri MSS. quibus ceteri interpretes usi sunt, constanter servant *uxor Meneni.*—signum interrogandi post *Meneni* et in fine apparet in edit. Cantabrig.—*in sepulchris* Venet.

gere, quod, ut verbum *irrumare*, ad exsecrandum libidinis genus translatum est. Disertius fœda hujus obscenitatis imago expressa est infra Carmen LXXX. 8.

2. *Sepulchretis*, de locis sepulturæ destinatis.

3. *Rapere de rogo cœnam*; intellige cœnam feralem, quæ cum corpore simul in rogum ingesta cremari et ab infimæ conditionis hominibus et famelicis, vel certe rapacioribus et impudentioribus, ex ipso igne peti solebat. Hinc factum est, ut loquendi genus *cœnam e rogo rapere* commode transferrent vel ad summam paupertatem voracitatemque describendam vel ad eam aliis exprobrandam imprecandamve. Sic apud Terent. Eunuch. III. 2. 36. Parmeno ad Thrasonem;

Tace tu: quem ego esse infra infimos omnes puto
Homines: nam qui huic animum assentari induxeris,
E flamma petere te cibum posse arbitror.

hinc apud Plautum ejusmodi homines rapaces et voraces *bustirapi* vocantur. Pseudol. I. 3. 127. cf. *Kirchmann* de *Funeribus Romanis* Libr. IV. c. 5. imprimis *Hemsterhus.* ad Lucian. T. I. p. 519. Atque huc pertinere etiam puto locum Tibulli, ubi poeta paupertatem imprecatur aniculæ hoc modo, I. 5. 53.

Ipsa, fame stimulante furens, escasque sepulcris
Quærat, et a sævis ossa relicta lupis.

Non enim cum *Heynio* in versu majori *herbasque sepulcris*, sed cum Mureto potius *escasque sepulcris* legendum esse puto. Ex meo enim sensu proverbialis illa extremam mendicitatem describendi vel imprecandi locutio *escas sepulcris quærere*, h. e. de rogo deripere, ut gravior et imprecationi accommodatior longe præferenda videtur insolenti et novæ plane paupertatis descriptioni: *herbas sepulcris quærere.* Nec caussæ, ex quibus Mureti lectionem *escasque* rejiciendam censet *Heyne* in Observat. ad Tibull. p. 50. satis idoneæ videntur; nam primum non de *silicernio*, quod ab *escis feralibus rogo impositis* distinguendum esse docet *Hemsterhus.* l. l. cum Mureto cogitandum est; deinde, quod addit Vir Summus, *hoc (silicernium) dabatur ad rogum, non ad sepulcrum*, minime enervare potest loci explicationem, cum *sepulcrum* ex usu loquendi vel de ipso rogo vel de loco certe, ubi rogus exstructus fuit, recte omnino accipi posse videatur. Sic Terent. Andria I. 1. 100. *Funus interim procedit: Sequimur: ad sepulcrum venimus: In ignem imposita est.* et sic passim *sepelire* ut Græcorum θάπτειν, pro *cremare*, vel de *combustione mortui* dicitur. vid. *Cuper.* Observat. I. 7. *Dorvil.* ad *Charit.* p. 244. edit. Lips. et quos ibi laudat.—Condonent mihi, quibus extra oleas evagatus videar; ut *Summum Heynium*, si quid forte non recte operim vel in re parvi momenti paulo loquacior fuerim, pro singulari, qua exsplendescit, humanitate facile id mihi condonaturum esse spero.

Ab semiraso tunderetur ustore.

5. *Tonderetur* Vossius ex auctoritate plurimorum librorum vett. et sic est in editt. Gryph. et Venet.—accipit autem Vossius *tondere* pro *vellicare, radere, lacerare* et *carptim ferire*, et addit antepenultimam more antiquo in *tonderetur* corripi.

5. *Ab semiraso ustore: ustor*, νεκρο-θάπτης vel νεκροκαύτης servus bustuarius a *comburendo* cadavere, quod curabat, ita dictus. *semirasus*, quia ejusmodi mancipiorum genus admodum sordidum et semiraso plerumque capillo fuit.

CARMEN LX.

Num te leæna montibus Libyssinis,
Aut Scylla latrans infima inguinum parte,
Tam mente dura procreavit ac tetra,
Ut supplicis vocem in novissimo casu
Contemtam haberes? O nimis fero corde?

1. *Libysthinis* mavult Scaliger, cui accedit Vossius.

Duri cujusdam amici perfidiam accusat, cujus in re tristi auxilium vel solatium frustra imploraverat.—Ad quem scriptum sit hoc carmen, nisi longioris carminis fragmentum potius habendum sit, vel in qua re Catullo defuerit duri pectoris amicus, inani studio scire cupias.—Pessime certe in edit. Venet. ab an. 1500 et Gryph. cum superiori conjungitur, nec probabiliter in edit. Parthenii Venet. 1493. *ad Camerium* inscribitur. Mihi quidem egregie respondere videtur argumentum hujus carminis illi *ad Cornificium* supra Carm. XXXVIII.

1. *Num te leæna.* cf. in hanc sententiam infr. Carm. LXIV. 154. et ibi not.

2. *Aut Scylla latrans infima ing. parte:* in simili re Tibull. III. 4. 89.

Scyllave virgineam canibus succincta figuram.

Fabulam Scyllæ lege apud Ovid. Metam. XIV. 59. seqq. et Hygin. Fab. CLI. Est autem hæc *Scylla* Phorci filia, quæ passim a poëtis cum altera Scylla, Nisi Megarensium regis filia, confunditur, ut apud Virgil. Eclog. VI. 74. 75.

Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris,
Dulichias vexasse rates.

de qua utriusque Scyllæ apud poëtas confusione erudite egit *Nic. Heins.* ad *Auli Sabini Epistol. tres, tribus Ovid. Epistol. respond. I. v.* 33. in Ovid. edit. Burmann. T. I. p. 846. In eandem rem ad Virgilii locum laudat *Heyne* Perizon, Animadv. histor. c. 9.—Monstrosam Scyllæ formam illustrant nummi gemmæ in *Dactyl. Lippert.* Mill. I. 1. 127. 128.

4. *In novissimo casu*, h. e. extremo et tristissimo.

CARMEN LXI.

IN NUPTIAS JULIÆ ET MANLII.

Collis o Heliconei

1. Alii *Heliconii.*

Nuptias Juliæ et Manlii solemni carmine poëta celebrat, miraque simul arte et suavitate ritus nuptiales describit et persequitur. In primo carminis limine a versu 1 usque ad 15 rite appellat et salutat nuptiarum præsidem, Hymenæum, eumque ad concinenda carmina nuptiali ornatu adesse jubet compositum.—A versu 16—26. sequitur brevis sed ipsa hac brevitate absolutissima exquisitissimaque insignis, qua Julia enitebat, formæ descriptio, in cujus ornatu quilibet facile summi poëtæ ingenium agnoscet.—v. 26—36. iterum Hymenæum ad virginem in domum novi conjugis evocandam et desponsorum animos arctissimo amoris vinculo conjugandos ab Helicone citat.—v. 36—46. solemni invocationi Hymenæi, ut eo libentius dux ille Veneris his celebrandis nuptiis dexter adesse velit et propitius, accinere jubet indelibatas virgines.—Locus sequens a v. 46—76. versatur in decantanda Hymenæi laude, ejusque extollendo numine, quod sub omnium nuptiarum auspicio pie deveneraudum sit.—A versu 76 sqq. sigillatim enarrantur ritus nuptiales, quibus solemni pompa ad novi mariti ædes virgo deduci, ibique excipi solebat. Fingit igitur animo poëta, se e longinquo propius jam accedentem pompam nuptialem facesque corusco splendore emicantes oculorum acie assequi; hinc primum claustra januæ pandi jubet, mox sponsam, virginalis pudoris præ se ferendi causa, moras nectentem, hortatur, ut procedat et flere desinat, præcipue cum tam egregia formæ pulchritudine florescat, et conspicua sit; addita fide [v. 100—115] summa amoris constantia maritum semper inhæsurum esse solius ejus amplexibus.—v. 121—126. puerorum chorus, ad januam sponsi venientem sponsam excepturus, jubetur faces extollere et hymenæum in modum concinere. 126—128. cantus lascivorum carminum Fescenninorum mox instituendus indicitur.—128—141. concubinus a furtiva sponsi consuetudine excluditur. 141—151. ipse sponsus, ut in posterum a molli puero abstineat, rogatur; at sponsa [v. 151 sqq.] ut votis mariti tam nobilitate quam divitiarum copia præpollentis morigeretur et satisfaciat, monetur.— v. 166. sqq. ipse sponsæ adventus ad sponsi januam poëtæ nunc observatur animo. Jubetur igitur nova nupta intrare domum, et ferventissimum mariti amorem coram cognoscere. [v. 171 sqq.] mox e manu ductoris dimissa [v. 181 seqq.] a spectatæ fidei feminis collocatur in lecto [v. 186.] ad quem vocatur maritus [v. 191. seqq.] qui sine mora adest. [v. 201]. hic bonos conjuges ludere sinit poëta pro lubitu; et voto, ut prognato puello, vivis coloribus expressam patris imaginem et matris pudicitiam ore referente, felices parentes fiant, carmen nuptiale finit.——*Aulus Manlius Torquatus*, in cujus nuptias composuit hoc carmen Catullus, idem esse videtur, cujus singularem in se amorem et amicitiam magnifice extollit infra in Elegia mellitissima, ejus nomini inscripta, LXVIII. Nobilissima autem eo tempore fuit gens Manliorum, ex quibus *Titus Manlius* primus dictus est Torquatus teste Cicerone Offic. III. 31.—vir consularis vocatur *Aulus Manlius Torquatus* apud Plin. Nat. Histor. VII. 53. Tom. I. p. 409. edit. Harduin. At Juliam non nisi ex eo, quod v. 87.

Cultor, Uraniæ genus,

Aurunculeia vocatur, e gente Cottarum, quorum cognomen *Aurunculeius* fuit [vid. Liv. in Suppl. Freinshem. lib. CIV. c. 57. Cæsar de B. G. II. 11.] ortam esse, colligere possumus. ——Vetus hujus carminis descriptio, *Epithalamium*, quam editiones antiquissimæ præ se ferunt, sæpius ab interpretibus impugnata et repudiata fuit. Jam Muretus ad h. c. scribit: *Est hoc carmen quidem nuptiale, neque tamen proprie epithalamium; nam epithalamia canebantur a virginibus, cum jam nova nupta in lecto viri collocata esset.* cet. Sed Muretus, et qui ejus vestigiis insistunt, vocis proprietatem urgentes notionem Epithalamii nimis arctis circumscribunt finibus. Quodsi enim multa alia carmina communi passim assensu ad genus quoddam carminum referri solent, quorum propriæ indoli et naturæ vel primæ origini minime respondent, non video, cur non eodem jure latiori significatione omne carmen vocari possit *Epithalamium*, quod, ad quascunque celebrandas nuptias, res et ritus nuptiales tractat, vel pompam nuptialem describit, sive illud a virginum puerorumque choro ad januam sponsi sub adventum sponsæ decantatum fuerit, [ut carmen sequens LXII.] sive illo ad vota sponsis canenda ipse poëta [ut Noster hoc carmine] chorum evocarit, et quasi chori præcentor verbis præiverit. vide quæ erudite in hanc rem disputat. Cl. *Wernsdorf* ad Poët. Min. in Præfat. ad Epithall. *Auspicii* et *Ællæ* et *Laurentii* et *Mariæ*, ubi *de veterum epithalamiorum auctoribus et diversa ratione* accurate exposuit. Tom. IV. p. 462—475. Interim nolumus pugnare cum iis, qui carmen nostrum *Hymenæi* potius nomine insigniendum esse contendunt: de *Epithalamio Pelei et Thetidos* vid. nos in argumento.—De variis ritibus in nuptiis veterum observatis, quos poëta in hoc carmine tangit, multi multa scripsere; quorum si quis sibi contrahere appetat notitiam, adeat *Alberti Fabricii Bibliograph.* Cap. XX. §. V. 898.—99 edit. Schaffsh. addé *Montfaucon. L'Antiquité expliquée* T. III. p. 216—24. et *Potteri Archæolog. Græc.* lib. IV. c. 9. Tom. II. p. 232—41.—Cæterum cum hoc carmen, quod *Veneris et Gratiarum manibus scriptum esse* judicat Barth. ad Claudian. p. 789. pulcherrimis antiquitatis monumentis jure accensendum videatur, passim extitere, qui illi vel illustrando vel in vernaculam vertendo peculiarem operam addicerent. Novissima ejus *versio* metrica auctorem habet, mature his terris ereptum, *Rosenfeldum*, quam in defuncti memoriam publici juris fecit ejus amicus *Gurlittus*, (*Lips. apud Schwickert.* 1785.) cujus amicitiæ, qua vix ferendam hujus versionis striblíginem in adspersis notulis excusare studuit, facile concedimus, longeque ab hac impietate absumus, ut *boni Rosenfeldi* manes vellicare audeamus. Melioris frugis sunt, quæ Doctiss. *Gurlitt* in præfatione et notis ad hanc versionem attexere sustinuit. —Denique vix dubium est, quin Catullus in hoc carmine scribendo exemplum quoddam Græcum, fortasse Sapphonem, cujus odas quasdam *epithalamii* inscriptionem habuisse testatur Dionys. Halicarn. ἐν τέχνῃ c. 4. περὶ μεθόδου ἐπιθαλαμίων, ante oculos habuerit. De metro observa pro dactylo nonnunquam trochæum et in versu quarto pro trochæo in prima sede spondæum positum esse. Eodem autem versus genere, quo cujuslibet strophæ tres versus primi in epithalamio nostro constant, præcinit quoque epithalamium Jasonis et Creusæ nuptiis chorus e mulieribus Corinthiis apud Senec. Med. v. 75. sqq.

1—6. *Uraniæ genus.* hinc Musa genitus vocatur Hymenæus apud Claudian. XXXI. Epithal. Pallad. et Celer. v. 31. ubi cf. *Gesner.*—alii, ut Proclus in Chrestomathia apud Photium p. 425. Hymenæi matrem faciunt Terpsichorem. Quantumvis enim in veterum mythis Musarum celebretur castitas, et ipse Cupido Musas a se vulnerari posse neget apud Lucian. Dialog.

Qui rapis teneram ad virum
Virginem, o Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe:
    Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci.
Flammeum cape: lætus huc
Huc veni, niveo gerens

Deor. XIX. 2. vix ulla tamen in numero novenario reperitur, ex qua non aliquis furtivo concubitu susceptus dicatur. vid. *Hemsterhus.* ad Lucian. l. c. Facile autem ex fabulosa Hymenæi origine apparet, cur sedes illi fere propria in monte Helicone assignata fuerit. —*genus* pro *stirpe* vel *filio* dicitur passim. Senec. Med. v. 845. Virgil. Æneid. XII. 198. vid. *Burmannus* ad Ovid. Metam. II. 743. Sic γένος apud Græcos. vid. *Ernesti* ad Callimach. H. in Apoll. v. 74.—de veterum inconstantia in variis, qui perhibentur, Hymenæi parentibus vid. *de la Cerda* ad Virg. Æn. IV. 99.

3. *Qui rapis* cet. virgines enim ad maritum deducendæ e gremio matris vel cognatarum se rapi simulabant, [cf. v. 56—59.] non quidem, ut Festus putat, quod raptus virginum feliciter cesserit Romulo, sed potius, opinor, pudoris, qui decet virgines, declarandi causa. Hinc apud Claud. XXXI. Epithal. Pall. et Celer. v. 124.

Aggreditur Cytherea nurum, flentemque pudico
Detraxit matris gremio.

o Hymenæe Hym. H. o Hy. fuit hæc solemnis fere in nuptiis decantata formula. vid. Aristoph. Avv. v. 1740. et quæ in hanc rem ibi notat Doctissimus hujus fabulæ Interpres *Beckius.*

6—11. *Cinge tempora flor.* Sic Bion. Idyll. I. 88. Hymenæo, qui eodem fere, quo novæ nuptæ, apud poëtas ornatu induci solet, στέφος γαμήλιον tribuit. Cingebantur autem novæ nuptæ corollis floreis, vid. *Paschal.* de Coron. II. c. 16. et singularis, qui *de coronis nuptialibus* exstat, libellus *Maderi,* qui prodiit. Helmstadii 1688.—*suav. amarac.* amaracus suaveolens [ἡδύπνους] est Majorana nostra sive Sampsuchum *in Cypro* teste Plinio XXI. 22. s. 93. *laudatissimum* et *odoratissimum.* Suaviter suaveolentem amaracum describit Lotich. Carm. I. 19. 25. seqq. edit. Kretzschm. p. 403. —*Flammeum* fuit genus velaminis lutei vel crocei et flammei coloris, quo die nuptiarum pudoris causa cooperiri solebant virgines. Ovid. Heroid. XXI. 162. ubi cultum Hymenæi describit, *flammeum,* quo ille utitur, vocat *pallam croco splendidam:* cf. *Interpretes* ad Petron. c. 26. p. 121. *Burmann,* edit. sec. et *Dempster.* ad Claudian. Rapt. Proserp. II. 325. p. 595. edit. Burmann. Sec.—*luteum soccum: soccus* calceamenti genus græcum, cujus usus, mulieribus præcipue adamatus, apud viros plerumque ad venustatem et ambitiose quæsitam elegantiam spectabat. Sic Hercules, delicias ac libidines faciens apud Omphalen, *socco luteo* indutus placere studet dominæ. Senec. Hippolyt. v. 322. Ex multis aliis autem locis constat, a beatioribus ac mollioribus ingentem sæpe in pretioso soccorum usu sumptum factum esse. Plaut. Bacchid. II. 3. 98. Plin. Hist. Nat. XXXVII. 2. 6. Sueton. Caligul. 52. et ibi *Torrent.* Copiose de omni soccorum usu egit *Balduin. de calc. Antiq.* cap. XVI.—Color *luteus* h. e. flavus, erat festi ornatus et lætitiæ index, quo imprimis delectati sunt amantes. vid. *Cerda* ad Virg. Eclog. II. 50. et *Brouckhus.* ad Tibull. I. 7. 46.

Luteum pede soccum:
Excitusque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula;
Pelle humum pedibus, manu
Pineam quate tædam.
Namque Julia Manlio,
Qualis Idalium colens
Venit ad Phrygium Venus
Judicem, bona cum bona
Nubit alite virgo:
Floridis velut enitens

15. *Spineam quate tædam* ex emendatione Parthenii in edit. Venet. Muret. et aliis. Eodem modo num *spinea an pinea tæda* in nuptiis rectius dicatur, fluctuant interpretes in loco Ovid. Fast. II. 558. Apud Plinium quidem Nat. Hist. XVI. 18. *spina nuptiarum facibus auspicatissima* dicitur, et apud *Festum* (s. v. *patrimus*) unus ex patrimis *facem præfert ex spina alba*; sed cum lectio *pinea* constanter servetur in omnibus MSSC. Statii, Vossii, Vulpii et editionibus potioribus, *tæda pinea* autem recte locum habeat in nuptiis, omnino hæc præferenda videtur.

16. *Junia* in MSC. Statii.—*Mallio* Gryph.

20. *Nubet* in MSC.—Stat.

11—16. *Nuptial. concin. carmin.* νυμφῳδίους ᾠδάς, ut vocat Aristoph. Avv. 1727.—*voce tinnula*, clarisona. Hinc Hymenæus apud Callimach. vocatur ἰυήχης Hymn. in Del. v. 296. ubi cf. *Spanhem.*—*pelle humum pedib.* ornate pro vulgari *salta*; simili ornatu Horat. de saltantibus Gratiis Od. I. 4. 10. *Alterno terram quatiunt pede.*—innuitur autem saltatio, quæ in pompa nuptiali institui solebat. Homerus in pompæ nuptialis descriptione, Iliad. XVIII. 494. πολὺς δ' ὑμέναιος ὀρώρει, κοῦροι δ' ὀρχηστῆρες ἐδίνεον. cf. Hesiod. Scut. Hercul. v. 277.—*manu pineam quate tædam.* de prælatis in pompa nuptiali facibus res est notissima, et in omnibus antiquitatum compendiis occupata. Ex pinu autem præcipue faces nuptiales factas fuisse docet *Dempsterus* ad locum Senec. Med. v. 37. ubi fax nuptialis *pronuba pinus* dicitur.

16—21. Splendidissima Juliæ cum divina Veneris forma, qua olim ad Paridem, formæ judicium subitura, venit, comparatio. Comparantur quidem et alias pulchræ puellæ cum Venere, vid. *Schrader.* ad Musæum p. 152. sed neutiquam cum insigni illa Veneris imagine, qua ad pulchritudinis palmam Minervæ et Junoni præripiendam quibuslibet lenociniis composita fuit. Imaginem Veneris, una cum Junone et Minerva coram judice Paride se sistentis, ex duobus veteribus lapidibus expressam dedit *Lippert* Dactyliothec. Mill. I. 291—292. Cum Thetide, qualis illa se obtulit Peleo, Deliam suam comparat Tibull. I. 5. 46.—*Idalium*: vid. supra ad Carm. XVI.

19. *Bona cum bona*, suavis. παλλογία, ut apud Ovid. Trist. IV. 2. 15. *Plebs pia cumque pia.*—*bona alite*, faustis ominibus.

21—16. *Myrtus Asia*, h. e. ad *Asiam paludem*. Est enim jam *Asia* angustus tractus paluster Lydiæ ad Caystrum,

Myrtus Asia ramulis,
Quos Hamadryades Deæ
Ludicrum sibi roscido
Nutriunt humore.
Quare age, huc aditum ferens
Perge linquere Thespiæ
Rupis Aonios specus,
Lympha quos super irrigat
Frigerans Aganippe:
Ac domum dominam voca,

22. *Myrtus agia* Venet.—et sic e Plin. Hist. Nat. XV. 29. legendum quoque censet *Ramirez de Prado ad Luitprandi* Chronicon an. DCXXIII.—*hagia* est in margine edit. Gryph.

25. *Rosido.*—*Nutriant in humore* contra metri rationes in Ald. Venet. Gryph. semper enim producitur antepenultima in *humore*. Statius e MSC. profert *in honore*, et margini edit. Gryph. adscriptum est *in odore*, quæ quidem lectiones haud dubie profectæ sunt ab auctoribus, qui spondæum pro dactylo positum ferre non possent.

29. In aliis *Nympha:* infinitis autem in locis voces *Nympha* et *Lympha* a librariis pro lubitu commutatæ sunt. vid. quos laudat *Drackenborch.* ad Sil. Italic. XI. 20.

31. *Ad domum* in quibusdam. Sæpissime quidem voculæ *ad* et *ac* confusæ sunt a librariorum negligentia, quod multis exemplis Livianis docet *Drackenborch.* ad Liv. T. III. p. 420. sed nunc *ac domum* haud dubie genuina est lectio.

non longe a Tmolo, vel ex Homero satis notus Iliad. II. 461. vid. Voss. ad h. l. et *Heyné* ad Virg. Georg. I. 383. de universa terra Asiatica non cogitandum esse sponte apparet. Passim autem a poëtis teneræ puellæ *myrto* comparari solent. vid. Horat. Od. I. 25. 18. ubi alia loca excitavit *Jani.* cf. infr. LXIV. 89.—*Ludicrum* [ἄθυρμα, παίγνιον] ut haberent quo se oblectarent. Serv. ad Virg. Eclog. X. 62. Cæterum ad h. l. conferatur Doctissimus mihique Amicissimus *Mitscherlich,* ad Hymnum in Cererem p. 116. ubi pulchre loci nostri interpretationem ducit ex Aristophan. Avv. v. 1099.

Ἠρινά τε βοσκόμεθα παρθένια
Λευκότροφα μύρτα χαρί,—
Τῶν τε κηπεύματα.

26—31. *Huc aditum ferens.*—*aditum ferre* dictum est ut *pedem ferre.*—*perge linquere* h. e. linque sine mora. Eleganter enim τὸ *pergere* inservire solet periphrasi, cum sermo est de rebus, quæ confestim et nulla interposita mora fieri debent.—*Thesp. rup. Aon. spec.* h. e. Heliconem, qui a *Thespiis* urbe Bœotiæ, molliter assurgere incipit. vid. Voss. unde Musæ dictæ sunt *Thespiades*—*Lympha quos sup.* cet. h. e. quos desuper rorante aqua frigida humectat fons Aganippe.

31—36. *Ac domum dominam voca.* suaviter jam nova nupta vocatur *domina,* quo quidem blando nomine tam puellæ in re amatoria, quam uxores et matronæ gaudebant. Hinc Epictet. Enchirid. cap. XL. p. 159. edit. Heyn. αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ τεσσαρεσκαίδεκα ἐτῶν, ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαι καλοῦνται. cf. *Spanhem.* de usu et Præst. Num. Dissert. XII. p. 487. *Cerda* ad Virgil. Æneid. VI. 397. et *Rittershus.* ad Oppian. Cyneg. I. 4.—*Mentem amore revinc.* cet. h. e. animum ejus cum mariti animo ita connectens mutuo amore et vinciens, ut, quo tenaci amplexu hedera implicari solet arbori, eodem illa marito implicetur et cum eo coalescat.

Conjugis cupidam novi,
Mentem amore revinciens,
Ut tenax hedera huc et huc
Arborem implicat errans.
Vos item simul integræ
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite in modum
Dicite: O Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe:
Ut lubentius, audiens
Se citarier ad suum
Munus, huc aditum ferat
Dux bonæ Veneris, boni
Conjugator amoris.
Quis Deus magis ah magis
Est petendus amantibus?
Quem colent homines magis
Cœlitum? O Hymenæe Hymen,

34. *Hac* et *hac* in editt. vett. Venet. Gryph. Muret. at in omnibus MSSC. Statii *huc* et *huc*.

36. *Vos iterum* in edit. Venet.—*vosque item* in MSSC. Statii.

46. *Magis amatis* in edit. Venet. et omnibus MSSC. Statii, unde ille legendum censet *magis a macris* admodum jejune!—*magis optimis* Gryph. Muret.—*magis ac magis* Vossius. Fons depravatæ lectionis haud dubie latet in veteri scribendi ratione *a* sine aspiratione pro *ah*, quod sæpe reperitur in veteribus codicibus: vid. *Brouckhus.* ad Propert. I. 16. 13. Non sine probabilitate autem scriptum videtur *magis a magis*; præcipue cum Scalig. in optimo libro *magis a macis* se invenisse testetur, et litera *c* cum *g*, ut v. 68. *juncier* pro *jungier*, passim in libris MSS. permutetur, ita, ut nostra lectio, elegans sane et commoda, ex hac ratione defendi posse videatur.

revinciens, eleganter *vinciendi* notio transfertur ad amorem. *Brouckhus.* ad Tibull. I. 36. 20. *Tenax hedera*, tenaciter adhærens nec facile se divelli patiens. *Errans* h. e. *serpens multiplici lapsu et erratico*, ut loquitur Cicero Cat. Major. cap. 15. [κισσὸς πολυπλανής.] Suavissima autem hac comparatione usus est quoque Horatius Od. I. 36. 20. *nec Damalis novo Divelletur adultero, Lascivis hederis ambitiosior*. cf. eundem Epod. XV. 5. 6.

36—41. *Integræ*, castæ et intactæ. cf. supra ad Carm. XXXIV. 2.—*In modum dicite*, ad numeros et rhythmum canite, choro cum rhythmo et ad leges musicas accinite. idem mox v. 123. dicitur *in modum concinere*.—*dicere*, ut Græcorum λέγειν pro *canere*, tritum et pervulgatum est; collegit tamen exempla *Brouckhus.* ad Tibull. II. 5. 11.

43. Seqq. *Munus:* munus Hymenæi versatur in confirmandis nuptiis honestis et legitimis; hinc vocatur *dux bonæ Veneris*, h. e. honestæ: et *Conjugator boni amoris*, h. e. legitimi.

46. *Magis ah magis. ah* jam est particula cum admiratione rem augentis.

Hymen o Hymenæe.
Te suis tremulus parens
Invocat: tibi virgines
Zonula solüunt sinus:
Te timens cupida novus
Captat aure maritus.
Tu fero juveni in manus
Floridam ipse puellulam

54—55. *Te timent, cupida novos Captat aure maritos* Muret. *Te te Hymen cupida novus* cet. nulla allata ratione tacite in textum recepit Vossius, cujus vestigia more suo legit Vulp.—*novos maritos*, quod in omnibus MSS. reperit Statius, sine dubio ἀρχαικῶς pro casu recto *novus maritus* positum fuit. pro *timens* alii *tumens*, alii *tenens* malunt. vid. not.

51—56. *Te suis trem. par. inv.*] *suis*, in gratiam filiarum suarum, ut illas faustis nuptiis bees. Expressit hoc laudatissimus inter Nostrates poëta *Ramlerus* in Carm. Lyr. XXVII. ad Hymenæum:

Dir fleht der sorgenvolle Greis,
O Stifter der Geschlechter! cet.—

tibi exquisite pro *tuis auspiciis*.—*virgines zonula soluunt sinus*, se tradunt marito et copiam sui illi faciunt: *zonam virginum* ipse maritus proprie solvere solebat. *de zona et zonæ solutione* vid. quos laudavi supra ad Carm. II. 13. adde *Jul. Carol. Schlægerum* in Commentatione de Diana λυσιζώνῳ.—*Te timens cupida novus captat aure marit.* Sensus: tempus illud, quo solemni cantu nomen tuum, Hymenæe, resonat, [*Te*] cupide expectat novus maritus et cupidis arrectisque auribus dulcissimos hujus cantus sonos captat et excipit. *timens* [ängstlich und unruhig] ne quid forte mali, priusquam hic cantus audiatur, speratas nuptias turbet. Cl. *Gurlitt* in notis ad *Rosenfeldi* Vers. Metric. plane contra latinæ linguæ indolem, vernacula fortasse deceptus, τὸ *timens* vertit *verehrend*. in hac enim significatione nunquam in bono sensu apud latinos *timere* dicitur.—Sed, ut fatear, multo magis mihi arridet lectio *tumens*, h. e. libidine turgens, ὀργῶν, Tibull. I. 8. 36. *Dum tumet et teneros conserit usque sinus.* mihi certe hæc lectio ex mea interpretatione multo poëta dignior et rei convenientior videtur.

56—61. *Tu fero juveni.* displicet *juvenis ferus* *Burmanno* Sec. ad Lotich. Eleg. IV. 3. 55. sed causa est in versione. verte: *dem raschen und von Liebe glühenden Jüngling*; et sic *ferus ignis* de vehementiori amore apud Ovid. Remed. v. 266. dicitur, *Omnia fecisti, ne te ferus ureret ignis.* Est igitur juvenis *ferus* idem plane, qui in simillima animi affectione *ardens* vocatur Carm. LXII. 23. qui locus a v. 20. omnino cum nostro comparandus est.—*Floridam* h. e. pulchram, suavem, et amabilem. vid. de hac voce *Brouckhus.* ad Tibull. I. 1. 16.—*dedis. dedere* inquit *Muretus* ad hunc loc. *plus quiddam est, quam dare. Damus etiam recepturi, dedimus vero ea tantum, quæ volumus accipienti propria ac perpetua fieri*; et sane *dedere se alicui* ita dicitur ut sit, "totum se alicui tradere et totum ad alicujus voluntatem se componere." vid. *Grævius* ad Cicer. Orat. pro Cn. Plancio cap. 30. quæ quidem notio vel maxime loco nostro convenit. Simillime *dedere* dicitur infra Carm. LXIV. 375. *Dedatur cupido jam dudum nupta marito.* Passim tamen *dedere* simpliciter pro *dare* dicitur. Tibull. I. 3. 7. ubi vid. Heyne.

Matris e gremio suæ
Dedis, o Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenææ.
Nil potest sine te Venus,
Fama quod bona comprobet,
Commodi capere: at potest,
Te volente. Quis huic Deo
Compararier ausit?
Nulla qnit sine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe jungier: at potest
Te volente. Quis huic Deo
Compararier ausit?
Quæ tuis careat sacris,
Non queat dare præsides
Terra finibus: at queat,

68. *Stirpe vincier* in L. MS. et tribus antiquissimis editt. testante editor. Cantabrig. Eandem lectionem reperit quoque Scaliger, sed idem *jungier* vel ex ea causa reponendum esse censet, quod fugitivus oculus librarii *junçier* pro *jungier* in veteri codice forte exaratum legentis facillime in describenda voce aberrare potuerit. Sic *junctus* et *vinctus* passim a librariis permixtæ sunt. vid. *Drackenborch.* ad Liv. Tom. III. p. 95. pari modo in *vinxisse* et *junxisse* variant libri apud Claud. Epithal. Pallad. et Celer. v. 32. ubi vid. Interpp. *Stirpe dicier* Muret. *Stirpe nitier* Stat.

61—66. *Nil potest sine te Ven.* cet. ornate et eleganter pro vulgari: Nullus amor, nisi per te confirmatus, honestus haberi et communi assensu probari potest, at est et habetur honestus per te et tuis auspiciis confirmatus. *Aliquid commodi capere* jam est bono eventu in aliqua re gaudere, bene et feliciter aliquid perficere.—Similiter de Hymenæo Claudian. Epithal. Pall. et Celer. v. 31—34.

Hunc Musa genitum legit Cytherea, ducemque
Præfecit thalamis: nullum junxisse cubile
Hoc sine, nec primas fas est attollere tædas.

Pulchre nostrum expressit Lotich. Eleg. IV. 3. 55. 56.

Nil sine te Venus alma potest, Jovis inclita proles;
Comprobet assensu quod bona fama suo.

66—71. *Nulla quit sine te dom.* h. e. nulla familia edere et suscipere potest liberos legitimos, nisi qui ex conjugio legitime contracto et Hymenæi sacris initiato prognati sint.—*Parens stirpe jungier*, parentis nomen legitima stirpe propagari.

72. cet. *Non queat dare præsid. terra fin.* aditus enim ad summos in republica honores non patebat apud Romanos hominibus spuriis. per *præsides* autem intelliguntur omnes, qui administrandis et tuendæ reipublicæ quocunque modo vel munere præsunt et invigilant. cf. Scalig. et Voss.

Te volente. Quis huic Deo
Compararier ausit?
Claustra pandite januæ,
Virgo adest. Viden', ut faces
Splendidas quatiunt comas?
Sed moraris, abit dies;
Prodeas, nova nupta.
Tardat ingenuus pudor,
Quæ tamen magis audiens
Flet, quod ire necesse sit.
Sed moraris, abit dies;
Prodeas, nova nupta.
Flere desine. Non tibi,

81—82. *Tardet ingenuus pudor Quem tamen magis audiens Flet* in omnibus MSS. Statii et vetustissimis, quas editor Cantabrigiensis inspexit editt.—*tardet* Scalig. et alii antique dictum esse putant pro *tardat*, ut *denset* pro *densat* et alia similia. *quem* referunt ad *audiens* et *audire pudorem* explicant *pudori obtemperare* vel *parere*; at *magis* pro *nimis* sumunt; quod quam durum sit, quilibet facile sentiet. Si omnino *quem* legendum sit, malim certe duritiem hujus versus ita fere mollire: *quem tamen* [pudorem] *magis* jam quam aliorum adhortationem *audiens flet*, *quod* cet. Equidem in textu pro *tardet* dedi vulgarius *tardat* et sic est apud Ald. et in edit. Gryph.—pro *quem* ex edit. Gryph. Voss. Græv. Vulp. recepi *quæ*, ut olim jam ita rescribendum esse visum est Scaligero, qui inde errorem fluxisse putat, quod Gallicanum fortasse exemplum *que* sine diphthongo pro *quæ* scriptum obtulerit. cf. not.

76. *Viden' ut.* vide de hac formula, qua repente animus ad rei cujusdam contemplationem avocatur, *Burmann.* et *Heins.* ad Valer. Flacc. V. 595. et *Brouckhus.* ad Tibull. II. 1. 25. sic Græci οὐχ' ὁρᾷς. *Ut faces splendid. quat. com.* sublimius pro *scintillant.* Paulo audacius enim rutilantes flammæ radii a sublimioris spiritus poëtis comparari solent *crinibus.* Loca quædam collegit Vulp. Sic *crines* tribuuntur astris. vid. quos laudat *Dorville* ad Charit. p. 656. edit. Lips. *Sic sol ignicomus* apud Auson. Epist. VIII. 8. Cæterum cum Nostro compara Hesiod. Scut. Hercul. v. 275.—*Prodeas* verbum pompæ muliebris: cf. *Brouckhus.* ad Tibull. I. 10. 70.

81—86. *Tardat ingenuus pudor* cet. sensus: tardat quidem ingenuus et virginalis pudor, quem lubenter illi concedimus; eadem tamen nunc audiens, quod ire necesse sit, multo magis flet et tardius procedit.—Meliorem rationem ex verbis paulo impeditioribus bonum et commodum sensum eliciendi equidem reperire non potui. Sensus autem, qui ex mea interpretatione et recepta lectione exit vel propterea commodus et rei conveniens videri potest, quod, quo magis sæpe homines in re tristi a lacrymis sibi temperare jubentur, eo magis in eas erumpere et dolori indulgere solent. Quod vel maxime de pudore virginali valet. vid. Var. Lect.

86—91. *Flere desine* cet. a fletu jam ideo Aurunculeiam abstinere jubet, quod formæ venustati, qua ab nulla omnino superetur femina, vel maxime fidere et hinc felicissimum augurari possit conjugium.—*Clarum ab Oceano*

Aurunculeia, periculum est,
Ne qua femina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.
    Talis in vario solet
Divitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus.
Sed moraris, abit dies:
Prodeas, nova nupta.
    Prodeas, nova nupta, sis;
(Jam videtur) et audias
Nostra verba. (Viden'? faces
Aureas quatiunt comas.)
Prodeas, nova nupta.
    Non tuus levis in mala

87. In MSC. Statii *Arunculeia*, unde forte legendum putat *Arunculea*.—*Herculeia* in edit. Ald. Venet. Gryph. Muret.

96. *Prodeas nova nupta si Jam videtur* in omnibus MSSC. et editionibus antiquissimis, quæ quidem lectio facilitate sua ita se commendat, ut jure mireris ejus integritatem in disceptationem vocatam fuisse a Scaligero. Emendavit autem Scaliger hunc locum ita, ut in textu et plerisque post Scaligerum editionibus nunc legitur, quo nihil elegantius a poëta in toto hoc poematio scribi potuisse pronunciat; *Elegantissimus poëta*, ait ille, *μιμητικῶς imitatur festinationem votorum in vulgo. Nam cum vulgus optat aliquid, tametsi id non evenit, tamen quasi evenerit, sibi ipsum persuadere conatur.* Eleganter omnino sic scribere poëtam et rem ad sensus vocare potuisse quis neget? Sed cum nullum plane in libr. MSSC. et editt. vett. latentis in hoc loco vitii appareat vestigium, quis vere Catullum ita scripsisse præstet? Quodsi enim verba *si jam videtur* frigent, friget quoque, quam substituit Scaliger, particula *sis*, quæ eandem significationem habet.—Equidem ex lege, quam mihi in interpretandis veteribus scripsi, ab iis lectionibus, in quas omnes libri MSSC. et editt. vett. amice conspirant, si ullo modo sensus ex iis erui potest idoneus, non facile discedendum puto.—Vossius haud dubie exemplo Scaligeri inductus, pro *si* reposuit *st*, ut sit nota silentii, sed valde cum Vulpio vereor, ut hæc particula sine vocalis adjumento syllabam explere possit.

98. *Viden' ut faces* vitiose in Gryph. et quibusdam aliis invito metro.—*vide ut faces* rectius vult Statius.

diem vid. ven ornatissime pro simplici *extiterit.*

91—96. *Talis in vario sol.* cf. omnino Carm. LXII. 39. sqq.—*horto vario*, h. e. floribus versicoloribus distincto. *Stare*, h. e. florere. Sic sæpe res *stare* dicuntur, quæ in summo flore sunt.

96—101. Vid. Var. Lect. v. 99. *faces aureas comas quat.* cf. ad v. 78. Sic *χρύσεον Ἕσπερον ἄστρον*, de coruscante siderum splendore in Orph. Fragm. VI. 22. p. 366. edit. Gesner. χρύσεον φάος ἐρατᾶς Ἀφρογενείας vocatur Hesperus apud Bion. Idyll. VIII. 1.

101—106. *In mala adultera* h. e. lasciva et proterva: ut contra supra v. 19. *bona virgo*, honesta et pudica, *deditus in aliqua* Lucretiana locutio,

Deditus vir adultera,
Probra turpia persequens,
A tuis teneris volet
Secubare papillis:
Lenta qui velut assitas
Vitis implicat arbores,
Implicabitur in tuum
Complexum. Sed abit dies;
Prodeas, nova nupta.

* * *
* * *
* * *

105. *Papillulis* Venet. contra metrum.

110. *** Hic tres versiculi ab omnibus MSSC. et omnibus editionibus antiquioribus sine ulla exceptione (ut Scaliger affirmat) absunt, et hi duo, quos ad edit. Bipont. excudi curavimus, varie et corrupte leguntur.—Piget fere adscribere, quot modis lacunam hujus strophæ explere studuerit virorum doctorum sagacitas. Apud Aldum integra stropha legitur sic: *O cubile quot omine Candido lacteo pede Quæ tibi veniunt bona, Gaudeas sed abit dies, Prodeas nova nupta.* In edit. Gryph. hoc modo: *O cubile quod homine Candido pede lectulis Quæ tibi veniunt bona, Gaudeas, sed abit dies, Prodeas nova nupta.* In edit. Muret. ita: *O cubile quot omina Candido pede lectulis, Quæ tibi veniunt bona? Gaudeas, sed abit dies. Prodeas nova nupta.* Scaliger duos versiculos, ut in libris MSS. leguntur, ad sensum inde extorquendum jungit et digerit cum sequenti stropha ita: *O cubile [o nimis Candido pede lecti] Quæ tuo veniunt hero, Quanta gaudia.* Vossius omissis tribus versiculis prioribus et asterisco notatis legit: *O cubile quot omnibus Candido pede lecti.* Heinsius in notis ad Catullum tentat: *O cubile quot omina*, alii aliter. Ego vero ad hunc locum tam interpretandum quam emendandum ne verbulum quidem addo. Cui volupe est in ejusmodi locis exercere ingenium, per me licet quemlibet sensum ex hoc corrupto loco extundat, aut mutila et deperdita membra vel pede ligneo vel naso cereo resarciat. Mihi quidem antiquitatis monumentum mutilum vel temporis injuria detruncatum multo magis placet, quam additamentis a manu recentiori interpolatum et expolitum nitidissimis.

vid. *Gifan.* in Indic. Lucret.—*probra turpia*, turpem amorem.—*a tuis papillis* exquisite pro *a te.*

106. *Lenta qui velut ass.*—Nobilissima a vite arbori implicita ad adumbrandum conjugalis amoris vinculum arctissimum translata comparatio, qua certatim usi sunt sequioris ætatis poëtæ. Sic Lotich. Eleg. IV. 3. 147.

Ergo velut patula vitis se tollit in ulmo,
Vitis et impositum sustinet ulmus onus,
Sic pius uxori vir adhæreat.—

lenta, elegans epitheton, flexibilem vitis tenacitatem notans, qua arborem, cui annexa est, complectitur. Adjungebantur autem vites præcipue *ulmis.* Columella de Re Rustic. XI. 2. 79. *Ulmi quoque recte vitibus maritantur*, atque hæc ipsa vitis cum ulmo conjunctio vocabatur *conjugium*, *ulmus* mas, *vitis* femina. vid. inprimis *Cerda* ad Virgil. Georg. I. 2. et confer. Carm. LXII. 54.—*Assitas* h. e. juxta satas; nam recte et sæpe *seri* dicuntur arbores. Multa exempla collegit *Heins.* et *Drackenborch.* ad Syl. Ital. X. 533.

*** 111. Vid. Var. Lect.

O cubile, quot [o nimis
Candido pede lecti]
    Quæ tuo veniunt hero,
Quanta gaudia, quæ vaga
Nocte, quæ media die
Gaudeat. Sed abit dies;
Prodeas, nova nupta.
    Tollite, o pueri, faces:
Flammeum video venire.
Ite, concinite in modum:
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
    Neu diu taceat procax
Fescennina locutio;
Neu nuces pueris neget

119. *Gaudeas* in quibusdam.

122. *Videor venire* dedit Scaliger, et ex græca loquendi ratione δοκῶ ἐλθεῖν explicat. nonnulli legunt *videor videre*, sed nostra lectio *video venire* est in omnibus MSSC. *teste* Statio. *Nec* in quibusdam. *ne* Voss. Vulp.

127. *Fescennina jocatio* citra necessitatem conjectat Heinsius in not. ad Catull.

116—121. *Gaudia* sexcenties in Veneris usu.—*vaga nocte*: *vaga* poëtæ appellant, quæcunque motu perpetuo feruntur. vid. *Brouckhus.* ad Tibull. I. 3. 39. *Nocti* autem a poëtis non minus ac *Soli* equi et currus tribuuntur. vid. *Heyne* Excurs. ad Virgil. *Æneid.* II. 8. Tom. II. p. 236.—*media die* h. e. interdiu. *medius* sæpe apud poëtas est epitheton ornans, et latiori significatione accipiendum est.

121. *Tollite* h. e. in altum tollite, extollite, ut sæpe. *flammeum*. vid. ad v. 8.

126—31. *Neu diu taceat Fescen. loc.* *Fescennini versus*, qui in nuptiis canebantur, *dicti ita*, ut Festus ait, *quod ex urbe Fescennina* (oppido Campaniæ) *allati essent*, *sive quod fascinum arcere putantur*. Versabantur autem hi versus in jaciendis dicteriis jocisque obscœnis et opprobriis petulantibus. Hinc *Fescennina licentia* apud Horat. Epist. II. 1. 145. vid. Interpretes ad locum Horat. et ad Claudiani. Carmina XI—XIV. *Fescennina* inscripta; inprimis *Menagius* in Origg. Gallicis s. v. *charivari*.—*Neu nuces pueris neget.* Antiquus in nuptiis Romanorum nuces spargendi mos. Spargebantur autem nuces, nupta jam in domum et thalamum deducta, cum a novo marito, (Virgil. Eclog. VIII. 30. *sparge marite nuces*) tum ab ejus concubino, quo turpiter hactenus ille usus fuerat, haud dubie ut indicarent, se relictis et pueris quasi, qui sparsas nuces colligerent, traditis jam, quibus adhuc indulserant, ineptiis, ad seria et viris digna transituros esse. Hinc *nuces relinquere* Persius Sat. I. 10. dixit pro " virilia negotia capessere;" vid. ibi *Casaubon.* Alii alias hujus ritus causas afferunt. vid. Interpretes ad h. l. et fuse de hac re disputantem *Cerdam* ad Virgil. Eclog. VIII. 30.—*desertum domini* doctius pro vulgari " a domino." vid. Var. Lect.

Desertum domini audiens
Concubinus amorem.
Da nuces pueris, iners
Concubine. Satis diu
Lusisti nucibus. Lubet
Jam servire Thalassio.
Concubine nuces da.
Sordebant tibi villuli

129. *Desertum Deum audiens* vel *desertum dominum audiens* ex MSS. affert Statius, qui corrigit, *defectam dominam audiens Concubinus;* in versu sequenti pro *amorem* alii legunt *amores*. at Vossius vult *amore;* nec dubitamus, quin recte aliquis *desertus amore* ut *desertus amicis* dici possit, sed sic dure supplendum est *se;* magis placet conjectura editoris Cantabrigiensis: *desertos domino audiens Concubinus amores*, vel *desertum domino audiens Concubinus amorem*.

136. Hic versus tam lectione quam interpretatione misere fluctuans et impeditus non parum exercuit interpretum ingenia. in edit. Venet. ab an. 1493. et antiquissimis editt. legitur: *Sordebant tibi villicæ;* et sic legunt quoque Maret. et Achill, Stat. ne γϱὺ quidem de lectionis varietate addentes. Subjecta vero est a Mureto hæc interpretatio: "*Tu*, inquit, *nuper villicarum dissuaviari te cupientium oscula, pro innata formosis omnibus superbia, refugiebas, et amore domini ferox et formæ bono: at nunc certe istos animos demittes, cum et dominus ad nuptias animum adjecerit et tondere te jusserit, quod indicio est, te ei amplius in deliciis non fore.*"—at in ceteris editionibus fere omnibus Ald. Gryph. Scalig. Voss. Cantabrig. Vulp. Bipont. hic versus ita profertur: *Sordebam tibi villice Concubine*, cui Vossius subjungit hanc interpretationem: "*Sordebam tibi, inquit, o concubine villice, meque indignum tuis judicabas amoribus, elatus nempe et superbus formæ tuæ præstantia, et simul quod villicus seu dispensator et omnia esses apud dominum; sed concidet tibi iste spiritus, et jam jam miser a nova nupta traderis cinerario, qui cum capillitio simul quoque auferet istam arrogantiam.*"—*Sordebant tibi villice* in Libr. MS. edit. Reg. et Heins. vet. cod, teste edit. Cantabrig.—Mihi quidem in hoc versu semper suspecta fuit vox *villicæ* vel *villice;* non video enim cur concubinus paulo jam adultior et cinerario mox tondendus *villicas* præcipue contemserit, ad quas animum potius ille nunc adjecisse videatur; nec mihi persuadere possum concubinum domini dispensatorem in ejus domo fuisse; [male enim fortasse huc traxeris locum Martial. II. 18. 24. seqq.]. nec denique apparet, cur Catullus, ex cujus persona dicta omnino videntur, *Sordebam tibi villice*, concubino sorduerit, vel ab illo despectus sit? Desiderabam igitur vocem aliquam, quæ ut magis responderet sequentibus, *primam lanuginem* notaret, et ecce, variis a me frustra tentatis, opportune *Corradinus de Allio*, cujus editionem, nescio quo tædio raro alias consulere soleo, ex libro MSC. profert *villuli*, quæ lectio, sive vere in libr. MSC. Corradini extiterit, sive ab ejus ingenio profecta sit, unice vera et rei accommodatissima videtur. *Villulus* est diminutivum a *villus*, quod, eodem modo ut *lanugo*, ad primos et teneros in genis adolescentium propullulantes pilos trans-

131. *Iners concubine.* eleganter jam vocatur *iners* ob cunctationem et consilii inopiam, præcipue cum cinædi et pathici naturalibus ex causis sint inertes et ignavi.—*Servire Thalassio*, Hymenæi sacris operari. *Thalassius* unde dictus Hymenæus, vid. apud Liv. I. c. 9. et ibi *Stroth*.

136—41. *Sordebant tibi villuli:* (vid. de hac recepta lectione Var. Lect.) sensus est: Sordere tibi jam inde ab aliquo tempore, h. e. ingrata molesta que esse cœpit succrescens tibi et genas inumbrans lanugo, ecce nunc tempus adest, quo cinerarius nuptæ jussu es tuum tonsurus hanc tibi molestiam

Concubine, hodie atque heri:
Nunc tuum cinerarius
Tondet os. Miser, ah miser
Concubine, nuces da.
Diceris male te a tuis
Unguentate glabris marite
Abstinere: Sed abstine.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Scimus hæc tibi, quæ licent,

latum est. Jam vero hospes plane et peregrinus in Catulli carminibus sit, qui, quantopere Noster diminutivorum usu delectetur, et quam multa alia diminutiva apud solum Catullum legantur, nesciat. Fortasse autem ab ignorantia librariorum, quibus ignota et inaudita esset vox *villuli*, notius vocabulum substitutum est. Non dubitavi igitur lectionem Corradini *Sordebant tibi villuli*, quam jam in editione Gottingensi 1762. exhibitam video, in textum recipere, quæ si forte aliis displicuerit, facile cum vulgatis, quas recensui, permutari poterit. vid. not.

141. *Diceres* Corradin.

146—148. *Qua licent* Scalig.—*cælibi soli cognita* Passeratius in exemplaribus Memmianis, unde, si vetusti alicujus exemplaris auctoritate fulciri possit hæc lectio, Catullum fortasse scripsisse putat Vossius, *Scimus hæc tibi cælibi et soli cognita*, quod mihi quidem multo magis displicet.—pro *soli* Statius quoque rescribit *soli*.—Haud dubie vulgata lectio retinenda est, quæ in omnibus scriptis et impressis apparet, et rectissime quoque servata est a Vossio.

eximet. Egregie autem hæc loci nostri explicatio confirmatur loco Martial. I. 33. 5. *Dum nulla teneri* s o r d e n t *lanugine vultus.*—*hodie atque heri*, h. e. nuper vel brevi inde tempore. χθὲς καὶ τήμερον, χθὲς καὶ πρώην. vid. de hac proverbiali locutione *Gatacker* ad Antonin. X. 7. p. 292. *Wesseling.* ad Diodor. Sicul. lib. II. c. 5. et ad Herodot. II. 53. p. 129.—*Cinerarius* vel *cinifio* vocabantur servi, qui calamistris in cinere calefactis heræ capillum crispabant. vid. Vossius, qui ex Martial. XI. 78. 4. docet, concubinos non mariti, ut putabat Muretus, sed novæ nuptæ jussu tonsos fuisse. adde Vulp.—*Miser ah miser*, εἰρωνικῶς jam ejus vicem dolet.

141. *Diceris male* etc. Aiunt quidem homines, haud facile te impetraturum esse a libidine tua hoc, ut in posterum abstineas a mollibus et imberbibus pueris, sed abstine quæso.—*Unguentate:* nam die nuptiali vel maxime novum maritum decebat unguentis delibutum caput.

146—51. *Scimus hæc tibi* etc. Sensus: probe quidem scimus, te iis tantum huc usque amoris indulsisse ineptiis, quæ cadunt in juvenes, liberius antè nuptias vivendi potestate gaudentes [h. e. te non nisi pueris meritoriis ad explendam libidinem adhuc usum esse], iisdem tamen nunc tibi marito amplius indulgere non licet. In eandem fere sententiam apud Terentium Simo ad Davum de filio, cui uxorem daturus est, Andr. 1. 2. 17.

—*Nam, quod antehac fecit, nihil ad me attinet.*
Dum tempus ad eam rem tulit, sivi, ut animum expleret suum:
Nunc hic dies (sc. nuptialis) *aliam vitam adfert, alios mores postulat.*

Cognita: cognoscere in re Venerea vid. *Davisius ad Cæsar.* B. G. VI. 21. ubi

Sola cognita: Sed marito
Ista non eadem licent.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Nupta tu quoque, quæ tuus
Vir petet, cave ne neges;
Ne petitum aliunde eat.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
En tibi domus ut potens,
Et beata viri tui,
Quo tibicine serviat,

156. *Domus ut patens* inepte conjecit Heins. in not. ad Catull.
157. *En beata* Heins. in not. ad Catull.
158. *Quæ tibi sine fine erit* Ald. haud male, puto, ad sensum fere hunc: quæ continuo et haud interrupto usu tam diu in potestate tua erit, usque dum cet. *Quæ tibi sine serviat* Venet. Muret. Cantabrig. quæ quidem lectio, ex Pontani conjectura, perquam elegans et quam proxime ad veterem scripturam accedere videtur editori Cantabrig. Affirmat autem Scaliger MSC. et antiquas Editt. habere *sine fine serviet:* hinc in edit. Gryph. contra metrum legitur *Fine quæ tibi sine serviat.*—*sine fine servit* L. MS. et edit. R. teste editore Cantabrig.—*sine servit* liber Maffei et sic in plerisque MSS. esse testatur Voss.—ex his depravatis lectionibus fecit Scaliger *quæ tibi sene serviet*, ut *sene* ἀρχαικῶς dictum sit pro *seni*. at Statius tentat *quæ seni tibi serviet*, probante *Brouckhus.* ad Tibull. I. 7. 88. sed utraque lectio vix ullo modo ferri potest ob sequentia *usque dum tremulum* cet. quis enim bene dicat *quæ tibi serviet seni usque dum senex es?* excussis omnibus, quæ a viris doctis in medium prolatæ sunt, emendationibus, præ ceteris elegans et orationi accommodata mihi visa est conjectura Vossii, ad veteris scrip-

est *feminæ notitiam habere*; et *Heraldus* in Animadvers. ad Jambl. c. V. p. 154. Sic apud Græcos γινώσκειν. vid. Interpret. ad Nov. Test. Math. I. 28. et *Gatacker* de N. T. St. cap. XI. p. 47. —*sed marito.* hic versus est hypermeter, ut paulo ante v. 142. 191. 234. cujus syllaba abundans a prima vocali sequentis versiculi absorbetur.—*eadem* pro adverbio sumit Scaliger, et spondæum dactyli loco positum esse putat.

151—56. *Quæ tuus vir petet*, honeste pro vulgari, "quando rem tecum habere vult." *cave*, ultima hujus imperativi corripitur. vid. Var. Lect. supra ad Carm. X. 27.—*ne petitum aliunde eat*, ne alias mulieres exercendæ libidinis causa adeat, alibi scortandi occasionem exquirat.

156—61. *Domus potens*, h. e. nobilitate præpollens et insignis: *beata*, opulenta, divitiarum copia abundans.—*Quo tibicine serviat.* (vid. Var. Lect.) h. e. quo quasi fulcro domus nitens pareat tibi dominæ et matrifamilias, usque (v. 161.) dum cet.—*tibicen* (h. e. columna, cui domus incumbit) eodem modo ut *fulcrum* vel *columen*, translatum videri debet ad eos, in quibus summa rei vertitur. Sic infra LXIV. 26. Peleus vocatur *Thessaliæ columen*, ubi plura de hac locutione dabimus in notis.—Egregie autem et vere maritus, in quo (ut verbis utar Virgilii Æneid. XII. 59.) *omnis domus inclinata recumbit*, columen vel tibicen familiæ vocatur.

(Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe,)
Usque dum tremulum movens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Rasilemque subi forem.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Adspice, intus ut accubans

turæ ductum *quæ tibi sine servit* rescribentis *Quo tibicine serviat*, quam in tanta lectionis ambiguitate et inconstantia fidenter cum Vulpio in textum recepi; vid. not.—Mihi quidem succurrebat legendum fortasse esse *Quæ tibi bene serviat.*

171. *Unus ut accubans* constans lectio in omnibus MSS. et editt. vett. cujus integritas haud dubie impugnata est ab iis, qui in explicatione τοῦ *unus* hærerent. Est autem *vir unus*, qui plane is est, qui esse debet, unice conjugi deditus et in explendis boni viri partibus unice occupatus. Eodem plane sensu supra dicebatur Carm. XXII. 10. *unus caprimulgus*, ubi cf. notas, et sic egregie τῷ *unus* respondet in 173. *totus*. Mutata autem est vox *unus* ab interpretibus vel in *imus* ob solemnem fortasse harum duorum vocum in libris veteribus confusionem, vid. *Drackenborch* ad Sil. Italic. V. 112. et XV. 590. vel in *unctus*. *Barth*. Adversar. 1159—60. vel in *udus Nic. Heins.* Adversar. c. X. p. 102. et in not. ad Catull. vel denique in *intus*, quod in plerisque editionibus nunc apparet.—*Salmasius* ad Solin. p. 1256. parum feliciter tentat, *Adspice intus et accubans Vir tuus Tyrio ut toro Totus immineat tibi.*

161—66. *Usque dum tremul. mov.* cet. versus ornatissimi splendidissimique pro vulgari, "usquedum in extrema aliquando senectute constituta et ætate fessa omnia bona omnibus, qui ea appetunt, lubenter concessura es." Anus autem annosa subinde trementis capitis motu nutare et aliis fere annuere solet.—*tempus* pro parte capitis, de qua pluralem modo dici Grammatici præcipiunt, apud ipsum Ciceronem in singulari occurrit ad Herenn. IV. 69. cf. *Gifan*. in Indic. Lucret.

166. *Transfer omin. c. bon. lim. aur. pedes:* Plaut. Casin. IV. 4. 1. *Sensim super attolle limen pedes, nova nupta.* Ominosum enim putabatur vel ingrediendo vel egrediendo limen tangere: vid. *Burmann*. ad Ovid. Amor. I. 12. 4. Tradunt autem, qui de Romanorum ritibus nuptialibus scripsere, novam nuptam, ut invita nubere et virginitatem deponere videretur, a paranymphis trans limen portatam esse. *aureolos*, pulchros. res nota.—*forem rasilem*, eleganter politam et lævigatam, cf. Voss.

171. *Adspice intus:* vid. Var. Lect. *Tyrio in toro*, lecto tricliniari, purpura Tyria instrato. Sponsus nimirum geniali mensæ cum æqualibus adsidens expectabat sponsam. cf. Carm. LXII. 3. Non enim de lecto cubiculari cogitandum esse docet vers. 191. 92. 201—*Totus immineat tibi*, toto pectore et oculis in te hæreat, toto animo in te feratur et amplexus tuos cupide petat.

Vir tuus Tyrio in toro,
Totus immineat tibi.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.

Illi, non minus ac tibi,
Pectore uritur intimo
Flamma, sed penite magis.
Io Hymen Hymenæe io
Io Hymen Hymenæe.

Mitte brachiolum teres,
Prætextate, puellulæ;
Jam cubile adeant viri.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.

Vos bonæ senibus viris
Cognitæ bene feminæ,
Collocate puellulam.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.

176. *Ille non minus atque tu Pectore uritur intimo Flamma, sed penitus magis* Gryph. Muret. et alii; sed multo doctior haud dubie est lectio nostra, quam dedit Scaliger ex libro suo, quamque omnes MSSC. Statii confirmant, nisi quod in his *urimur* legitur. Eandem suppeditant MS. et tres antiquissimæ editt. affirmante editore Cantabrig.

183. *Jam cubile adeat.* Gryph. Muret. Vulp. sed omnes libri MSSC. et editt. vetustiores offerunt *adeant.* recte! vid. not.

186. Mirum quantum in hoc versu libri veteres discrepant. *Unis sedibus bonæ* Venet.—*Imis sedibus bonæ* laudat Parthenius in notis.—*Binæ in ædibus unius, Cognitæ bene feminæ* Gryph.—Sed in omnibus MSSC. Statius invenit *Vos bonæ senibus unis,* unde ille reposuit nostram, Scaligeri et aliorum auctoritate stabilitam, lectionem *Vos bonæ senibus viris.* Vossius pro *viris* mavult *bonis,* cui emendationi egregie favet v. 19. et hujus epitheti usus per totum hoc carmen suaviter repetitus.

187. *Cognitæ breve* Scalig.

176. *Illi non minus ac tibi,* h. e. in ejus medullis non minor ac tibi ignis ardet. [ut supra loquitur Noster XLV. 16.] *flamma uritur,* græce πῦρ δαίεται, vid. Scalig.—*sed penit. mag.* h.e. imo *pen. mag.*

181—86. *Mitte brachiol. teres puellulæ,* h. e. e manu dimitte teres pu. brach.—*prætextate:* intelligitur puer ingenuus, et quidem *patrimus* et *matrimus* [ἀμφιθαλὴς] qui nuptam ad domum mariti deducebat (παράνυμφος). *Patrimi et matrimi,* auctore Festo, *prætextati tres nubentem deducunt: unus, qui facem præfert; duo, qui nubentem ducunt.*—*adeant* nimirum virgo et pronubæ, a quibus sponsa in lecto geniali collocabatur, ut docet stropha sequens.

187. *Cognitæ bene feminæ,* spectatæ fidei et castitatis. Debebant etiam pronubæ istæ esse *univiræ.*

Jam licet venias, marite:
Uxor in thalamo est tibi
Ore floridulo nitens;
Alba parthenice velut,
Luteumve papaver.
At marite (ita me juvent
Cœlites) nihilominus
Pulcher es, neque te Venus
Negligit. Sed abit dies:
Perge, ne remorare.
Non diu remoratus es.

196—200. Hunc locum inquinatissimum egregie purgavit et ad formam mundiorem, pulchre ad Catullianam venustatem compositam, revocavit Scaliger. Transposuit autem, et, ut nunc legitur, emendavit Vir Magnus hanc stropham, quæ olim sinistre post sequentem posita corrupte legebatur ita: *Ad maritum tamen juvenum Cœlites nihilominus Pulchre res.* Unde Parthenius fecerat *At marita tuum tamen Celites nihilominus Pulchra res*, et Statius lepide ex conjectura proposuerat *Admetum juvenem tamen Celites nihilominus, Pulchra res.* [cujus lectionis explicationem vide sis apud ipsum]—Plausum jam tulit hæc præclara Scaligeri emendatio a Vossio et ceteris interpretibus.—

192. *Tibi*, h. e. in tuam gratiam et voluptatem. Sic Tibull. IV. 6. 3. *Tota tibi est hodie, tibi se lætissima comsit.* Virgil. Eclog. VIII. 30. *tibi deserit Hesperus Œtam*, et sexcenties alibi.

193. *Nitens*, formosa. vid supra ad Carm. II. 5.

194. *Alba parthenice*, herba quædam, cujus nomen incertum est; vulgo vocant *Mutterkraut*. —— *luteumque papaver:* color luteus non semper eodem modo dicitur, nec unam eandemque colorem notat, sed ut *cæruleus* fere, *flavus, rufus*, et alii colores, latius patet. Hinc passim a viris doctis de coloribus veterum multum et acriter disceptatum est; de quorum diversitate et vaga notione nos ipsi, prima quaque pro muneris nostri partibus scribendi aliquid oblata occasione, in singulari commentatione uberius exponere in animum induximus. *colorem luteum* (hellroth, rosenroth) affinem esse colori rufo et roseo vel ex nostro loco sponte apparet. Flagitat enim hunc colorem tam ipsa instituta comparatio [color albus enim in ore pulchræ puellæ permixtus esse debet cum colore roseo et purpureo. cf. Anacr. Od. XXVIII. 23. et quos ibi in hanc rem laudat Cl. *Fischer*,] quam ipsum nomen, cui additur, *papaver*. Sunt autem, auctore Plinio, Hist. Nat. XIX. 8. 53. *Papaveris sativi tria genera: Primum candidum, cujus semen tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos dabatur. Alterum genus est papaveris nigrum, cujus scapo inciso lacteus succus excipitur. Tertium genus, rhoeam vocant Græci, id nostri erraticum. Sponte quidem, sed in arvis cum hordeo maxime nascitur, erucæ simile, cubitali altitudine flore rufo et protinus deciduo: unde et nomen a Græcis accepit.* Aperte autem tertium papaveris genus a poëta innuitur: multus jam fuit in explicando *colore luteo* Salmas. ad Solin. T. I. p. 256—58. et Tom. II. p. 1154—58. Adde quos laudat, qui de hoc colore egerunt, *Titius* ad Nemes. Cyneg. 319.

198. *Negligit*, h. e. parum curat; dictum mihi videtur per λιτότητα pro "et tu quoque singularem Veneris curam et benignitatem in concessa tibi formæ pulchritudine et dignitate expertus es."

Jam venis. Bona te Venus
Juverit: quoniam palam
Quod cupis, capis, et bonum
Non abscondis amorem.
  Ille pulvis Erythrei,
Siderumque micantium
Subducat numerum prius,
Qui vostri numerare volt
Multa millia ludi.
  Ludite, ut lubet, et brevi

202. *Jam Venus, bona te Venus Juverit* profert e libro veteri Passaratius. venustior sane hic orationis color!

204. *Quod cupis cupis* Heins. in not. ad Catull. male! nam sic dulcissima perit paronomasia.

206. *Ille pulveris Erythræi* vitiose in MSC. edit. Venet. et aliis antiqq.—*pulvis Erithræi* Guarin. Gryph.—*pulveris Eritei* et *Ericei* omnes libri MSS. Statii, unde, quod Avantio jam in mentem venerat, Vossius legendum censet *pulvis* (pro pulveris) *Erythrii* ab *Erythros* vel *Erythron* parte regionis Cyrenaicæ, cujus mentionem facit in Geographia Ptolemæus. Ab agro *Erythrio* autem, ut docet Vossius, ejusque oppidis Palæbisca et Hydraoe incipiebat Libya siticulosa sive arenosa, ita ut *pulvis Erythrius* sit arena Cyrenaica. Quam quidem Vossii explicationem, doctam sane et ingeniosam, cupide amplexus est Vulpius.—Nic. Heins. in not. ad Catull. legi jubet, quod proposuit jam Theodorus Marcilius, *Ille pulveris æthri vel aëri* pro *ætherii* et *aerii*. Per *pulverem ætherium* autem innui putat atomos, quæ ex Epicuri et Democriti sententia numero infinitæ sint. Sed haud facile poëtæ carminibus suis intexere solent philosophorum placita. Multo magis igitur mihi arridet altera ejusdem Heinsii conjectura in notis ad Catull. *pulveris Africi*, quam ceteris lectionibus partim ideo præferendam puto, quod antiquus genitivus *pulvis* pro *pulveris* apud nullum alium scriptorem occurrit, partim quod in omnibus MSS. teste Statio, et editionibus antiquissimis constanter servatur τὸ *pulveris*. Equidem olim tentabam: *pulveris aridi*, sed illud Heinsii est doctius et poëta dignius.—*Pulvis Erythrei*, quod in textu est, dictum volunt pro *pulveris Erithræi*, ita ut ex diphthongo in *Erythræi* metri causa una litera elisa sit.

209. *Vestri* pro *nostri* et *volunt* pro *vult* vitiose in MSS. Statii.

210. *Lusum* contracte pro *lusuum* et *lusus* in veteribus libris fuisse ait Avantius. Sed Statius in omnibus MSC. quos manu trivit, invenit *ludere*, unde haud dextro Apolline tentabat *multa mollia ludi*. Scaliger in codice Gallicano exaratum deprehendebat *ludei* pro *lude*, unde fluxit fortasse depravata lectio *ludere*. Vossius ex veteri lectione *ludi* vel *ludite*, quam in nonnullis libris se invenisse affirmat, reponit *luctæ*. Sed quis non præferat *ludi*, ob statim sequens et egregie respondens *Ludite?*

202. *Bona te Venus Juverit*, propitia tibi aderit et nuptiarum tuarum eventum jubebit esse felicissimum.—*palam*, non furtive, sed publica auctoritate.

206. *Ille pulvis Erythr.* vid. Var. Lect. et omnino cum hoc loco compara supra carm. VII. 2. seqq.

211—16. *Ludite ut lubet.*—*ludere* in re Venerea παίζειν, ἀφροδισιάζειν: cf. supra ad Carm. XVII. 17. adde *Heins.* ad Ovid. Heroid. XVII. 6. ad Amor. I. 8. 43. et Interpr. ad Petron. c. 132. sub fin.—*liberos date*, procreate ut v. 67.—*Non decet tam vetus* cet. genti tam nobili et antiquæ non spes

Liberos date. Non decet
Tam vetus sine liberis
Nomen esse: sed indidem
Semper ingenerari.
Torquatus, volo, parvulus
Matris e gremio suæ
Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad patrem,
Semihiante labello.
Sit suo similis patri
Manlio, et facile insciis
Noscitetur ab omnibus,
Et pudicitiam suæ
Matris indicet ore.
Talis illius a bona
Matre laus genus approbet,
Qualis unica ab optima
Matre Telemacho manet

220. Hunc versum ex corruptis lectionibus *sed micante* vel *sed mihi* vel *sed nitente* felicissime restituit Scaliger.

222. Pro *facile* vult *Burmannus* Sec. ad Anthol. T. I. p. 305. *facie*: cur quæso?

226. *Tale Juliadum e bona Matre* sine causa *Heins.* in not. ad Catull.

posteritatis deesse, sed eidem (*indidem*) ex eadem semper stirpe nova et legitima subnasci debet propago.

216—21. Tanta est versuum sequentium dulcedo et divina fere suavitas, ut vel eos, quibus nondum factis patribus dulcis arriserit puerulus, hos versus legendo exsultaturos, vel mollissimo sensu delinitos futuri patris lætitiam animo præcepturos esse, facile tibi persuadeas.—*Volo*, h. e. opto, ut passim.—*parvulus Torquat.* comparant illud Virgil. Æneid. IV. 328.

—*si quis mihi parvulus aula*
Luderet Æneas, qui te tantum ore referret.

—*Dulce rideat ad patr.* h. e. suaviter patri arrideat. *Semihiante labello*, semihiulco, semiaperto. *Dum semihulco savio Meam puellam savior* apud Gell. Noct. Attic. XIX. c. 11.

221—26. *Sit suo similis patri*, ὅμοιος τῷ πατρὶ, nati enim cum patre similitudo probabat uxoris in maritum fidem et castitatem; hinc τέκνα οὔποτ' ἐοικότα πατρὶ, (Theocrit. Idyll. XVII. 44.) sunt liberi furtivo amore suscepti. cf. Hor. Od. IV. 5. 23. et quæ in hanc rem congessit loca Cl. *Jani.* adde *Græv.* in Lect. Hesiod. c. 5. et *Dorvill.* ad Charit. p. 328. edit. Lips.—*Et pudic. suæ matris ind. ore*: Vulpius laudat Martial. VI. 27. 3. 4.

226—31. Sensus: Qualis laus a matre castissima Penelope parta olim est Telemacho, maxima omnino semperque duratura, talis ad stirpis veritatem probandam a matris castitate contingat Torquato parvulo.—*unica fama*, nimirum in genere suo unica, h. e. maxima. cf. supra Carm. XXIX. 12.

Fama Penelopeo.
Claudite ostia, virgines:
Lusimus satis. At, boni
Conjuges, bene vivite, et
Munere assiduo valentem
Exercete juventam.

231. sq. *Claud. ost. virg.* omnibus in his nuptiis nunc rite peractis, thalami jannam claudere jubet virgines, et simul carmini, quo lusit poëta, cum bono voto finem imponit.—*Munere assiduo*, h. e. assiduo Veneris usu. *munus* in re Venerea. Sic *munia comparis æquare* Hor. Od. II. 5. 2. et sic passim *officium* Ovid. Amor. III. 7. 24. et Propert. II. 22. 24. *Exercete juvent.* *exercere* eleganter dicitur de iis, quæ otiosa, sterilia, ac sine fructu esse non patimur. vid. *Duker.* ad Flor. IV. c. 12. p. 900. edit. nov.—simili fere sententia Helenæ epithalamium finit Theocrit. Idyll. XVIII. 54.

Εὕδετ' ἐς ἀλλάλων στέρνον φιλότητα πνέοντες
Καὶ πόθον.—

CARMEN LXII.

CARMEN NUPTIALE.

JUVENES.

VESPER adest, Juvenes, consurgite: vesper Olympo

Differt hoc carmen nuptiale vel epithalamium a præcedenti ita, ut chorus juvenum puellarumque, quem poëta ad solemnem cantum nuptialem superiori carmine tantum exhortatus fuerat, nunc vere et rite canendo certet, et alternis invicem se excipiat. (v. 1—6.) Juvenes, sponsi æquales (ἡλικιῶται) mensæ geniali, una cum sponso in ejus domo accumbentes et sponsam expectantes, surgente Hespero, ipsi a mensa surgunt, et solo novo marito in triclinio relicto (Carm. LXI. 171.) ad januam, ubi sponsam excepturi sint, se proripientes Hymenæum dicere parant.—Interea (v. 6—11.) virgines æquales (ὁμήλικες) sponsam ad sponsi domum comitantes appropinquant, juvenesque ad certamen prosilientes conspiciunt. Easdem (v. 11—20) vident juvenes, et quidem toto animo in re præsenti et laudis honore ex certamine reportando defixas et occupatas, unde sibi, paulo negligentioribus et alia omnia curantibus, haud facilem prapositam intelligunt victoriam. Eo magis ad præsentis rei studium invicem se excitant. Canere (v. 20—26.) incipiunt puellæ, et Hesperi crudelitatem, filiam ex amplexu matris avellentem, accusant. At (v. 26—32.) juvenes maximis laudibus extollunt Hesperum, cujus affulgente splendore lætissimo pacta nuptialia confirmentur. Iterum (v. 32—36.) puellæ rapacitatem Hespero exprobrant adduntque, ejus adventu et simul inductis tenebris diligenter sibi cavendum esse a furibus. Juvenes (v. 36—39.) facete respondent, puellas aliud in ore, aliud in pec-

Expectata diu vix tandem lumina tollit.
Surgere jam tempus, jam pingues linquere mensas:

tore habere, ideoque hunc ipsum, quem palam carpant, tacite optare. Comparant (v. 39—49.) puellæ virginem intactam cum flore in horto secreto nascente, qui, quamdiu in honore suo intactus et intemeratus superbiat, mirifice pueris puellisque placeat:—at puellam libidine contaminatam similem esse canunt flori decerpto et jam jam flaccescenti, quem nec pueri nec puellæ curent. Vim (v. 49—59.) elegantissimæ comparationis infringunt juvenes alia ex re agresti petita imagine. Puellarum nimirum conditionem respondere potius aiunt conditioni et naturæ vitis, quæ, si in nudo arvo nascatur inculta, nec in altum exsurgens mites uvas demittat, nullius pretii haberi soleat ab agricolis; eandem vero, si ulmo maritata fœcunditatem promittat, ab iisdem maxima cura coli; et plane ita se habere cum puellis innuptis et nuptis, illas senescere steriles et incultas, has caras et jucundas esse viro et parentibus. Uterque (v. 59. usq. ad fin.) nunc chorus, ut supra in ultima stropha Hymni in Dian. Carm. XXXIV. ubi vid. nos ad v. 1. (puellarum enim chorus, æque ac nupta marito, victus jam cessisse videtur puerorum choro,) se convertit ad nuptam, eamque, ut virginitatem, cujus partem aliis concedendam jure sibi vindicare possint parentes, in mariti amplexibus lubens jam deponat, graviter hortatur.—Singulares et divinæ hujus carminis dotes percipi potius a lectoribus, quam vana declamatione a me describi et extolli debent, quas qui hebetioris ingenii percipere non possunt, ab omni veterum poëtarum lectione arcendos puto.—Est autem hoc carmen nuptiale ex *amœbæi carminis* genere, cujus lex, (ut *Heyne* præcipit in Argum. ad Virgil. Eclog. III.) hæc est, ut is, qui respondet, eisdem versibus et numeris aut contrarium aut majus aut pulchrius aliquid dicat, aut ulla ratione simile quid subjiciat; nec dubito, quin idem latiore significatione recte quoque vocari possit epithalamium. vid. nos in Argum. ad Epith. Manl. et Jul.—In quas nuptias hoc carmen scriptum sit, vix ullo argumento satis firmo probari potest; multi ad easdem Jul. et Manl. nuptias cum superiore referunt; *Corradinus* præposuit adeo hoc carmen superiori, et cum illo conjunxit; sed haud dubie, quod nunquam certe sciri potest, nec illud scire multum refert, nescire velle præstat.—Ceterum hoc carmen studiose imitati sunt tam veteres quam recentiores, et a multis in patriam linguam translatum est. *Rosenfeldi Vers. metric.* cujus mentionem fecimus in *argumento ad Epithalam. Jul. et Manl.* verbosis laudis præconiis condecorat et nobis commendat ejus amicus *Gurlittus*, nec dubitat eam præferre *Herderi* versioni, quæ de hoc carmine exstat in *Herderi Volksliedern* l. II. p. 141. cujus tamen auctor ex sententia *Gurlitti* vix esse possit *Herderus*; sed dicat mihi *Gurlittus*, an verbi causa in vernacula recte dici possit *die Gedanken versammeln?* nam vers. 17. vertit *Rosenfeldus: Drum ihr Genossen; nur jetzt versammlet eure Gedanken.* ut alia taceam.

1. *Vesper adest, Juven. consurgite:* cogita unum ex juvenibus præ aliis forte Hesperi ortum animadvertentem subito jam appellare ceteros et ad cantum nuptialem solemni modo et certamine cum puellis mox instituendum evocare.—*Vesper Olympo Expectat. d. vix tandem lum. tollit,* ornate et sublime pro vulgari "tandem aliquando Hesperus oritur." *tollit lumina* extollit et profert rutilantem splendorem. Simili modo *Vesper lumina accendere* dicitur apud Virgil. Georg. I. 251.—aliam surgentis Hesperi descriptionem vid. apud Claudian. Carm. XIV. 1. 2. (p. 162. edit. Gesner.)

3. *Surgere jam tempus.* voci *tempus* gerundii loco subjungitur infinitivus,

Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenæus.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

PUELLÆ.

Cernitis, innuptæ, juvenes? consurgite contra,
Nimirum Œtæos ostendit noctifer ignes.
Sic certe, viden' ut perniciter exsiluere?
Non temere exsiluere: canent quod visere par est.

7. *Nimirum Eoos ostendit noctifer imbres* Venet. Stat.—*Nimirum æthereos*—*ignes* Gryph. Muret.—vetus lectio MSS. fuit *nimirum hæc (vel hoc)eos ostendit Noctifer imber*, unde Statius ex ingenio proposuit *Nimirum Œtæas obtendit Noctifer umbras.*—Scaliger *Nimirum Oceano se ostendit Noctifer imbre.* Meleager *Nimirum choreas ostendit Noctifer igneas.* Sed nostra lectio, quam Vossius ex vetustissimo libro Thuanæo produxit, egregie confirmatur loco Virgil. Eclog. VIII. 30.

8. Post *certe* excidisse putat Statius *est*, quod in uno MSC. tres literas hic erasas fuisse animadverterit.

9. *Cavent quo visere parent*, vetus scriptura teste Scaligero, et sic est in libro Comelin. Papyr. Pal. et tribus antiquissimis editt. unde vario modo hic locus correctus et excusus fuit. *canent quos vincere par est* Gryph. Muret.—*canent quod vespere par est* Meleager.—*canent quod vincere par est* edit. Cantabrig. addita explicatione: carmen victoria dignum.—*canent quo vincere par est* receptum est ex quibusdam editt. vett. in edit. Gotting. et Bipont.—Vossiana lectio, quam dedimus, jam est in excerptis Thuanæis.

de quo loquendi genere multa exempla congessit *Drackenborch.* ad Liv. III. 4. 9. Tom. I. p. 545.—*mensas pingues*, in quibus epulæ pingues et opimæ appositæ sunt.

4. *Dicetur Hymenæus.* observa syllabam brevem ante sequentem vocem aspiratam, præcipue ante vocem *Hymenæus*, passim a poëtis produci. sic infra Carm. LXIV. 20. Virgil. Æneid. X. 720. et sæpe alibi.

5. *Hymen o Hymen.* cet. cf. ad Carm. LXI. 4.

6. *Consurgite contra. consurgere* est verbum militare, quod sæpe apud Livium de impetu hostili dicitur.

7. *Nimirum Œtæos ostend. Noctif. ign.* h. e. scilicet ortus jam est Hesperus, cujus igneus splendor inde a monte Œta in conspectum venit.—Note enim poëtarum more sidera montibus oriuntur et occidunt. cf. Virgil. Æneid. II. 801. et alia, quæ in hanc rem ibi collegit exempla *Cerda.* Factum autem est, ut veteres poëtæ ex antiquiore aliquo carmine, quod in tractibus illis, qui sub Œta sunt, scriptum erat, hanc formulam retinerent, et ortum Hesperi, qui a Locris in præcipuo cultu habebatur, et in nummis Locrorum frequenter visitur, ab Œta repeterent. *Œta* sive *Œteus* mons fuit Græciæ et limes Thessaliæ ab austro, cujus jugum ab oriente versus occidentem porrigitur. vid. Strab. IX. p. 639 et 655. edit Almeloven. Iis itaque, qui totum illum tractum habitabant, Veneris seu Hesperi stella, quoties post solis occasum in conspectum veniebat, ab Œtæis montibus oriri videri debuit. Hæc fere sunt, quæ egregie ad locum nostrum illustrandum jam observavit *Heyne* ad Virgil. Eclog. VIII. 30. et ad Tibull. in Observat. p. 153. edit. nov. cf. Vossius.

8. Vid. de hac formula supra LXI. 77.

9. *Non temere*, h. e. non sine præmeditatione.—*quod visere par est*, quod visu et auditu dignum est. (*was sich wird hören lassen*,) nam videndi verba ad omnes sensus referuntur; huic respondet mox sequens (v. 13.) *memorabile quod sit.*

Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

JUVENES.

Non facilis nobis, æquales, palma parata est:
Adspicite, innuptæ secum ut meditata requirunt.
Non frustra meditantur: habent memorabile quod sit.
Nec mirum: tota penitus quæ mente laborent.
Nos alio mentes, alio divisimus aures.
Jure igitur vincemur. Amat victoria curam.
Quare nunc animos saltem committite vestros:
Dicere jam incipient, jam respondere decebit:
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

PUELLÆ.

Hespere, qui cœlo fertur crudelior ignis?

12. *Requirant* omnes editt. antiquiores. Statius autem ex corruptis lectionibus, quas in duobus MSSC. invenerat, vario modo hunc versum restituere molitus est: vult enim vel *Aspice quæ innuptæ secum ut meditata requirunt*, vel *Aspicite innuptæ quæso ut meditata requirunt*, vel *Aspice quæ innuptæ secum ut meditamina quærunt*, vel *Adspicite innuptæ quæso ut meditamina quærunt*. profecto hæ sunt epulæ dubiæ!

14. Hunc versum reduxit Vossius, temere ex ejus sententia a viris doctis expunctum, cum et vetustissimum Thuanæum et alia exemplaria eum agnoscant. Sententiam certe et orationem egregie hic versus juvat. pro *laborent* equidem malim *laborant*.

15. *Convertite vestros* Vossius.

20. *Quis cœlo* perperam in quibusdam, nam sæpissime a bonis scriptoribus *qui* pro *quis* ponitur. vid. *Drackenborch*. ad Liv. I. 7. ad verba *rogitat qui vir esset*. adde *Ducker*. ad Florum I. c. 18. et *Schwartz* ad Plin. Panegyr. c. 74. p. 366.—pro *fertur* in nonnullis exstat *lucet*, quod haud dubie ex v. 26. intrusum est. sed quem-

12. *Innuptæ secum ut meditata requir.* h. e. quam curiose repetunt et promere student, quæ diligenter antea puellæ secum commentatæ et meditatæ sunt. *meditata* passive, ut *oratio meditata* Tacit. Annal. XIV. 55. 1. et *carmen meditatum* apud Plin. Panegyr. c. 3. ubi vid. *Schwartz*. p. 6.

14. *Nec mirum*, h. e. nec mirum adeo videri debet, si memorabile quid profertur ab iis, quæ toto animo et omnibus intentis viribus in eo laborant.

15. *Nos alio mentes, alio divis. aur.* nos aliis rebus, quibus simul aures et animum præbemus, districti et distenti tenemur. *animus divisus*, qui pluribus rebus et cogitationibus eodem tempore occupatur. Virgil. Æneid. VIII. 20. *Atque animum celerem nunc huc, nunc dividit illuc.* Similiter apud Ovid. Remed. v. 443. *mens bipartito secta* dicitur de eo, qui binas simul amat puellas.

16. *Amat victor. cur.* Sic Euripid. Phœniss. v. 728. *τὸ νικᾶν ἐστι πᾶν εὐβουλία.*

17. *Committite* nimirum cum puellarum animis, h. e. componite; translatum a gladiatoribus, qui *committi* vel *componi* cum adversariis dicebantur.

20. *Qui* pro *quis*. vid. Var. Lect. *fertur*. h. e. volvitur, circumfertur.

Qui natum possis complexu avellere matris,
Complexu matris retinentem avellere natam,
Et juveni ardenti castam donare puellam?
Quid faciant hostes capta crudelius urbe?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

JUVENES.

Hespere, qui cœlo lucet jucundior ignis?
Qui desponsa tua firmes connubia flamma,
Quod pepigere viri, pepigerunt ante parentes,
Nec junxere prius quam se tuus extulit ardor;
Quid datur a Divis felici optatius hora?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

PUELLÆ.

Hesperus e nobis, æquales, abstulit unam.
* * *
Namque tuo adventu vigilat custodia semper.

admodum in hoc versu *lucet* melius convenit *τῷ jucundior*, ita in nostro versu magis respondet *fertur τῷ crudelior*.

28. *Quæ pepigere viri* liber Memmii teste Passeratio, Voss. et editor. Cantabrig. sed nostra lectio, quia est difficilior, ex lege critica præferenda est.

32. Varie et corrupte hic versus legitur in MSSC. Statii, qui inde tentat, *Hesperus e nostris æqualibus abstulit unam*, vel *Hesperus e nostris æqualem hinc abstulit unam*. in margine edit. Gryph. adscriptum fuit *Hespere, quis nobis æqualem hanc abstulit unam*. * * * hic quædam excidisse jure jam suspicati sunt Statius et Scaliger, quamquam Vossius omnia recte se habere putaverit; non habet enim, quo referatur sequentis versus particula *namque*; ego hanc fere sententiam desidero: Hespere, te jure rapacem vocamus et timemus, *namque*.

33. Vossius pro *namque* corrigit *nempe* et post vocem *custodia* interpungit.

21. Ex instituta comparatione cum loco simillimo in Epithal. Jul. et Manl. v. 56. seqq. non sine voluptate animadvertes, quam pulchre eandem sententiam poëta variaverit.

22. *Retinentem* sc. *se*, h. e. reluctantem, ægre se avelli patientem.

26. *Hespere, qui cœlo lucet*. Laudant Homer. Iliad. XXII. 318.

Ἕσπερος ὃς κάλλιστος ἐν οὐράνῳ ἵσταται ἀστήρ.

et sic apud Bionem Idyll. VIII. 2. Hesperus vocatur *κυανίας νυκτὸς ἱερὸν ἄγαλμα*.

28—29. *Quod pepigere viri, pepig.* cet. pactum nempe quod a procis et parentibus ante nuptias contractum nec prius quam tuis auspiciis et ortu confirmatum est. Disertius igitur hi duo additi versus antecedentem explicant et declarant, ut sæpe apud poëtas, et sic *τὸ quod* non offendere videtur.— *ardor* exquisite pro igneo splendore.

33. *Vigilat custodia*. h. e. custodes furum abigendorum causa vigilant.

Nocte latent fures, quos idem sæpe revertens,
Hespere, mutato comprendis nomine eosdem.

JUVENES.

* * *

At lubet innuptis ficto te carpere questu.
Quid tum si carpunt, tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

PUELLÆ.

Ut flos in septis secretus nascitur hortis,

35. *Vespere* editt. vett. * * * hic quoque deesse quædam vel inde colligo, quod versuum numerus, qui par esse debebat, non constat. tot enim versibus, quot puellæ cecinerant, ex lege carminis amœbæi respondendum fuit juvenibus.

36. *Ut* pro *utcunque* nexus causa conjecit Vossius.

37. *Quod mente requir.* alii.

34. *Nocte latent fures.* hinc *fur nocturnus* dicitur apud Calpurn. Eclog. III. 73. Vossius comparat Hom. Iliad. III. 10—11. Per *fures* intelligi simul possunt *adulteri*, ut sexcenties *furta* de adulteriis. v.c. infr. Carm. LXVIII. 136. et 140. Honestius de Hespero sentit, ejusque affulgente luce ad pastorem comessatum iturus juvari in via cupit amans quidam apud Bion. Idyll. VIII. 6. 8.

Ἕσπερε—οὐκ ἐπὶ φωρὰν
Ἔρχομαι, οὐδ' ἵνα νυκτὸς ὁδοιπορέοντ' ἐνοχλήσω·
Ἀλλ' ἐράω· καλὸν δέ τ' ἐρασσαμένῳ συναρᾶσθαι.

35. *Mututo comprendis nomine eosdem.* nam qui vespere Hesperus, idem mane vocatur Lucifer vid. Vulp. et Cl. *Wernsdorf.* ad poët. minor. Tom. III. Excurs. V. p. 508. 9.

36—37. Versus suavissimi! at puellæ simulanter pro indole sua queri et te carpere solent, quod quidem facile illis condonandum est, si, quem palam carpunt et accusant, tacite sibi animo expetant et suspirent. Confer omnino in hanc sententiam infra Carm. LXVI. 15—19.

39. *Ut flos in septis* cet. Ad nobilissimum hunc locum imitandum certatim sequioris ætatis poëtæ operam suam contulerunt. Sic suavissimis inde ductis coloribus egregie Cantum primum distinxit et illuminavit Areostus, quem comparat Vulpius. Ex nostratibus poëtis juvat in nonnullorum gratiam elegantissimam imitationem subjicere, quæ legitur in *Ramleri lyrische Blumenlese* III. 27.

IRIS.

Ein Veilchen, das im Garten blüht,
Am Sonnenstrahl wie Purpur glüht,
Und nie vom Vieh, das weidend irrt,
Vom Pfluge nie verderbet wird,
Gefällt dem Jüngling und dem Mädchen:
Doch ist der Stengel eingeknickt,
Das zarte Blümchen abgepflückt,
Missfällts dem Jüngling und dem Mädchen.

SILVIA.

Ein Weinstock, den kein Winzer pflegt,
Der, keine Purpurtrauben hegt,
Weil er noch ohne Stütze kriecht,
Und schmachtend auf dem Boden liegt,
Labt keinen Jüngling und kein Mädchen:

Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber:
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ:
Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ:
Sic virgo dum intacta manet, dum cara suis est.
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

JUVENES.

Ut vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo,
Nunquam se extollit, nunquam mitem educat uvam;

40. *Convulsus aratro* in vetustis membran. Thuan. et in libro Memmii.

45. *Dum intacta manet, tum cara suis. sed* ex correctione eorum, qui *dum, dum* concoquere non possent, et particulam *sed* in sequenti versu desiderarent. At nostram, quam excudi curavimus, lectionem, non solum agnoscunt omnes libri MSSC. et editt. antiquissimæ, sed etiam egregie auctoritate Quinctiliani confirmatur (Institut. libr. IX. c. 3.), quem eodem modo hunc locum legisse ex addita explicatione, qua alterum *dum* pro *quoad*, alterum pro *usque eo* sumit, manifeste apparet. Subit etiam mirari, cur hujus versus emendatores non ad vers. 56. attenderint, ubi in eleganter repetitis particulis *dum dum* nullus aliquid mutare ausus est. cf. not.—particula *sed* autem eodem plane modo v. 57. desideratur et subintelligi debet.

50. Ex depravata lectione membr. Thuan. *quam musiteam* nimis ingeniose Vossius conjectat *Amineam educat uvam*, quem vid.

Doch trifft er einen Ulmbaum an,
Um welchen er sich schmiegen kann,
Labt er den Jüngling und das Mädchen.

flos secretus, ab aditu publico et violatione remotus.

40. *Nullo contusus aratro.* Imitatus est Maro Æn. IX. 435.

Purpureus veluti cum flos, succisus aratro,
Languescit moriens.

4. *Educat.* cf. supra ad Carm. XIX. 14.

42. *Multi illum pueri* cet. Hunc totum pæne versum a Nostro mutuatus est Ovid. Metamorphos. III. 353. *Multi illum* (Narcissum) *pueri, multæ cupiere puellæ.* Hausisse quoque inde videtur Virgil. Æneid. IX. 581. ubi cf. *Heyne.*—*optavere* græce dictum pro optare solent, ut (v. 53.) *accoluere* pro accolere solent.

43. *Tenui carptus ungui.* Similiter Virgil. Æneid. XI. 68. *Qualem virgineo demessum pollice florem.*

45. *Sic virgo dum intacta* cet. Hunc versum ita explico: plane ita se habet cum virgine, quamdiu illa virginitate gaudet, et quamdiu ideo cara est æqualibus suis. *dum* pro *quamdiu* sexcenties v. c. in trito illo Terentii: *dum moliuntur, dum comuntur, annus est.*

46. *Cum castum amisit pollut.* cet. ornate pro vulgari " cum virginitatem amisit concubitu."

42. *Vitis vidua*, nulli arbori alligata, cf. Horat. Od. IV. 5. 30. et notata ibi in hanc rem ab interpretibus.—*arvo nudo*, h. e. nullis arboribus, quibus adjungi vitis possit, consito.

Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Jam jam contingit summum radice flagellum:
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere juvenci:
At si forte eadem est ulmo conjuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere juvenci:
Sic virgo, dum intacta manet, dum inculta senescit:
Cum par connubium maturo tempore adepta est,
Cara viro magis, et minus est invisa parenti.
A tu ne pugna cum tali conjuge, virgo.
Non æquum est pugnare, pater quoi tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est:
Virginitas non tota tua est: ex parte parentum est:
Tertia pars patri data, pars data tertia matri,
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,

53. et 55. *Coluere* duo MSSC. teste Passeratio.

54. *Ulmo conjuncta maritæ* vult Heins. in not. ad Catull.

59. *Et tu nec pugna* MSSC. omnes teste Stat. et editt. antiquissimæ, accedente Vossio.

63. *Tertia pars patris est, pars est data tertia matri* Muret. Voss. In nonnullis editt. antiqu. primo loco *matri* et secundo *patri* positum est.

51. Versus tam verborum structura et artificiosa collocatione, quam ornatu splendidissimus. *Corpus tenerum*, teneri palmites, *deflectens prono pondere*, ob pondus, quo laborant et se sustinere non valent, ad terram inclinantes.

52. *Contingit summum radice flagellum*, exquisitiori loquendi ratione pro "radicem contingit summo flagello." *flagellum* est vitis pars superior.

53. *Hanc nulli agric. null. accol. juvenci*; hanc neque agricolæ neque juvenci curare solent. Ejusmodi enim vitis sine omni cultu neglecta jacet in nudo agro, et vel pedibus ab agricolis et juvencis conteritur.

54. *Ulmo conjuncta*. cf. ad Epithal. Jul. et Manl. v. 106. sqq.

55. *Multi illam agr. mult. accol. juvenci*. verba hujus versus non subtiliter exigenda sunt. Juvenci enim vix dici possunt proprie colere vitem ulmo conjunctam; sed, si quid illi ad ejus cultum conferunt, debet id fieri, antequam vitis seritur; dum terram aratro proscindunt, eamque illius sationi aptam reddunt.

56. *Sic virgo* sc. ab omnibus negligitur. *dum* conditionaliter pro *si*, vel simpliciter pro relativo *quæ*.

57. *Par connubium*, h. e. conveniens, puellæ conditioni ætatique respondens. *maturo tempore*, cùm puella (ut cum Virgil. loquar Æneid. VII. 53.) *jam matura viro, jam plenis nubilis annis*.

59. *Cum tali conjuge*, tam præcellente et eximio. vid. *Burmann*. ad Petron. c. 16. et ad Phædr. III. 9. 6. *Schwartz* ad Plin. Panegyr. c. 11. p. 23. *Heins*. ad Ovid. Fast. V. 460.—sic τοῖος apud Græcos. vid. Spanhem. ad Callimach. H. in Dian. v. 146.

60. *Pugnare* sc. cum illo, cui ipse pater *te* tradidit.

64. *Tertia sola tua est*: contra Ovid. Heroid. XX. 157.

Hæc mihi se pepigit: pater hanc tibi, primus ab illa:
Sed propior certe, quam pater, ipsa sibi est.

Qui genero sua jam simul cum dote dederunt.
Hymen o Hymenæe, Hymen ades, o Hymenæe.

CARMEN LXIII.

DE ATY.

SUPER alta vectus Atys celeri rate maria,

Ore profundo ruit poëta, et miserrimam Attinis sortem numeris decantat concitatioribus.—Atys vel Attin, nave per mare advectus, statim cum comitibus pergit ad nemus Phrygium Cybelæ sacrum, ubi insano furore correptus amputat sibi virilia. Quibus cum ille se privatum et sanguine suo terram maculatam videt, furibundus arripit instrumenta musica in sacris Cybeles ab ejus cultoribus furore percitis tractari solita, et comites, ad exemplum ducis jam eviratos, montem, qui sacrorum tumultu et rauco musicorum instrumentorum clangore reboet, una secum adire et vagis erroribus animum exhilarare jubet.—His jussis exoritur ululatus, tympana et cymbala remugiunt, ad montem ruit chorus, dux Atys præit, et sic tamdiu lymphata mente in monte tumultuantur, usquedum ad ædem Cybeles perveniunt, ubi languore victi obdormiunt. Atys sub primo solis ortu excitus molli somno, quo domita fuerat vesana mentis rabies, ad se redire incipit, facta sua animo recolit, quibus nunc derelictus sit sentit, ad mare recurrit, lacrimat, et ad patriam conversus plena affectus oratione felicissimam, qua olim in patria usus sit, conditionem cum præsenti sorte miserrima comparat. Dum igitur has tristes querelas fundit, et jam jam facti sui illum pœnitet, Cybele solutum de jugo leonem, qui quovis terroris excitandi modo juvenem de fuga cogitantem percellat et ad reditum compellat, immittit, quem cum impetum in se facientem videt Atys, ad nemora refugit, ubi omne reliquum vitæ spatium exigit.—Est autem hoc carmen, sive altioris spiritus, quo scriptum est, sublimitatem, sive solutiores, quibus devolvitur, numeros spectes, singulare plane Romanæ poeseos monumentum; quod quidem, cum omnino ab ingenio Catulli abhorrere et vetustioris potius, dithyrambici fortasse, poëtæ opus esse videatur, totum e græco quodam scriptore translatum censuit jam insigne illud Angliæ decus, *Wartonus in Sammlung vermischter Schriften* B. VI. p. 281. *Berlin*. 1763.—Alii levissimo argumento inducti, quod supra Carmine XXXV. 17. dicitur *est enim venuste Magna Cæcilio inchoata mater*, Cæcilio hoc carmen tribuendum esse arbitrati sunt.—Optime de hoc carmine dijudicando, interpretando et in vernaculam vertendo haud dubie meruit Cl. *Werthesius* [*Ueber den Atys des Katull, von Friedrich August Clemens Werthes, Münster* 1774.] cujus interpretationi adjecta est erudita de obscura et mira narrationis varietate implicita Cybeles et Attinis fabula disquisitio, cujus summa fere hæc est: *Terra*, omnium mater inventa præ ceteris diis deabusque omnibus a prisca mortalium gente divino honore culta fuit, et a diversis populis diversa nomina accepit.—a Phrygibus vocata est *Cybele* (*de Terra, Cybeles nomine insignita, est locus classicus apud Lucret*. II. 598. seqq.). Cultus ejus in monte Ida est notissimus, ipsa ratio autem, qua magno musicorum instru-

Phrygium nemus citato cupide pede tetigit,

2. Particula *ut*, quæ in libris antiquioribus post *Phrygium* legitur, deleta est a Scaligero, nec commode servari potest, nisi pro *ubi* in versu quarto legatur *ibi*, quod est in edit. Golting.

mentorum sonitu et insanis tripudiis culta dicitur, manifesta priscæ et rudis antiquitatis præ se fert vestigia.—Ejusdem antiquitatis videtur cultus Solis, cui æque ac Terræ varia a variis populis indita sunt nomina. Sub Attinis nomine Phryges divino honore Solem prosecutos esse testatur Macrob. Saturn. I. c. 21. Aptissime autem Terra Soli addita est conjux; et hinc quoque conjugium vel amor Cybeles et Attinis repetendus est.—(p. 48. *auctorum in tradendo Attinis mytho exponitur discrepantia*) Fuit Atys, ex descriptione Catulli, juvenis formosissimus (v. 63. sqq.) quem si cum Apolline comparaveris, eundem sub illo latere facile tibi persuadeas.—Collectis omnibus, quæ de Attinis mytho circumferuntur, præcipue si ejus mortem ex communi fere narratione in silvis subsecutam respicimus, Adonidis morti in hac re simillimam (*unde fortasse, quod docet Proclus Diadochus in Ptolem. Tetrab.* p. 79. *Adonidis et Attinis sacra sæpe pro iisdem per Phrygiam et Lydiam habita sunt*), unus eorum regum ille fuisse videtur, qui totam vitam in silvis venando consumserit. Ex eadem causa neque conjugio neque prole gavisus est, unde vel οὐ τεκνοποιός, vel parte, qua viri sumus, privatus fictus est. Post mortem autem nullius deæ sacris aptius nobilitari potuit Attin, quam Cybeles, quæ, cum Dianæ simul personam tunc temporis adhuc induerit, jam in vita illi fuit amatissima.—Solemnia Cybeles sacra ad Phryges migrasse videntur a Phœnicibus:—hinc Atys *super alta vectus*, Phrygium nemus cum comitibus ingressus a Catullo inducitur.—Ipsa *Cybele* nomen suum fortasse traxit a Phœniciæ regionis parte *Cabul*; et ejus sacerdotes *Galli* ab orientalis linguæ voce גלל (*devolvit* et hinc *circumcidit*).—Hæc fere, quæ paucis complexus sum, fusius ad carmen nostrum illustrandum executus est *Werthesius*, quibus de totius carminis sublimitate et singulis ejus virtutibus perpulchra sub finem addita est enarratio.—In constituendo hujus carminis metro Galliambico, dicto ita, quod a *Gallis* caneretur, Magnæ Matris sacerdotibus, cum ejus ratio non satis perspecta esset, nec illud in genere suo, quod ætatem tulit, unicum, ad veteris exempli normam exigi posset, valde inter viros doctos disceptatum fuit, adeo, ut ex opinionum varietate mira quoque in textu enata sit lectionis varietas et depravatio. Neque vero tamen, si carmen nostrum, ut videtur, ad genus referendum sit dithyrambicum, quod, ut canit Horatius, *numeris lege solutis fertur*, vel in universum a poëta entheo liberius scriptum sit, id unquam certæ legi adstringi posse arbitror.—Ex sententia Vulpii vero Galliambus constat sex pedibus, quorum primus frequentius est *anapæstus*, nonnunquam *spondæus* vel *tribrachys*: secundus fere *iambus*, rarius *anapæstus*, *tribrachys* vel *dactylus*: tertius sæpe *iambus*, raro *spondæus*: quartus *dactylus* vel *spondæus*: quintus sæpe *dactylus*, interdum tamen *creticus* aut *spondæus*: ultimus *anapæstus* et nonnunquam *iambus* præcedente *cretico*.—*Werthesius* Galliambi Schema metricum exhibuit hoc:

vv-	v -	v -	-vv	-vv	vv-
- -	vvv		- -	- -	vvv
vvv	vv-				

Sed Cl. *Reizius* peritissimus harum rerum magister in sententiis, quas publicæ examinationi subjecit in Programmate *Prosodiæ Græcæ Accentus Inclinatio Epimetron Partis I.* inscripto (*Lipsiæ* 1782.) contra Werthesii rationem proposuit hanc: *Qui Catulli carmen de Attine vertit in Germanicum, et optime interpretatus est* W e r t h e s i-*us, in exponendo metro Galliambico vehe-*

Adiitque opaca silvis redimita loca Deæ:
Stimulatus ubi furenti rabie, vagus animi,
Devolvit illa acuta sibi pondera silice.

4. *Stimulatus ut fur.* editt. vett.

5. *Devellit* Stat. qui inde tentat *devovit.*—*devellit* præfert Werthesius, sed nostra lectio *devolvit* non solum sublimiori poëta dignior est, sed etiam multo magis convenit nomini *pondera.*—ex corruptis lectionibus in librr. MSSC. *illectus, illetus, iletus, lacteus,* rescribendum putat Statius *icta;* suspicatur nimirum glossema fuisse *ille,* quod a librariis cum *icta* conjunctum sit.—Passeratius vet. lib. lectionem *ipse lactes sibi pondere silices, silices* in *silicis* tantum mutato, probat et *lactes* accipit pro *testes.* Vossius ex *ilecto,* quod reperit in exemplar. Mediolanens. primum conjiciebat *lecto acuto,* sed cum meliora ejus exemplaria haberent ferè *læta* vel *letà,* sine hæsitatione reponendum censuit *lenta acuto;* at sic secundum pedem fecit spondæum, qui iambus esse debebat. Nihilominus Vir Doctus in Observatt. Miscell. quæ cura Dorvillii prodierunt, Tom. I. Vol. II. p. 325. ubi totum hoc carmen exhibitum et notis criticis instructum est, propius accedens Vossio, legendum putat *devolvit lecta acuta,* ut legerit silicem acutum, quo opus hoc perageret.—*Devolvit ille acuto* Græv.—cf. de hoc loco Victor. Var. Lect. XX. 10. Textus nostri lectio est ex emendatione Scaligeri, de qua vid. in not.

menter a veritate aberravit, metri cæsura tollenda, et ejus tribus ultimis pedibus, anapæsto et duobus iambis in duos dactylos et anapæstum vertendis. Non cogitavit, cæsuram esse duplicem: aliam podicam, ut hexametri, aliam vero metricam, ut pentametri. Podica in pede trisyllabo in alterutram e duabus prioribus syllabis cadere potest: metrica nihil variat, ut nec in Galliambo, qui eam habet. Non debuit igitur Galliambi cæsuram, quæ metrica est, podicam facere.—Cæterum ad hoc Catullianum exemplum pro singulari, qua pollebat, Romanæ elegantiæ peritia, Galliambico genere carmen in *Bacchum* composuit *Muretus,* notis ejus insertum, et, quod ab omnibus juvenibus delectationis et exercitationis causa legatur, dignissimum.

1. *Atys.* de varia hujus nominis scriptura præter Scaligerum videndus omnino *Hemsterhus.* ad Lucian. T. I. p. 235. et Interpretes ad Ovid. Metam. X. 104.—Ex eo vero, quod *Atys super alta vectus* Catullo dicitur, colligit et statuit Vossius, Attinem nostrum non esse Phrygem illum pastorem a Cybele amatum, quoniam is non mari advenerit, sed in ipsa natus educatusque fuerit Phrygia: quapropter minime dubitandum putat, quin Attinis nomine significet poëta nobilem aliquem juvenem, qui e Græcia in Phrygiam migraverit, atque ibi semivirorum Magnæ Matris cantu in furorem actus virilia sibi ipse exciderit, comitibusque et famulis, ut idem facerent, persuaserit.—At Cl. *Werthesius* ad stabiliendam opinionem suam, Attinis sacra e Phœnicia in Phrygiam invecta esse, inde argumentum ducit. vid. quæ huic carmini præmisimus.

2. *Phrygium nemus* intellige *Dindymum,* qui præcipue de Cybeles sacris notus est. Virgil. Æneid. IX. 252. vel τὰ Κύβελα, ὄρη Φρυγίας. vid. Hesych. cf. *Hemsterhus.* ad Lucian. Tom. I. p. 90. et *Heins.* ad Virgil. Æneid. III. 111.—*citato pede* h. e. celeri, summa celeritate agitato. Sic v. 18. *citati errores* et 26. *citata tripudia.*

3. *Loca silvis redimita,* exquisite pro vulgari *circumdata.* Sic passim silva locum *coronare* dicitur. Ovid. Metam. V. 390. et XI. 335.

4. *Stimulatus ubi furenti rab.* cf. Anacreon. Od. XIII. 4. *vagus animi,* ἔκφρων; similiter *amens animi* apud Virg. Æneid. IV. 203.

5. *Devolvit.* eleganter pro "demetit et abjicit." proprie enim devolvi dicuntur *pondera,* quibus, quasi viris molesti sint, a poëtis denotantur testiculi; de quo loquendi genere vid. Interpretes ad Petron. c. 92. hæc *pondera* autem

Itaque ut relicta sensit sibi membra sine viro :
Et jam recente terræ sola sanguine maculans,
Niveis citata cœpit manibus leve tympanum,
Tympanum, tubam, Cybelle, tua, mater, initia :

7. *Etiam* Gryph. Muret. Græv.
8. *Breve crotalum* pro *leve tympanum* alios habere testatur Muret.
9. *Leve tympanum* ex versu superiori repetit Muretus.—*Tympanum, tubam Cybelles*, Vossius.

ex Scaligeri interpretatione, pudoris causa jam vocantur *illa*.—*In rebus enim*, inquit, *quas nominare pudor non sinebat, semper hoc pronomine ille utebantur*, ut supra VIII. 6. et imprimis LXVII. 27. Equidem in contemtum potius *illa* dici puto *pondera*, hoc sensu : illa tam vilia membra, quæ oneri visa sunt Attini. Et sic eodem modo exsecti testiculi apud. Tibull. I. 4. 70. vocantur *vilia membra*, ubi plura exempla de hac locutione collegit *Heyne*.—*acuta silice*, cultello lapideo. *saxum acutum* de eadem re et eodem nostro Attine dixit Ovid. Fast. IV. 237. cf. Vulp.

6. *Itaq. ut relict. sens. sibi membra sine viro*, ornate, pro "cum se eviratum sensit."—*sine viro*, sine ea parte, qua viri sumus.

7. *Terræ sola* exquisite pro *terram*, qua pleniori locutione sæpe usus est Lucretius.

8. *Citata*, impetu quodam abrepta, celeriter. vim vocis *citatus* docet ejusdem sæpius in hoc carmine repetitus usus ; cf. ad vers. 2. Facete autem nunc genus mutat poëta, et de evirato Attine tanquam de femina loqui incipit.—*niveis manibus* h. e. pulchris. *leve tympanum ;* formam tympani exhibet *Sponius Miscell. erud. antiq.* Sect. I. art. 6. Imprimis de *tympani* forma et ejus in sacris usu fuse et erudite disputat *Perizonius* ad Ælian. XI. c. 8. adde *Christ. Gottl. Schwartzii* Miscell. polit. human. p. 86. et 114. sqq.—Primam in voce *tympanum*, elisa litera *m*, ut numerorum ratio constet, a poëta corripi, præcipiunt ad hunc locum Interpretes.

9. Vulpius, Werthesius et ceteri, qui Vossium sequuntur, legunt *Tympanum tubam Cybelles*, hoc sensu : "tympanum nimirum, quod tubæ loco in Cybeles sacris usurpatum est ;" quæ quidem explicatio, quam frigida et indigna plane non sublimiori tantum, sed quocunque alio poëta sit, ut taceam quam parum accommodata additis verbis *tua, mater, initia*, quemlibet, ad virtutes poëticas paulo diligentius attendentem, facile sensurum esse arbitror.—Jure quidem in hoc versu *tuba*, cujus nuspiam in sacris Cybeles diserte mentio fit, in quibus non nisi *tympanum, cymbalum, tibia, cornu* et *crotalum* commemorari solent, dubitationem movere potest, sed profecto hujus dubitationis eximendæ causa, non ad ineptam explicandi rationem, quasi poëta nos docere voluerit, tympanum tubæ vices in sacris Cybeles subiisse, confugere debemus. Notatu dignus potius hic locus videtur, quod *tubam* [de cujus in aliis sacris usu vid. *Lipsius* de Milit. Rom. IV. 10.] tibiæ loco ad instrumenta in sacris Cybeles usurpata hic relatam cognoscimus. Quodsi autem hoc est, pro *tympanum*, partim ob ejus ingratam ex versu superiori repetitionem, (quis enim in hoc loco ἀναδίπλωσιν agnoscat ?) partim ob vers. 21. et 29. *cymbalum* legi mallem ; nisi totus hic versus, ut mihi videtur, ab homine indocto et male sedulo, qui cetera horum sacrorum instrumenta desideraret, interpolatus putandus sit.—*Cybelle*: de varia hujus vocis scribendi ratione, ex qua secunda modo brevis, modo longa est, videndus omnino *Drackenborch*. ad Sil. Italic. XVII. 8. et quos ibi laudat, adde *Heyne* ad Virgil. Æneid. III. 111. in Var. Lect.—*initia*, sacra, mysteria,

Quatiensque terga tauri teneris cava digitis,
Canere hæc suis adorta est tremebunda comitibus:
Agite, ite ad alta, Gallæ, Cybeles nemora simul,
Simul ite, Dindymenæ dominæ vaga pecora,
Aliena quæ petentes, velut exsules, loca,
Sectam meam executæ, duce me, mihi comites
Rapidum salum tulistis, truculentaque pelagi,
Et corpus evirastis Veneris nimio odio.
Hilarate heræ citatis erroribus animum.

13. *Vaga pectora* Venet.

14. In MSC. Statii hic versus legitur vel *Alienaque petentes velut exules loca celeri*, vel *Alienaque petens velut exules loca celeri*. Ipse Statius conjicit *Alienaque petite pede exilio loca celeri*. in priore Aldi editione est *Aliena petentes velut exilio loca celeri*. Vossius pro *celeri* rescribit *celere*. Vir Doctus in Observ. Miscell. l. l. vult *Aliena quæ petentes ex'les loca celere*. Corradinus de Allio ingeniose *Alienaque, exules, ite pede loca celeri*. Werthesius probat *Alienaque petentes exilio loca celeri*. Nostra lectio jam prolata est a Guarino, et servata est in edit. Gryph. Muret. Græv. Vulp.

16. *Pelage* Scaliger, improbante Viro Docto in Observ. Misc.

18. *Hilarate ære excitatis* editt. vett.—*Hilarate crocitatis* invenit Stat. in libro suo, ubi ipse faciebat *concitatis*.—*Hilarate hero citatis* Voss. Vulp.—*Hilarate excitatis*

dicta fortasse ita, quod iis ad feliciorem statum se initiari putabant homines.

10. *Cava terga tauri*, tympana: exempla hujus locutionis vid. apud Vulp. —βύρσης ταυρείου κενεὸν δοῦπον tympani sonitum vocat Antipater Sidonius in Anal. Vet. Poëtar. Græc. Brunckii XXVII. 22. Tom. II. p. 13.—*teneris digitis*: percutiebantur enim tympana manibus vel digitis. cf. LXIV. 262. Lucret. II. 618. Ovid. Fast. IV. 342. Met. IV. 29.

11. *Tremebunda*, toto corpore ob furorem tremens.

12. *Gallæ*. Galli enim, quod cum virilibus habitum quoque virilem deponerent, passim ut mulieres a veteribus inducuntur. vid. Voss. cui adde imprimis *Heins.* ad Ovid. Heroid. IV. 48.

13. *Dind. dom. vaga pecora*. cur paulo audacius vel inhonestius jam Galli a poëta vocentur *vaga pecora*, varias causas afferunt interpretes. Vossius quidem ita dictos censet Gallos, quod, si deesset asinus, magnæ matris sellam gestare coacti fuerint: Muretus, quod neque viri amplius neque veræ mulieres fuerint: Vulpius, quod homines ad servitutem nati *pecora* appellati sint: alii denique, quod pecoris ritu in montibus vagati sint; simplicissima haud dubie est posterior sententia, nisi forte arrideat *vaga pectora*, quod in editione Parthenii reperi.—*Dindymenæ dom.* Cybelen a Dindymo vel Dindymis, Phrygiæ monte, *Dindymenen* vocatam esse, in vulgus notum est.

15. *Sectam meam*, me vestrum horum sacrorum suscipiendorum auctorem et magistrum; nimis argute Werthesius *sectam* a *secare* de virilium exsectione accipit.

16. *Rapidum salum tulistis trucul. pelag.* h. e. pericula in mari tempestuoso una mecum subiistis, et pertulistis. Similis orationis color est in oratione Teucri ad socios apud Horat. Od. I. 7. 30. *truculenta pelagi* dictum est ut *angusta* vel *strata viarum*, *opaca locorum*, *ardua montium* vel *terrarum*, et similia alia.

18. *Hilarate heræ cit. err. animum*. exhilarate animum vestrum, indulgendo solutioribus in gratiam heræ [*Cybeles*]

Mora tarda mente cedat: simul ite, sequimini
Phrygiam ad domum Cybelles, Phrygia ad nemora
    Deæ,
Ubi cymbalûm sonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,
Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ,
Ubi sacra sancta acutis ululatibus agitant,
Ubi suevit illa Divæ volitare vaga cohors:
Quo nos decet citâtis celerare tripudiis.

Græv. Corrad. Gotting. Bipont.—nostram lectionem proposuit Muretus, cui subscribit Werthesius.

21. *Ubi cymbalum sonat nox* ex MSC. profert Statius reclamante Vossio, cujus tamen lectionis patrocinium, rejecta vulgata, quam tuentur omnes libri MSC. editt. vett. et recentt., non dubitavit in se suscipere Werthesius. Lapsus librariorum in vocibus *nox* et *vox* passim notatus est ab Interpretibus. vid. inprimis *Drackenborch*. ad Liv. V. XLIV. §. 6. Tom. II. p. 193. et quos ibi laudat.

26. *Celebrare tripudiis* profert ex libro suo et defendit Scaliger, accedente *Burmanno* ad Ovid. Met. IV. 304.

erroribus. alii τὸ *heræ* ad *animum* referunt, ut sit "exhilarate Cybeles animum erroribus;" sed sic languet oratio. —*hera* pro *dea*, ut infr. Carm. LXVIII. 76. et 78. *heri* pro *diis*.

20. *Phryg. ad dom.* ubi propria in posterum nobis sedes erit. Val. Flacc. Argonaut. IV. 26. *Hoc nemus, hæc fatis mihi jam domus improba, quo me Nympha rapit.* cf. *Burmannus* ad eundem libr. II. 74. et quos ibi laudat.

21. *Ubi cymbalûm son. vox.* cymbalorum formam vid. apud Albert. *Rubenium* de Re Vestiar. Vet. c. 17. p. 187.—peculiares libellos, qui *de cymbalis* exstant, indicavit *Joh. Albert. Fabricius* in Bibliograph. Antiqu. p. 527. *vox* de omni sono; de *buccina* apud Ovid. Metam. I. 338. sic φωνὴ τῆς σάλπιγγος. plura in hanc rem ad l. l. Ovidii notavit *Burmannus*.

22. *Tibicen ubi can. Phr. cur. gr. cal.* per *curvum calamum* intellige tibiam e calamo, quæ tametsi recta et admodum tenuis esset, tamen propter cornu aut codonem curvum et æreum calamo adfixum gravem sonum [βαρὺν φθόγγον] edebat. *curva tibia* dicitur Tibullo II. 1. 86. In sacris Cybeles hæc tibia ubique fere cymbalis et tympanis juncta reperitur. vid. *Perizon*. ad Ælian. XI. 8. Tom. II. p. 13. edit. Lips. Cantus autem tibiæ vel *modus Phrygius* commaxime furore exstimulabat homines. Tibull. I. 4. 70. et ibi *Heyne*. Præter Vossium et Vulpium de *tibia Phrygia* vid. imprimis quos laudat *Heyne* ad excitatum jam locum Tibulli II. 1. 86. p. 100. edit. nov. quibus adde *Spanhem.* ad Callimach. Hymn. in Dian. v. 245. et *Barthol. de Tibiis* p. 72.

23. *Mænades.* hanc appellationem, qua proprie ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι mulieres in sacris Bacchi designabantur, transtulit jam ad Gallos, quos æque ac bacchantes finxit quoque *hederigeros*. Sic infra Attis de se ipso v. 69. *Ego Mænas.* —*vi jaciunt capita,* quo possunt impetu rotant et quatiunt in furore capita.

24. *Sacra sancta agit.* h. e. celebrant. Sic *Dionysia agitare* apud Terent. Heautont. IV. 3. 11.—*ululatibus,* lætitiæ vocibus, ἰαχαῖς, ὀλολυγμοῖς, nam ὀλολύζειν et *ululare* de jubilantibus et tripudiantibus æque ac lamentantibus dicitur. vid. *Hemsterh.* ad Lucian. Tom. I. p. 7. et *Wesseling.* ad Diodor. Sicul. Tom. II. p. 90.—*acutis,* clarisonis, εὐήχεσι.

25. *Volitare,* huc illuc discurrere, vagari. cf. LXIV. 252.

Simul hæc comitibus Atys cecinit notha mulier,
Thiasus repente linguis trepidantibus ululat,
Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant.
Viridem citus adit Idam properante pede chorus.
Furibunda simul, anhelans, vaga vadit, animi egens,
Comitata tympano Atys, per opaca nemora dux,
Veluti juvenca vitans onus indomita jugi.
Rapidæ ducem sequuntur Gallæ pede propero.
Itaque, ut domum Cybelles tetigere, lassulæ
Nimio e labore somnum capiunt sine Cerere.
Piger his labantes languore oculos sopor operit.
Abit in quiete molli rabidus furor animi.

27. *Nota* pro *notha* vitiose in libris MSS. et editt. vett.—*nova* Scaliger, quem sequitur Werthesius.

28. *Strepitantibus* vel *crepitantibus* parum feliciter tentat Vossius.

29. *Increpant* in nonnullis MSS. Statii.

30. *Animo egens* vulgata lectio, sed doctior est nostra, quæ stabilitur depravata lectione in MSSC. Statii *animi geris.*—in edit. Parthenii et in margine edit. Gryph. legitur *animo gemens.*

34. *Properepedem* vel *properepeditem* Pal. Papyr. et Commelin. membr. unde Meleager rescripsit *properipedem* receptum a Vossio, editore Cantabrig. Vulp.—amat certe poëta in hoc carmine ejusmodi voces compositas, ut *hederigeræ, nemorivagus, silvicultrix* cet.—*própero pede* Gryph.

35. *Cybeles* Voss.—*Cybebe* Græv. utrumque falsum, debet esse vel *Cybebes* vel *Cybelles.*

37. *Piger his labante languore* in libro Patavino et Maffei, L. MS. et edit. R. teste Statio; quæ quidem lectio, si numerorum rationi consulere volumus, omnino præferenda videtur; nec video, cur τὸ *labans* non æque *languori* ac *oculis* conveniat. *languor labans* est, cui diutius ferendo impares sumus, cui membra viribus exhausta succumbunt, amplius ei resistere nequeunt; *labare* enim est deficere, alterius vi cedere, titubare, lapsui proximum esse: vid. *Gronov.* ad Liv. Præfat. §. 9. et *Drackenborch.* ad Sil. Ital. II. 392.—in editt. antiquis vitiose *labentes* ex vulgari librariorum errore, vid. *Drackenborch.* ad Liv. Tom. I. p. 12. Tom. II. p. 526. et Tom. III. p. 143.—*Piger his labori nantes* Avant.

38. *Rabidis* Venet.—*rabidi* Gryph. Stat. Græv.

27. *Simul,* simulac.*notha mulier,* nec femina, nec vir. cf. Ovid. Ibis. v. 457. ἡμίθηλυς, Anacreon. Od. XIII. 2.

28. *Thiasus,* cohors ipsa; quæ Attinem secuta erat.—*linguis trepidantibus,* h. e. subinde clamando motis et vibratis.

30. *Viridem Idam:* intellige montis Idæ partem, vel Dindymum, vel τὰ Κύβελα. cf. ad vers. 2. Mons Ida enim vel a sacris ibi institutis vel a variis ejus partibus et verticibus varia quoque accepit nomina. cf. *Hemsterhus.* ad Lucian. T. I. p. 252.—*frondosa Ida* Virgil. Æneid V. 253. ubi cf. Cerda.

35. *Cybelles domum,* templum. Stat. Silv. IV. 3. 77. et sæpe alibi, ut Græcorum οἶκημα.—sustuli interpunctionem post *lassulæ,* et jungo *lassulæ nimio e labore* h. e. viribus exhaustæ nimiis erroribus.

36. *Sine Cerere,* incœnatæ.

37. *Piger,* quod pigros homines reddit, ut *pallida mors.*—*labantes lang. oculos,* fessos et victos pæne languore; sed vid Var. Lect.

Sed ubi oris aurei Sol radiantibus oculis
Lustravit aethera album, sola dura, mare ferum,
Pepulitque noctis umbras vegetis sonipedibus;
Ibi Somnus excitum Atyn fugiens citus abiit:
Trepidantem eum recepit Dea Pasithea sinu.
Ita de quiete molli rabida sine rabie
Simul ipsa pectore Atys sua facta recoluit,
Liquidaque mente vidit sine quis, ubique foret;
Animo aestuante rursum reditum ad vada tetulit,

39. *Horis aureis* vel *heris aureis* vitiose in L. MSSC. et editt. antiquissimis.

41. *Perpulitque* Gryph.

43. *Fugientem eum recepit* Muret. Græv. quod haud dubie glossema fuit τοῦ *trepidantem.* Vir Doctus in Observ. Miscell. tentat *trepidante.* sinum autem *trepidantem* dictum putat ut cor vel pectus trepidans, vel *tepidante* pro fovente, calefaciente, nimis ingeniose! *pasitheo* in quibusdam vett.

44. *Rapida sine rabie* Voss.

45. *Revoluit* Stat. in Patav.

47. *Rusum* ἀρχαικῶς pro *rursum* Voss.—*retulit* in quibusdam.

39. *Sed ubi oris aur.* cet. Splendidissima solis orientis imago! *aureus* de solis fulgore passim. φέγγος χρύσεον φαεινῆς Ἠελιόλης Paul. Silentiar. in Anal. Vet. Poët. Græc. Brunckii. XXII. 6. Tom. III. p. 78.—de *radiantibus solis oculis* disputat Spenc. Polymet. VIII. n. 10.

40. *Æthera album*, serenum, sudum : exempla dabit *Barthius* ad Claud. de Bell. Get. v. 379.—*sola dura*, tellurem solidam.—*mare ferum*, tempestuosum, vel immanibus monstris plenum, ut vers. 89. *nemora fera.*

41. *Pepulitque noct.* cet. Vulpius comparat. Virgil. Æneid. XII. 115.

43. *Trepidantem eum* scil. somnum. Somnum trepidantem nimis argute Werthesius explicat "terrore adhuc plenum ob miserum, in quo Attinem reliquerat, statum." Equidem *trepidantem somnum* explico vel simpliciter pro *festinantem* [in qua significatione *trepidare* passim dicitur, cf. Horat. Od. II. 4. 23.]; vel, quod magis arridet, *trepidantibus alis advolantem* ; nam cum alæ celeri motu agitatæ recte et eleganter dicantur *trepidantes*, ipse Somnus quoque, qui alatus fingitur, a poëta sublimiori dictus videri potest *trepidans.*—apud Tibull. II. 2. 17. *alæ trepidantes* tribuuntur *volanti Amori*; ubi de verbo *trepidare* conferatur *Broukhus.* et *Heyne* Observat. p. 104. adde Ovid. Met. VII. 382.—*Dea Pasithea*, una de Gratiis et uxor Somni. vid. nos in *Prolus. de Imagine Somni* Lips. 1783. p. 9.

44—47. Sensus est: Simulac Atys igitur, solutus per dulcem somnum mentis rabie, facti sui temeritatem animo repetiit, et, in quo nunc esset, miserum statum cognovit, plenus curarum ad mare pedem retulit. *Ita* scil. excitus.

45. *Ipsa* refer ad *facta* ; et explica "ipsam factorum suorum naturam et conditionem."

46. *Liquida mente*, aperte et clare. *sine quis*, virilitate, patria, parentibus cet. *ubique* h. e. *et ubi*, in quo loco et statu. vid. *Cort.* ad. Sallust. Catil. XXVII. 1. p. 173. et *Drackenborch.* ad Liv. III. 30. §. 7. Tom. I. p. 662.

47. *Animo æstuante*, sollicito et perturbato, graviori commotione incensa. *tetulit* antique pro *tulit*, ut sæpe apud Plautum et alios. *rursum reditum ferre* pro *redire.* sic *aditum ferre* Carm. LXI. 26.

Ibi maria vasta visens lacrimantibus oculis,
Patriam allocuta voce est ita mœsta miseriter:
Patria o mea creatrix, patria o mea genetrix,
Ego quam miser relinquens, dominos ut herifugæ
Famuli solent, ad Idæ tetuli nemora pedem:
Ut apud nivem et ferarum gelida stabula forem,
Et earum omnia adirem furibunda latibula:
Ubinam, aut quibus locis te positam, patria, rear?
Cupit ipsa pupula ad te sibi dirigere aciem,
Rabie fera carens dum breve tempus animus est.
Egone a mea remota hæc ferar in nemora domo?
Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?
Abero foro, palæstra, stadio et gymnasiis?
Miser ah miser, querendum est etiam atque etiam, anime.
Quod enim genus figuræ est, ego non quod habuerim?

49. Mira in libb. vett. et editt. lectionis hujus versus reperitur discrepantia. *Patriam allocuta est voce mæstula miseriter* Gryph.—*Patriam allocuta mæsta est ita voce miseriter* Mur. Voss. Cantabrig. Vulp.—alii aliter.

52. *Retuli* Græv.

54. *Et femina earum adirem* profert Guarin. *Et earum ut omnia adirem* vult Stat. ut *omnia* dissyllabum sit vid. Interpretes ad Virgil. Æneid. VI. 33.—*Et ut omnia earum adirem* Scalig.

57. *Dum ad breve tempus* sine omni necessitate Heins. in not. ad Catullum.

60. *Atque gymnasiis* metri causa Avantius.—*stadioque gymnasiis* alii.—prima in *gymnasiis*, extrusa littera *m*, corripitur, ut in *tympanum* v. 8. Sic in *Progne*, *Cygnus*, *Clytæmnestra* et aliis.—vid. Heins. ad Ovid. Fast. V. 9. et Met. VI. 468.

62. *Ego non quod haberim* vel *numquid abierim*, vel *ego non quid abierim* MSS. Stat. unde ille vult *ego numquid obierim*. In edit. Venet. Gryph. hic versus

48—49. *Ibi maria vasta* cet. littus maris jam Homero fundendis querelis aptus locus visus est. Iliad. I. 34. II. 349.—50. et Odyss. V. 151 sqq.

49. *Miseriter*, miserabiliter, lamentabili modo.—De singulari arte, qua sequens Attinis oratio ad excitandam commiserationem composita est, vix monendi videntur lectores.

56. *Ipsa* h. e. sponte. *ipse*, ut αὐτὸς apud Græcos, sæpe ita usurpatur. exempla ex Cicerone notavit *Ernesti* in Clav. Cic. s. h. v.—cf. *Cerda* ad Virgil. Eclog. IV. 21. *Ernesti* ad Callimach. H. in Apoll. v. 5. et *Vir Doctus in Observ. Miscell.* V. III. p. 372.—*sibi* superfluum. cf. supra Carm. XXIV. 4.

57. *Carens est* pro *caret*. cf. Carm. LXIV. 308. et 318. consule de hoc loquendi genere virum Doctum in Observ. Miscell. Tom. III. p. 395. et *Davis*. ad Cic. de Nat. Deor. IV. 44.

60. *Foro*, ubi ingenui adolescentes cum æqualibus versari, ludis forensibus operam dare et alia animi causa facere solebant.

62. *Quod enim genus fig. est, ego non* cet. Sensus: Quid enim ex omnibus, quæcunque pulchra, venusta, et fortunata habentur, et a prima ætate invi-

Ego puber, ego adolescens, ego ephebus, ego puer,
Ego gymnasii fui flos, ego eram decus olei.
Mihi januæ frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum ubi esset orto mihi sole cubiculum.
Egone Deum ministra, et Cybeles famula ferar?
Ego Mænas, ego mei pars, ego vir sterilis ero?
Ego viridis algida Idæ nive amicta loca colam?
Ego vitam agam sub altis Phrygiæ columinibus,

legitur sic: *Quod enim genus? figura est? ego numquid abierim?* quam lectionem servavit quoque Werthesius; quo jure, non dixerim.—*Quod enim genus figuræ est? mihi quo vigor abiit?* Muret.—*ego non quod adierim?* Voss.—*ego quod non habuerim* in edit. Graev. contra metrum!—*Quonam mihi vetus figura, quo vigor abierit?* ex codice quodam profert Vir Doctus in Observ. Miscell. et cum in alio codice secundo loco, ut testatur, deesset *quo*, forte legendum existimat *Quo mi vetus figura heu heu, quo vigor abiit?*

63. *Ego mulier* in L. MSCC. et plerisque editt. vett. contra omnem orationis nexum, unde egregie Scaliger *Ego puber.—ego inuber* legi jubet *Dempsterus* Paralipom. Antiqu. Rom. Rosin. lib. II. c. 1.

64. *Gymnasi* requirit versus, observante Statio.

66. *Floreis* pro *floridis* vult Stat.

68. *Egone heu Deum* metri causa Vir Doct. in Observatt. Miscell.

69. *Ego vis sterilis* lib. Passeratii, quod ille probat.

70. *Ego vir'dis*, ut metro consulatur, Vir Doct. in Observ. Miscell.

cum apud homines se excipiunt, mihi defuit? *figura* de pulchritudine passim; jam vero de ea pulchritudinis forma et conditionis felicitate, quæ a puerilibus annis quolibet anno fere mutatur, et aliam quasi figuram induit.

63. *Ego puber* cet. *puber* nihil, ut ait Vulpius, ab *Ephebo* differt.; at ne opus quidem est differentiam quærere, cum ejusdem notionis repetitio eleganter pingat concitatiorem animum, ut vers. 50.

64. *Gymn. flos*, ornamentum. cf. infra Carm. C. 2. et supra Carm. XXIV. 1.—*decus olei*, oleum, quo, priusquam in arenam descenderent, inungebantur luctatores, paulo audacius jam de ipsa *palæstra* dictum est.

65. *Januæ frequentes*, multis amatoribus frequentatæ. *limina tepida*, tundendo et incubando tepefacta. Propert. I. 17. 22.

Nullane finis erit nostro concessa dolori?
Tristis et in tepido limine somnus erit?

66. *Mihi florid. coroll. red. dom. e.* mos corollas januis appendendi satis notus in amoribus. Lucret. IV. 1171.

At lacrimans exclusus amator limina sæpe
Floribus et sertis operit, postesque superbos
Ungit amaracino, et foribus miser oscula figit.

cf. Tibull. I. 2. 14. et ibi *Heyne*. et ad Propert. I. 16. 7. Cl. *Barth*.

68. *Ferar*, furibunda huc illuc agiter, exquisite pro vulgari *sim*.

70. *Nive amicta* pro vulgari *operta, contecta*.

71. *Sub altis Phryg. columin. Columen* pro *culmen* passim. vid. *Delrius* ad Senec. Hercul. Fur. v. 1000. et *Gronov*. ad Thyest. v. 55. *Columina* male Turnebus et Vossius de arboribus

Ubi cerva silvicultrix, ubi aper nemorivagus?
Jam jam dolet, quod egi, jam jamque pœnitet.—
Roseis ut huic labellis palans sonitus abiit,
Geminas Deorum ad aures nova nuntia referens,
Ibi juncta juga resolvens Cybele leonibus,
Lævumque pecoris hostem stimulans, ita loquitur:
Agedum, inquit, age ferox, i: face ut hinc furoribus,
Face ut hinc furoris ictu reditum in nemora ferat,
Mea libere nimis qui fugere imperia cupit.

72. Hic versus in edit. Gryph. antecedenti præpositus est.

74. *Roseis ut hic labellis abiit sonitu' palam* Muret.—*Roseis ut hinc palam labellis sonitus adiit* Voss. contra metrum.—*palam* et *adiit* ex MSSC. adduxit quoque Stat.

75. Hic versus, qui omnino salvo sensu abesse potest, jam suspectus fuit Mureto, nunc autem plane repudiatus et ejectus est a Werthesio.—Sede tantum sua motus et post sequentem versum positus est a Scaligero, *geminas eorum* pro *geminas Deorum* legente.—*geminas Deai* h. e. Cybeles, tentat Vir Doctus in Observatt. Miscell.

76. Werthesius, ut numeris succurreret, pro *leonibus* satis audacter rescripsit *Domina feris*; putat nimirum τὸ *leonibus* glossam fuisse τοῦ *feris*, quæ imperitiorum librariorum culpâ genuinæ lectionis locum occupaverit. Cui equidem non accesserim.

77. *Sævum pectoris hostem* Gryph.

78. *Agedum, inquit, age ferox, hunc agedum aggredere furor* Gryph. Muret.—*age ferox ut hunc furor* in duobus MSS. Statii.—*ferox fac ut hunc furor* in uno Statii, testante quoque Vossio, qui ulcere insanabili hunc versum laborare autumat. *agitet* vel ejusmodi aliquid desiderat Cantabrig.—nostra lectio auctorem habet Scaligerum, qui in libro suo et priscis editt. se invenisse ait *fac ut hunc furoribus*. Werthesius dedit *Agedum, inquit, age ferox, hunc agedum aggredere ferox*.

accipiunt; nam quod Vossius ait, *sub columinibus* pro *ad* vel *in columinibus* h. e. montibus, non esse latine, id egregie contra Vossium docuit et multis exemplis probatum ivit *Burmannus* ad Ovid. Met. I. 689.

73. *Jam* secundo loco est dissyllabum, observante Viro Docto in Observatt. Miscell. p. 34.

74—75. *Roseis ut huic* cet. sensus: postquam hæ jactatæ voces et querelæ a pulchro Attinis ore exierant, ad deos statim hunc de illo portantes nuncium, ibi cet. *Sonitus palans*, vagus, per aërem dispersus.

75. *Geminas Deorum ad aur.*—vetus proverbium ἐς θεῶν ὦτα ἦλθεν. *geminas* est epitheton ornans. *Deorum* intellige Deos in universum et in his *Cybelen*.—*nova nuncia*: τὸ *nova* pertinet ad ornatum, nam quælibet *nuntia*, cùm afferuntur, nova sunt.—*nuntium* pro *re nuntiata* genere neutro dici docet Servius ad Virgil. Æneid. XI. 896. et Vossius ad h. l.—cf. de hoc vers. Var. Lect.

76. *Leonibus*, qui currum Magnæ Matris trahebant: hinc *bijugi leones* apud Virgil. Æn. X. 253. ubi cf. *Cerda*.

77. *Lævum pecor. host.*, currui, ad lævam junctum. *hostis pecoris*, pecori enim insidiatur leo.

79. *Furoris ictu*, non graviter satis dictum videbatur *furoribus* in vers. anteced.; addit igitur *furoris ictu*, h. e. vehementissimo furoris impetu, summa furoris vi. Liv. V. c. 21. *velut repentino icti furore.* Sic passim ad summam vim exprimendam *mens icta dolore, metu, furore, malis*, pro perculsa dicitur. cf. *Burmannus* Sec. ad Anthol. Tom. II. p. 66. et *Heins.* ad Ovid. Fast. II. 818.

80 *Libere nimis*, h. e. nimis audacter. *imperia*, ministerium, sacra mea.

Age, cæde terga cauda: tua verbera patere:
Face cuncta mugienti fremitu loca retonent:
Rutilam ferox torosa cervice quate jubam.—
Ait hæc minax Cybele, religatque juga manu.
Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animum;
Vadit, fremit, refringit virgulta pede vago.
At ubi ultima albicantis loca littoris adiit,
Tenerumque vidit Atyn prope marmora pelagi:
Facit impetum. Ille demens fugit in nemora fera.
Ibi semper omne vitæ spatium famula fuit.—
Dea, magna Dea, Cybelle, Didymi Dea domina,
Procul a mea tuus sit furor omnis, hera, domo:
Alios age incitatos, alios age rabidos.

85. *Adortalis* MSS. Stat. et libri fere omnes Vossii.—*adortatus lis* edit. R.—unde bene emendarunt Viri Docti *sese adhortans*. At Vossius, cum exempl. Mediolanense haberet *ad ora talis*, et in uno, quod olim fuit Palat. Bibliothecæ, exaratum esset *ipse adertalis*, reposuit *ardore talis* vel *arde talis* ἀρχαϊκῶς pro *ardore*, parum probabiliter!

86. *Vadit, tremit, refringit virgulata pede vago* Muret.—nostra lectio sine copula *et*, quæ, si vel metrum spectes, male in edit. Voss. Vulp. Götting. Werthes. Bipont. ante *refringit* intrusa est, jam conspicitur in editione Parthenii.

87. *At ubi humida* Vossius et ejus comites. antiquior et elegantior est nostra lectio. vid. not.

91. *Dea domina Didymi* Venet.—*Dea Dindymi domina* Gryph.—*Dea domina Dindymi* Muret.—*Domina Dindymei* MSS. Statii, quod, cum antiqui E longum per EI scripserint, indubitatum Statio videtur veteris scripturæ vestigium. nostra lectio, jam probata aliis, debetur Scaligero.

81. *Age, cæde terga cauda* cet. in describendo sævientis leonis incessu præivit jam Homerus Iliad. XX. 170.

Οὐρῇ δὲ πλευράς τε καὶ ἰσχία ἀμφοτέρωθεν
Μαστίεται, ἓε δ' αὐτὸν ἐποτρύνει μαχέσασθαι.

et Hesiodus Scut. Hercul. 430.

——πλευράς τε καὶ ὤμους
Οὐρῇ μαστιγόων, ποσσὶ γλάφει.——

Werthesius comparat Lucan. Phars. I. 205. sqq.

84. *Religatque*, solvit; ut *refigere*, *refodere*. vid. Stat. nisi quis forte τὸ *religat*, soluto jam jugo v. 74, ad alterum potius leonem, qui religandus esset, referre malit. exempla certe, ubi religare solvendi notionem habeat, desunt.

85. *Ferus* pro *leone*; pro *cervo* apud Phædr. Fab. I. 12. 9. ubi vid. Interpretes et ad Petron. c. 89. adde *Cerd.* ad Virgil. Æn. II. 51.—*ipse*, sponte: cf. ad vers. 56.

87. *Ultima loca littoris*, extremam littoris partem, quam mare alluebat: cf. supra ad Carm. XI. 23.—*albicantis* nimirum maris spumâ.

89. *Demens*, perterrefactus, animi impos.—*nemora fera*, ferarum latibula. cf. v. 53. 54.

91 sqq. *Dea, magna Dea, Cyb.*—finit carmen poëta elegantissimâ conversione ad ipsam Deam Cybelen, qua omnem furorem a se suisque vehementer deprecari, eumque aliis potius imprecari studet. *Didymi* pro *Dindymi*, metri causa.

93. *Incitatos*, furore correptos.

CARMEN LXIV.

Cum hoc, quod sequitur, carmen omnium, quæ a Catullo ad nos pervenerunt, longissimum sit ac pulcherrimum, non abs re alienum esse putamus paulo liberius evagari, et quibus lector monendus esse videtur, hic in unum locum, præfationis more, congerere. Dispiciamus primum de ipso hujus carminis argumento, in quo quidem enarrando ita nobis versari liceat, ut ea simul, quæ ad pulchritudinem hujus carminis ritè æstimandam pertinere videntur, passim adspergamus, et ad observandam singularem plane artem, qua in diversis fabulis inter se connectendis usus sit poëta venustissimus, digitum intendamus.

Orditur carmen ab Argonautarum expeditione. Nereides, ob insolentiam novi navigii admiratione perculsæ, subito emergunt ex æquore, Thetisque et Peleus mutuo amore accenduntur.—Mox nuptiæ apparantur, sternitur lectus genialis, et totius regionis incolæ nuptialem, ut fit, apparatum spectaturi, undique confluunt. Inprimis admiratione eos defixos tenet vestis lecto geniali vel pulvinari instrata, mira arte confecta et priscis hominum variata figuris.—Hic sponte accuratius hoc peristroma ζωωτὸν una cum adstantibus perlustrandi in animo lectoris suboritur cupiditas; cui quidem ut satisfaceret poëta, exemplum eorum, qui ejusmodi argumenta, vestibus vel aliis rebus intexta, fusius exponere et verbosis descriptionibus exornare solent, secutus est. [Sic Jasonis chlamydem, Palladis donum, magnifice describit Apollon. Rhod. I. 730—65. cf. Heyne ad Virgil. Æn. V. 250—57. Excurs. IV. p. 598.]—Jam finge tibi, adstare huic ἐξηγητὴν quendam vel interpretem, qui populo, mira aviditate hæc omnia oculis et animo quasi deveranti, non solum quas textura exhibet figuras et fabulas, sed singularum etiam causas et eventus declaret; et hinc explicandum censeo illud *ferunt, perhibent*, et id genus alia, quæ passim in hac narratione occurrunt. —Conspicitur autem in illa veste stragulâ primum Ariadnea, e Naxi littore, ubi illa deserta erat, Theseum in fuga e longinquo oculis persequentis, egregie adumbrata imago. Misera puella in illo ipso temporis articulo, quo primum somno excita se relictam sentit, oculis in navem Thesei plenis velis avolantem conjectis *saxea ut effigies bacchantis* prospicit, hæret attonita et ingenti curarum æstu fluctuat.—Jam, si observaveris, sermonem hic esse de pictura, in qua, ut præclare in *Laocoonte* docuit *Les-*

singius, nobilissimum et ἐνεργέστατον actionis momentum exprimi debet ab artifice; quid, quæso, efficacius ad spectatorum animos dolore et commiseratione permovendos cogitari potest, quam sic et in hoc potissimum statu descripta Ariadne, quæ, ab amatore derelicta in solitudine deserti littoris, oculis desiderio tabescentibus in mare vastum prospicit! Habet hoc ipsum horroris aliquid, fingere sibi hominem ad mugientis maris fluctus in littore querelas fundentem, unde jam Homero littus fundendis precibus et querelis locus aptissimus visus est. vid. quæ notavimus ad Carm. LXIII. 48. Neque illud prætermittendum est, quod poëta summo dolore percussam Ariadnen neque comas sibi evellentem, neque pectora tundentem, neque alia summi luctus signa edentem [cf. v. 223. et 351 seqq.], sed stupore tantum defixam, et cultum puellarem negligentem sapienter exhibuerit, quod quidem ipsum insigni ejus, qua prædita fuit, formæ pulchritudini [v. 89. 90.] novum addit lenocinium. Quod igitur recentioris artis Critici et elegantiores veræ pulchritudinis spectatores præcipiunt, pictoribus fictoribusque imaginum in exprimendis animi perturbationibus vel maxime cavendum esse, ne oriatur turpitudo et deformitas, sed venustatis et decoris diligenter habeatur ratio, id apprime a poëta nostro observatum esse, non sine voluptate animadvertimus. vide quæ ad *Laocoontem Lessingii* observavit *Herderus* olim in *Silva Critica* Vol. II. p. 244. adde *Hagedornii Betrachtungen über die Malersy* cet. IX. p. 108. Nec multum intercedam, si quis poëtæ in hac Ariadnes adumbranda imagine veram aliquam picturam vel statuam certe ob oculos versatam esse contendat et sibi persuadeat. Placuisse enim hoc argumentum in antiquitate artificibus, vel ex iis monumentis, quorum memoria ad nos pervenit, abunde patet. Inprimis digna est quæ conferatur pictura in *picturis Herculanensibus* T. II. tab. 14. cf. Plin. Hist. Nat. XXXV. 11. S. 35. et *Junius in Indice Artificum* s. v. *Aristides*.—Proposita autem hac Ariadnes imagine, ipse poëta partes agit interpretis, et ad fabulam de amore Ariadnes et cæde Minotauri latius explicandam pergit.—Hinc ad locum pulcherrimum de variis animi commotionibus, quibus misella illa agitatur, progreditur, et post alia, quæ summo dolori conveniunt, diratum denique, quibus illa caput Thesei devovet, mentione injecta, ad pœnam, quam mox a Theseo repetierit Jupiter, transit, fabulaque de Ægeo, in mare se præcipitante, subortam sensim ex Thesei perfidia in animis lectorum indignationem quodammodo abstergit.—Errant autem, qui hæc omnia telæ intexta

esse arbitrantur, quod nullo modo nec e verbis poëtæ elici, nec, quomodo in peristromate illo commode exprimi potuerint, cogitari potest, licet hanc sententiam nuperrime exornaverit Doctissimus hujus carminis interpres *Mitscherlichius* in Lectionibus Catulli p. 41.—His omnibus igitur, quæ ad pleniorem Thesei historiam pertinere viderentur, expositis, ad explicationem alterius picturæ, quæ in veste illa stragula conspiciebatur, poëta convertitur. (v. 252.) Bacchus, cum thiaso et pompa Bacchica insulam illam pererrans, ad perditam et animo desperantem puellam advolat, ejusque amore incenditur. Subit hic quoque mirari prudenter poëtæ institutam rationem, qui, cum inclytas illas Ariadnes cum Baccho nuptias, in quibus describendis ad nauseam usque luxuriat Nonnus Dionys. XLVII. uberius persequi, et quod sequioris ætatis poëta v. c. Claudianus ambabus, quod aiunt, arrepturus fuisset, commode jam ad Pelei nuptias transferre posset, hæc omnia consulto prætermisit silentio, et præter ea, quæ ad picturam declarandam facere viderentur, ne verbulum quidem addidit.—Fortasse in hac quoque pictura ad certum aliquod, quod tum exstaret, artificis monumentum poëta se composuit. Nam cum in hoc argumento pompæ Bacchicæ parerga scitissime exprimi possent, et Bacchanalium imagines in universum frequentissime effingerentur (quod ex infinita fere anaglyphorum, gemmarum et statuarum, quæ hac de re adhuc supersunt, multitudine recte colligere possumus); lubentissime sane huic argumento tractando et exornando operam suam addixerunt veteres artifices. Juvabit hic quoque contulisse *tabulam Herculanensem in picturis Herculanensibus* Tom. II. Tab. 16. cf. *Bellorii Admirand. Rom. Antiq.* XLVIII. et quæ e *Lipperti* Dactyliotheca laudavit jam *Gurlitt*. Nec pœnitebit ad comparationis suavitatem legisse Philostratum Icon. I. 15. p. 786. edit. Olear.; unde, quantum nativa nostri poëtæ pulchritudo anxie quæsitis pigmentis et ornamentis antistet, optime discere poterunt tirones, harum elegantiarum studiosi.—Jam poëta a diverticulis, in quibus summa cum voluptate lectorum liberius exspatiatus fuerat, redit ad nuptias Pelei et Thetidos.—Major scena adornatur.—Cedit diis adventantibus vilior spectatorum plebecula, (ad eos enim pertinet Homericum [Iliad. XX. 131.] χαλεποὶ δὲ θεοὶ φαίνεσθαι ἐναργεῖς.)—Succedunt thalamo primum heroes cum muneribus nuptialibus, deinde reliqui dii, et mensis accumbunt. Et hic est consessus ille augustissimus, quem Pindarus celebravit Nem. IV. 107.

Εἶδον δ' (sc. Peleus) εὐκύκλων ἐν ἕδραις,
Τᾶς ἀμφοτέρου βασιλῆες
Πόντου τ' ἐφεζόμενοι,
Δῶρα καὶ κράτος ἐξέφα-
ναν ἐς γένος αὐτῷ.

At eas partes, quæ in his nuptiis a Pindaro (Pyth. III. 158. sqq.) Musis et in veteris mythi vestigiis diis in universum tribuuntur apud Apollodor. III. c. 13. p. 259. (edit. *Heyn.*) Θεοὶ τὸν γάμον εὐωχούμενοι καθύμνησαν, egregio invento ad Parcas transtulit Catullus. Adsunt igitur genitales deæ (cf. Spanhem. ad Callimach. H. in Dian. 22. p. 185. edit. *Ernesti.*) his nuptiis, et magnæ soboli inde oriturae fatalia stamina deducentes hymenæum canunt. —Fecerant hoc Parcæ jam in Jovis nuptiis, ut patet ex loco satis diserto Aristoph. Avv. v. 1734. Nec vitio verti debet poëtæ, quod, quæ de Achille vaticinantur, nimis aperta sint nec tortuosis, pro more vaticiniorum, anfractibus implicita, præcipue cum ipsis diis, futurarum rerum optime gnaris, præsentibus hæc canerent sorores fatidicæ.—Finito Hymenæo et carmen finire poterat poëta, sed egregie ad capiendos lectorum animos, suavissimum post tot mythorum enarrationem addere illi placuit epilogum, in quo quidem si legimus, frequenter adhuc tunc temporis deos interfuisse mortalium cœtibus, sceleribus eorum nondum ab iis alienatos, facilius omnino, hæc omnia evenire potuisse temporibus heroicis, animus noster persuadebitur.—Atque hæc sunt quæ de argumento præfari visum est.

Duplex in antiquioribus et recentioribus editt. hujus carminis circumfertur inscriptio. Prior et antiquior illa *Argonautica*, haud dubie ab exordio carminis efficta, ab universo carminis argumento quam maxime abhorret, et jure meritoque a plerisque fere jam diu repudiata est.—Altera, et vulgo nunc fere recepta hujus carminis inscriptio est *Epithalamium Pelei et Thetidos*; quæ tamen et ipsa ab iis, qui totum hoc carmen ad normam Epithalamiorum, quæ ex antiquitate ad nos pervenerint, exigerent, sæpius jam impugnata et in disceptationem vocata fuit. Sed priusquam tam ipsam hujus carminis inscriptionem plane rejicimus, quàm totam carminis œconomiam acriter cum aliis reprehendimus, de ipso, quo illud a poëta scriptum sit, consilio paulo diligentius quærendum videtur. Jam vero Catullum non eo consilio ad hoc scribendum carmen accessisse, ut nil nisi Pelei et Thetidos epithalamium caneret, cum ex aliis causis tum ex toto carminis habitu et intextis longioribus digressionibus, quas respuit

plane veri epithalamii ratio, satis certe colligere possumus. Quodsi enim Catullus uni harum nuptiarum argumento operam dare voluisset, illi profecto non longius fabularum ornamenta petenda fuissent, sed eidem in hoc ipso pertractando argumento campus, ubi exsultaret ejus ingenium, patuisset amplissimus (vide, verbi causa, complures ad has nuptias spectantes fabulas in farragine illa apud *Tzetzem* ad Lycoph. v. 178. cf. *Heyne* ad *Apollodor.* p. 794. sqq.). Sed si cogitamus nihil aliud spectasse in hoc carmine pangendo Catullum, nisi ut, invitatus celebrandis Pelei et Thetidos nuptiis, alias simul, quas ætas Græcorum heroica et mythica suppeditaret, fabulas laxiore fictionis cujusdam vinculo connexas et copulatas versibus exponeret, et sic lectores, per amœnissima Musarum diverticula ductos, et aliorum, quæ præ ceteris illi arriderent, mythorum expositione delinitos, varietatis sensu suaviter demulceret; facile apparet, et ipso poëtæ consilio ipsum carmen quoque dijudicandum esse. Quod quidem si recte perpensum esset a Viris Doctis, magis forsan a virgula illa censoria, qua digressiones hujus carminis vel ut nimium prolixas et copiosas, vel ut parum inter se aptas et copulatas notarunt, sibi temperassent. Sic *Duschius* in libro vernaculo *Briefe zur Bildung des Geschmacks*, (Vol. III. p. 227.) totum carmen male inter se cohærere et digressionibus longe petitis laborare, multis docere studuit: cujus vestigia deinde legit *Degenius* in versionum libello, *Deutsche Anthologie der romischen Elegiker* p. 378. Nec mollius ipse Magnus *Heyne* de carmine nostro sentit ad Virgil. Tom. IV. p. 4.—Quamquam autem huic carmini, si a fatidico illo Parcarum cantu sub ejus finem discesseris, nihil fere insit, quod commode ad Epithalamii, proprie sic dicti, genus referatur, et recte omnino *parvum Epos* cum Doctiss. *Gurlitt* nominari queat, idem tamen, cum præcipue in honorem nuptiarum Pelei et Thetidos compositum sit, haud inepte, latiori sensu, *epithalamii* nomine insigniri posse videtur. cf. Argumentum ad Carm. in Nupt. Jul. et Manl.—Missis igitur omnibus, quæ ad pretium hujus carminis elevandum in medium prolata sunt, fruamur nitidissimis flosculis, quos undique et ex dissitis quasi regionibus poëtæ decerpere volupe fuit, nec varietate colorum et odorum bene inter se permixtorum majorem nobis conciliari suavitatem indignemur.—

Restat alia quæstio, in qua constituenda multum laborarunt, sed parum perfecerunt interpretes. Cum enim Catullum, diligentissimum Græcorum poëtarum imitatorem, hic quoque

fontes eorum in areolas suas derivasse e toto poematis colore dilucide appareat, diu multumque quaesitum est, quos potissimum imitatione sibi exprimendos sumserit. Fuit Hesiodi ἐπιθαλάμιον εἰς Πηλέα καὶ Θέτιν a Scaligero jam laudatum; cf. *Heyne* ad Apollodor. p. 764.—fuit aliud Agamestoris Pharsalii, e quo nonnulla profert *Tzetzes* ad Lycoph. 178. Sed neutrum a nostro exprimi potuit, cum ipse, ut supra monitum est, noluerit concinnare epithalamium; vel, si quaedam inde in usum suum converterit, (quod ex instituta comparatione v. 25—27. cum fragmento Hesiodeo probabile fit) in paucis certe hoc factum, at plurima in illa Ariadnes fabula ab aliis potius mutuatus videtur. —Exstat apud Ciceronem in epistolis ad Atticum VIII. 5. fragmentum veteris poëtae—ῥίψαι Πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα, quod cum egregie respondeat versui illi de Minotauro v. 111., satis probabili conjectura suspicari possis, Catullum in fabula de Ariadne veterem illum, quem ignoramus, hujus fragmenti poëtam expressisse. Omnino autem satis fidenter statuere possumus, Catullum non ad unum aut alterum tantum poëtam imitandi studium attemperasse, (quod fecit in carminibus quibusdam κατὰ πόδα e Sappho et Callimacho translatis) sed undique, *apis Matinae more modoque*, per hortulos Graecorum circumvolitasse et suavissima quaeque delibasse, id quod ex apertis, quas in hoc carmine deprehendimus, Graecorum poëtarum imitationibus plus satis apparere puto. Sic ex Homerico Hymno in Cererem nuperrime reperto, pluscula nostrum derivasse praeclare docuit *Ruhnkenius* in praef. ad H. in Cerer. p. 12. sq. Sic e Theocriti Idylliis, et inprimis ex Adoniazusis, loca plura imitatum esse nostrum passim observavit *Valckenarius* ad Adoniaz. 127. p. 406. Sic Apollonium Rhodium plus quam viginti locis a nostro, non adumbratum, sed vere expressum esse diligenter docuit *Mitscherlichius in Lect. ad Catull.* Sic denique manifesta in v. 164. deprehenditur imitatio Lycophronis Cass. v. 1451., quem in aliis quoque locis ante oculos habuit. In universum autem visus sum mihi animadvertere, prae ceteris nostrum imitatum esse poëtas Alexandrinos, quorum, ni sensu nostro fallimur, genium (cf. *Heyne* Opuscul. Vol. I. p. 92.) totum hoc carmen spirat.—Ipsum vero Catullum studiose deinde imitati sunt alii; v. c. Virgil in Cir.; quem sedulo jam cum nostro comparavit *Lenzius* p. 82.—De Epistola Ariadnes ad Theseum apud Ovid. Heroid. X. lege quae disputat *Gurlitt.* p. 87. seqq.

Restat ut breviter indicemus, qui peculiarem inde ab aliquot

annis huic illustrando carmini dicarunt operam. Nos ipsi, cum abhinc prope decem annos Scholæ Portensi, cui Deus faveat! valediceremus, vires nostras in hoc edendo carmine periclitati sumus, nec improbatus plane fuit hic juvenilis labor humanissimo Virorum Doctorum judicio; unde facile veniam me impetraturum spero, si ex istis meis juvenilibus, nescio qua suavi animi recordatione vel vanitate, bonam partem servavero.—Non ita multo post, *Mitscherlichius* V. Cl. et sodalis olim in schola Portensi, in cujus almæ matris sinu eodem tempore mecum educatus est, jucundissimus, cum et ipse Catulli edendi suscepisset consilium, primum *in epistola Critica in Apollodorum* (Gotting. 1782.) p. 43—51. emendationes in Catulli Epithalamium proposuit, deinde *Lectiones in Catullum* (Gotting. 1786.) edidit, in quibus quam egregie de hoc carmine meruerit passim indicabimus.—Eodem fere tempore præclarum eruditionis specimen in hoc carmine edidit *Lenzius*, Vir Doctissimus mihique amicissimus, cui titulum præfixit, *Catulli carmen de nuptiis Pelei et Thetidos cum versione Germanica Chr. Fr. Eisenschmidt, in usum tironum illustravit Carl. Gotthold Lenz. Altenburg.* 1787.: quem quidem, quantum ab ejus doctrinæ copia, ingenii venustate et acumine exspectare possit respublica literaria, satis in hoc specimine declarasse puto. Edito jam hoc libello, literas mecum communicavit exquisitas et perelegantes ad hoc carmen observationes, quas loco suo commemorabo.—Nec defuit, qui manum eodem tempore huic carmini admoveret, tertius, elegans sane Venerum poëticarum æstimator, Cl. *Gurlitt. Katulls epischer Gesang von der Vermählung des Peleus und der Thetis, metrisch übersetzt, und mit einigen Anhängen begleitet von J. Gurlitt, Leipzig* 1787.—Exstat autem præter ea, quæ *Duschius* et *Degenius* locis supra laudatis ex hoc carmine transtulerunt, et præter *Eisenschmidti* versionem, Lenziano libello additam, illepidam illam et satis inficetam, alia *Bodmeri*, a *Staendlino* post Venerabilis senis obitum in libello *Apollinarien* inscripto, edita *Tubingæ* 1783.

EPITHALAMIUM PELEI ET THETIDOS.

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas
Phasidos ad fluctus, et fines Æetæos:
Cum lecti juvenes, Argivæ robora pubis,
Auratam optantes Colchis avertere pellem,
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,

4. *Læti juvenes* in MSSC. quibusdam, teste Statio; in aliis, quos trivit N. Heins. *lesi*.—*puppis* pro *pubis* MSS. Statii et Venet.

1. *Peliaco vert.* in summo Thessaliæ montis jugo, ubi silva erat pinifera. *Dorville* (ad Chariton) comparat Manetho. II. 104.

Πηδάλιόν τε νεὼς, τὴν ἀκροτάτοισι (ex emendat. Dorv.) τεμοῦσα
Πηλίου ἐκ κορυφῆς Παλλὰς θέτ' ἐν ἀστράσιν Ἀργοῦ.

et Apollon. Rhod. II. 1191.

—καὶ τάμε χαλκῷ
Δούρατα Πηλιάδος κορυφῆς πέρι.

prognatæ eleganter de arboribus, quæ, ut animantes, stirpem suam propagare dicuntur; hinc passim apud poëtas vel *matrum filiarumque* nomine insigniuntur, (cf. Virgil. Georg. II. 19. ubi plura in hanc rem ex Græcis Latinisque scriptoribus diligenter collegit exempla *Cerda*, add. Æn. XII. 209.) vel genus et stirpis nobilitatem jactant Horat. Od. I. 14. 11.—cf. supra ad Carm. IV. 10. et 15.

2. *Nasse* de celeri fere et secundo navium cursu. Tibull. I. 5. 76.

3. *Phasidos ad fluct. et fin. Æet.* eleganti circumscriptione pro "*Colchidem*, ubi volvebatur fluvius *Phasis*, et imperium exercebat *Æetes*."—Quod *Lenzius* (in notis ad h. v.) putat, per *Æetæos fines* extremam terram fortasse poëtam innuere voluisse, et ad hanc sententiam confirmandam in literis ad me datis laudat Apollon. Rhod. II. 419. sq. et 264. id ex ea quidem opinione, qua veteres per Pontum Euxinum et Colchidem extremos terrarum marinosque sibi cogitarunt terminos, fieri potuisse verum est; sed profecto jam obliquam extremæ terræ descriptionem poëta dare noluit.

4. *Cum lecti juvenes.* Theocr. Idyll. XIII. 16. 18.

Ἀλλ' ὅκα τὸ χρύσειον ἔπλει μετὰ κῶας Ἰάσων
Αἰσονίδας, οἱ δ' αὐτῷ ἀριστῆες συνέποντο,
Πασᾶν ἐκ πολίων προλελεγμένοι, ὧν ὄφελός τι.

et paulo post vocantur Argonautæ θεῖος ἄωτος Ἡρώων.—λεκτοὶ Ἡρώων, ex Apollon. Rhod. IV. 831. laudat *Mitscherl.*—*Argiv. robor. pub.*, robustissimi fortissimique (der Kern der griechischen Mannschaft). sic sæpe apud Liv. *robora virorum*.—exempla conduxit *Drackenborch.* ad Lib. XXII. 40. 5. Tom. III. p. 635.

5. *Aurat. pell. avertere.* de aureo Phryxei arietis vellere in vulgus omnia nota. Unde ortum traxerit fabula, varias et ridiculas ad hunc locum causas afferunt interpretes. Totam hanc rem, nobilitatam maxime instituto ordine equitum aurei velleris, bene excussit *Rabenerus* in *Amœnitatib. Philologic.* p. 193. seqq.—*avertere* verbum proprium de rebus, quas ex aliena in nostram potestatem et ditionem dolo et malis artibus redigimus, respondet nostro *entwenden*.—vid. *Gronov.* Observ. IV. 5. *Drackenborch.* ad Silium Italic. III. 321. et ad Liv. VI. 14. 11. Tom. II. p. 319.

Cærula verrentes abiegnis æquora palmis:
Diva quibus, retinens in summis urbibus arces,
Ipsa levi fecit volitantem flamine currum;
Pinea conjungens inflexæ texta carinæ.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
Quæ simul ac rostro ventosum proscidit æquor,
Tortaque remigio spumis incanduit unda;

9. *Ipsa sui facie* Vossius e libro membranaceo, addita explicatione "ad morem et formam sui currus, quo in cœlo utitur, quoque nubes atque æthera tranat;" inepte sane.—*Cursum* pro *currum*, irato Apolline, tentat Staver. ad Cornel. Nep. Milt. 1. 6. p. 23.

10. *Inflexit* Vossius, ut referatur ad illud *ipsa sui facie*.

11. *Prora* pro *prima* Vossius ex libro Mediolanens.: quod si omnino retinendum sit, verba saltem sic inter se conciliauda putat *Mitscherl.*; *Illa prora* (in primo casu) *rud. Amphitr. imbuit, quæ* cet.—aut scribendum *cursu proræ.*—*primam* Stat. et Corrad. male! vix eget vulgata commendatione nostra.- -*Impulit* præter necessitatem conjecit Titius ad Grat. Cyneg. v. 65.

13. *Totaque* in libr. MSS. et editt. antiq. ex solemni librariorum errore. vid.

7. *Verrentes. verrere*, ut Græcorum μαστίζειν, suaviter in re nautica, maris remis percussi et quasi flagellati adumbrat imaginem; si quis in re nota exempla desiderat, adeat *Heins.* ad Ovid. Amor. I. 9. 14.—*Palmis*, remis. cf. supra ad Carm. IV. 5.

8. *Diva quibus, retinens* cet. Minerva *retinens*, (κατέχων) tutela sua custodiens *arces*, quibus illa præerat. vid. Interprett. ad Petron. c. 5. hinc Græcis πολιοῦχος appellatur. vid. *Cuper.* Observ. III. 16. et *Spanhem.* ad Callimach. H. in Lav. Pallad. v. 53.

9. *Ipsa fecit.* hinc *opere Palladio fabricata Argo* dicitur apud Phædr. IV. 9. ubi cf. *Burmannus.* observa vim pronominis *ipsa* h. e. ipsa artium præses, quæ alias adjuvare tantum artifices auxilio suo solet. *Lenzius* commode in literis laudat Apoll. Rhod. I. 111. Αὐτὴ γὰρ καὶ νῆα θοὴν κάμε, et Orph. Argon. v. 66. quem vide.—*levi volitant. flam. curr.*: sic Apoll. Rhod. III. 345. de Argo Ἴσον δ' ἐξ ἀνέμοιο θέει.—*currum* eleganter pro *nave*: vid. *Muret.* Var. Lect. I. c. 11. et *Gifan.* Collect. ad Lucret. Sic ἅρμα et ὄχημα apud Græcos. vid. *Gatacker* Observ. Misc. II. c. 18. *Kühn* ad Pollucem. I. s. 83. n. 8. et *Stanleius* ad Æschyl. Prometh. v. 467.—*volitantem*; cf. supra ad Carm. IV. 5.

10. *Pinea conj. infl. t. c.*, inserens et adaptans curvæ carinæ trabes et alia, quibus naves instruuntur, e ligno pineo contexta et contignata. *texere*, ut Græcorum ὑφαίνειν, proprie de ædificiorum et navium contignatione. de navibus v. c. apud Propert. III. 7. 29. cf. Ovid. Met. XIV. 531. et ibi Interpretes. hinc ipse locus, ubi naves fabricantur, vocatur *textrinum*. vid. *Serv.* ad Virgil. Æneid. XI. 326.

11. *Illa prima*: quomodo *prima* navigationem tentasse dicatur *Argo*, præter Vulpium docuerunt *Muncker* ad Hygin. Fab. XI. *Burmannus* ad Valer. Flacc. II. 287. et *Schraderus* ad Musæum p. 372—75.—*Rudem Amphitriten*, mare nondum navem expertum, nondum navigio tentatum.—*cursu imbuit*, initiavit, ἐκαίνισεν. vid. *Ruhnken.* ad Callimach. Fragm. a Bentl. collect. 119. p. 487. edit. Ernesti. *Imbui* eleganter dicuntur res, quæ primo usui accommodantur. notissimum est illud Horatii; *Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu.* cf. *Græv. Lect. Hesiod.* c. 15. sub fin.

12. *Proscidit. proscindere*, ut multa alia, eleganter ab aratione ad navigationem translatum.

13. *Tortaque remig. spum. inc. unda*,

Emersere feri candenti e gurgite vultus
Æquoreæ monstrum Nereides admirantes;
Illaque haudque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore Nymphas,
Nutricum tenus exstantes e gurgite cano.

Druckenborch. ad Sil. Ital. VII. 412. et quos ibi laudat.—*incanduit* in MSS. Stat. et quibusdam editt. vett., quod tam ob statim sequens *candenti*, quàm ob v. 18. ubi est *cano æquore*, non male defendi posse videtur.

14. 15. In interpretandis his duobus versibus valde fluctuarunt interpretes, et sensùs ambiguitatem conjecturis tollere studuerunt. *Mitscherlichius* quidem in Lect. in Catull. p. 14. vel rescribendum *Emersere freti candenti e gurgite vultus Æquorei;* vel copulam *et* post *æquoreæ* excidisse putat, quæ posterior ratio probata quoque fuit *Heynio.* At *Lenzius* in not. ad h. l. p. 95. ingeniosissime conjiciebat *Emersere feris candenti e gurgite fultæ Æquoreæ monstrum Nereides admirantes;* cui favere videbatur Mosch. Europ. 114. sq. Νηρεΐδες δ' ἀνέδυσαν ὑπ' ἐξ ἁλὸς, αἱ δ' ἄρα πᾶσαι Κητείοις νώτοισιν ἐφήμεναι. et Claud. X. 159. idem tamen paulo post de integritate loci non amplius dubitat, de qua nec nobis amplificandum videtur. vid. not.

16. *Illa atque alia* in editt. vett.; sed unice vera, quam dedimus, Vossiana lectio.

17. *Mortales oculis* male in quibusdam.

18. *Nutricum tenus* MSS. Statii, et sic est in editt. Venet.—*crurum tenus* Scaliger ex libro vet. et sic est in edit Gryph.—*Umblicum tenus* Voss., quod adscriptum quoque est margini edit. Gryph.

exquisite pro vulgari "remigio agitata fuit." *incanduit.* ἐλευκάνθη πόντος. *Lenzius* in litt. comparat Qu. Smyrn. V. 86. sqq. et Apoll. Rhod. I. 1327.

14—15. *Emersere feri* cet. Sensus est: simulac navis iter suum in mari ingressa est, Nymphæ marinæ, vultu torvo, et ad stuporem ob rei novitatem et hominum audaciam composito, repente e fundo maris prospiciunt; et summa admiratione monstrosam navis figuram animadvertunt. *feri vultûs* est casus secundus, et pendet a *Nereides* h. e. *Nereides fero vultu jam præditæ vel indutæ.*—*ferus vultus* autem recte et eleganter de vultu torvo, severitatem stuporemve præ se ferente dicitur. Horatius Epist. I. 19. 12. *Quid? si quis vultu torvo ferus et.*—plane ita nos dicimus *einen wilden Blick.*—Hæserunt in hoc loco et valde in eo emendando laborarunt *Mitscherl.* et *Lenz.* (vid. Var. Lect.); sed profecto qualibet correctione tota hujus loci tollitur elegantia, qua Nympharum, audaciam primorum nautarum indigne ferentium, egregie plane adumbratur imago. Hoc accedit, quod tetrica quædam austeritas jam olim ab ipsis artificibus tributa est Nereidum vultibus. vid. *Lipperti Dactylioth.* Mill. I. 74.—Nihil temere in hoc loco mutandum esse sensit quoque Vir Doctus, qui recensuit *Lenzii* libellum in Act. Litter. Jenens. (Scid. XX. 1787.); quem tamen, acutissime alias de carmine nostro judicantem, Vossianam rationem, qua *feri vultus* ad *monstrum* trahitur, amplexum esse miror. Nam locus Apollon. Rhod. IV. 316., quem egregie cum nostro comparat, ad hanc rationem defendendam nihil valet.

16. *Illaque haudque alia,* hoc uno tantum die, non alio vicissim; ἤματι κείνῳ, Apollon. Rhod. I. 547.

18. *Nutricum tenus,* h. e. mammarum. Apulei. Met. II. ab init. *eandem nutricem simul bibimus.*—nimirum *nutrix* de quacunque re, quæ nutrit et alit homines, dicitur. vid. *Wesseling.* Observ. II. 17.

Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
Tum Thetis humanos non despexit hymenæos,
Tum Thetidi pater ipse jugandum Pelea sensit.
O nimis optato seclorum tempore nati
Heroes, salvete, Deûm genus! o bona mater!
Vos ego sæpe meo, vos carmine compellabo.
Teque adeo eximie tædis felicibus aucte
Thessaliæ columen Peleu, quoi Jupiter ipse,
Ipse suos Divum genitor concessit amores.
Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
Tene suam Tethys concessit ducere neptem,
Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?

19. 20. Male pro *tum* in quibusdam veteribus *cum* vel *quum* legitur; suaviter enim et cum vi ter repetitur hæc particula; peccarunt autem sæpe in his permutandis vocibus librarii. vid. *Drackenborch.* ad Sil. Ital. I. 40. et ad Liv. VI. 23. 3. Tom. II. p. 361.

21. *Sanxit* Muret. Voss. et alii, male! pari modo hæc duo verba confusa sunt apud Ovid. Heroid. VI. 154.

26. *Æmathiæ columen* in quibusdam; haud dubie ex glossa.

30. *Oceanusque pater* MSS. Statii, Muret. Gryph. et alii. recte quidem ex lo-

20. *Non despexit hymenæos*, non invita cessit nuptiis humanis. Varie omnino hæc fabula a Græcis tractata fuisse videtur. Apud Homerum (Iliad XVIII. 434.) Thetis πολλὰ μάλ' οὐκ ἐθέλουσα, Peleo nupsisse dicitur. Apud Ovid. (Met. XI. 235. seqq.) inopinato illa in specu Æmoniæ seu Thessalici littoris a Peleo opprimitur: sed apud Val. Flacc. I. 130., ubi Thetidos nuptiæ in Argo pictæ sunt, lubens illa, delphino vecta, ad Peleum deducitur. cf. *Dorville* ad Chariton. p. 360. edit. Lips. et *Heyne* ad Tibull. I. 5. 46.

21. *Ipse pater*, non Jupiter, ut *Mitscherlichius* et alii volunt, sed ipse Thetidos pater Nereus, cui proprie convenit *jugare* (in matrimonium dare) filiam marito. cf. Virgil. Æneid. I. 345. aliud est concedere alteri puellam, quod de Jove valet in 27.—*sensit*, censuit, judicavit, consultum duxit; cujus verbi usus bene adstruitur in *Observ. Miscel.* Tom. IV. p. 121.

23. *Heroes, Deum genus.* cf. Interpretes ad Val. Flacc. p. 4. edit. Burmanni.—*O bona mater*, o bonam et beatam matrem, quæ vos tales et tam optato seclorum tempore peperit!

26. *Thessaliæ columen*, in quo nititur omnis Thessaliæ salus. Sic βάθρον, ἔρεισμα apud Græcos: vid. *Gataker* in Adversar. Miscell. c. 20. p. 88. *Rittershus.* ad Oppian. Cyneg. I. 1. *Cerda* ad Virgil. Æneid. XII. 59. imprimis *Hemsterhus.* ad Lucian. T. I. p. 163.

27. *Amores suos*, amatam sibi Thetidem. cf. supra ad Carmen X. 1. et XV. 1. Cessit autem Jupiter eo libentius Peleo Thetidem, cum filium Thetidos ex fati necessitate ipso patre fortiorem extiturum esse sciret. vid. Hygin. Fab. 54. et *Hemsterhus.* ad Lucian. T. I. p. 205.

28. *Tenuit*, ut maritum complexa est. exempla de hoc verbo collegit Gudius ad Phædr. Fab. II. 2. 4.—*Neptunine*, Thetis, Neptuni potestati subjecta. *Mitscherl.* laudat Perizon. Animadv. Hist. c. IX. p. 400.

Quæ simul optatæ finito tempore luces
Advenere, domum conventu tota frequentat
Thessalia: oppletur lætanti regia cœtu:
Dona ferunt: præ se declarant gaudia vultu.
Deseritur Scyros: linquunt Phthiotica Tempe,
Cranonisque domos, ac mœnia Larissæa:
Pharsaliam coeunt, Pharsalia tecta frequentant.

quendi more. cf. Virgil. Georg. IV. 382. et ibi Ursin. sed vulgatam bene defendit Mitscherlichius.

31. *Qui simul optatæ finito tempore lucis* in margine Venet. male! ut recte judicat *Mitscherl.*

32. *Ut venere* Vulp. et alii male! nam *simul* in versu antecedenti est pro *simulac.*

34. *Dona ferunt præ se; declarant gaudia vultus,* proposuit *Lenzius.* magis tamen placet nostra lectionis ratio et interpunctio; suavius enim Thessaliæ incolæ gaudia præ se declarare et pandere vultu, quam dona præ se ferre manibus dicuntur; aut si forte cui illa ratio, quam jam Muretus secutus est in edit. prima, ut post *præ se* interpungatur, melior videatur, certe non opus est τὸ *vultu* in *vultus* mutare.

35. *Phthiotica templa* tentat *Lennep.* ad Coluth. I. 7. quod Tempe non in Phthyotide sed in Pelasgide, inter Olympum et Ossam, sita fuerint. vid. not.

36. Mire hic versus tam in scriptis quam impressis libris depravatus est. *Gravinonisque domos* MSS. Stat. et vetust. exempl. Voss.—*Graninonisque domos* Vatic.—*Grajugenasque domos* L. MSS. et tres antiquissimæ editt. teste editor. Cantabrig.; unde Scaliger *Grajugenûmque domos.*—depravata lectio haud dubie orta est ex antiqua scriptura *Crannonis.* vid. Mitscherl. et *Drackenborch.* ad Liv. XXXVI. 10. 1. p. 1017.—Pro *mœnia Larissæa* monstrose legebatur in libr. MSS. *ac nicenis alacrisea,* vel *Larisæa* uti est in Voss. libro, vel *ac nitens alacrissa* vel *ac nitentis alacrissea* vel *ac nitentis alacrissæa* vel *ac Nicenis alacrissa.*

37. *Pharsula tecta freq.* Venet.—*Pharsalon* aut *Pharsalum* Pontan. et Scalig.

31. *Quæ simul optat.* cet. eleganter pro vulgari "simulac destinatus his celebrandis nuptiis dies illuxit optatissimus."

32. *Domum conventu frequentat,* ornate pro "frequenter in domo convenit."

34. *Dona ferunt,* nimirum Thessaliæ incolæ: de quo loquendi genere cf. supra ad Carm. X. 9.

35. Docte jam ex more poetarum, ut eo clarius totius rei scena lectoris obversetur animo, urbes et partes quasdam Thessaliæ recenset.—*Scyros:* longius quidem hæc insula remota est a Thessalia, sed culta olim fuit a Thessalorum gente, Dolopibus: præter Vossium ad h. l. vid. Diod. Sicul. XI. 60. et ibi *Wesseling.*—Consulto autem poëta, ut undique confluxisse videantur remotissimi populi quique, remotioris regionis mentionem primo loco injicit.—*Phthiotica Tempe:* communi quidem veterum consensu in Pelasgide, inter Olympum et Ossam, ubi Peneus labitur, Tempe sita fuerunt. (Plin. H. N. IV. 8. s. 16. Ælian. V. H. III. 1.) sed, quo jure Peneus propter vicinitatem φθιώτης vocatur apud Callîmach, [H. in Del. v. 112.] eodem quoque jam Tempe *Phthiotica* dicta videri debent; nisi forte tractus Phthiotici ob regionis amœnitatem *altera* quasi *Tempe* appellati sint; sequiorem certe ætatem amœnissima quæque loca *Tempe* nominasse satis constat.

36. *Cranon* est oppidum Thessaliæ: Plin. H. N. X. 12. s. 15. et ibi *Harduin.*—*mœn. Lariss.* Larissa, nobilissima Thessaliæ urbs, unde Achilles *Larissæus* apud Virgil. Æneid. II. 197.

37. *Pharsaliam coe.:* Pharsalia, ut observat Vossius, hoc loco antiquum re-

Rura colit nemo; mollescunt colla juvencis:
Non humilis curvis purgatur vinea rastris:
Non glebam prono convellit vomere taurus:
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram:
Squalida desertis robigo infertur aratris.
Ipsius at sedes, quacunque opulenta recessit

nimirum alteram in voce *Pharsalia* alii brevem, nitentes exemplo Calpurn. IV. 101. alii longam faciebant; et vere semper altera in hac voce producitur, sed ut trisyllaba pronuncianda est.

38—42. Sine necessitate transposuit hos versus Ramirez de Prad. ad Mart. I. 44. hoc ordine: *Non humilis* cet.—*Non falx* cet.—*Rura colit nemo*—*Non glebam*—*Squalida desertis.*

40. *Lennep.* ad Coluth. I. p. 33. sine ulla idonea causa hunc versum emendavit sic: *Non falce adtenuat frondator roboris umbram;* profecto hoc est pro lubitu tractare poëtas!

43. 44. Heins. in not. ad Catull. satis audacter et parum probabiliter refingit hos duos versus sic: *Spissius at sedes quacunque opulenta recessu Regia fulgenti splendens auro atque argento,* ut sensus sit "sedes regia in omni ejus regionis, non oppidi, nomen est. Sed Euripid. Andromach. v. 16. καὶ πόλεως Φαρσαλίας—ἵν' ἡ θαλασσία Πηλεῖ ξυνῴκει—Θέτις.

38. *Rura colit nemo* cet. feriæ, quas agunt rustici instantibus Pelei nuptiis, egregie et suaviter, qui sequuntur, describuntur versibus. Sic fere Tibullus II. 1. 5.

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et grave suspenso vomere cesset opus:
Solvite vincla jugis cet.

Mollescunt colla juvencis: intermisso his feriis labore, mollitiem quandam trahit jugo detrita et callo obducta juvencorum cervix.—*juvencis* exquisitius pro *juvencorum.*—*Lenzius* in spicilegio observationum, quas mecum per literas communicavit, commode cum hoc loco comparat Fulgent. I. præf. p. 9. edit. Munk. *tam longo fumo lurida parietibus aratra pendebant, et laborifera boum colla jugales in vaccinam mollitiem deduxerant callos: squalebat viduus sulcis ager, et herbidis sentibus olivifero vertici minabatur.*

39. *Humilis vinea,* ubi vitis humilis nascitur, quæ nisi rastro purgatur, palatur et alligatur, natura sua humi serpit et humilis manet. Cic. Tuscul. V. 37. *Vitis et ea, quæ sunt humiliora, neque se tollere altius e terra possunt.* Ipse noster supra Carm. LXII. 49. *Ut vidua in nudo vitis quæ nascitur arvo, Nunquam se attollit* cet.—Vix igitur opus videtur probare velle, vites in Thessalia vel maxime humiles fuisse, quod docte probatum ivit *Lenz.* in not. ad h. l. ex Longi Pastoral. II. 1. ubi ἄμπελος ταπεινὴ in insula Lesbo describitur.

40. *Prono vomere,* ad terram inclinato, presso.

41. *Falx frondator.* tria frondatorum genera fuisse observat Serv. ad Virg. Eclog. I. 57.—*attenuat arbor. umbr.* nimis densas et inutiles arborum frondes exsecat.—*arboris umbra* de *frondibus* sexcenties apud poëtas. vid. *Drackenborch* ad Sil. Ital. IV. 681.

42. *Infertur,* verbum gravius ad rubiginis vim, qua statim occupari solent aratra sine usu jacentia, indicandam.—observa elegantem et artificiosam hujus versûs ex apta epithetorum et nominum collocatione structuram, quam sæpe in hoc carmine animadvertere licet, ut v. 39. 40. 59. 129. et alibi.

43—44. *Ipsius at sedes quacunque* cet. at ædes Pelei, in omni opulentæ regiæ parte et recessu, splendent auro et argento. In errorem hoc loco ab Heins.

Regia, fulgenti splendent auro, atque argento.
Candet ebur soliis; collucent pocula mensis:
Tota domus gaudet regali splendida gaza.
Pulvinar vero Divæ geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchyli purpura fuco.

casu spissius argento et auro splendet." *splendens* nimirum accipit pro *splendens est*, et hoc pro *splendet*, ut v. 308. *complectens*; cf. ad Carm. LXIII. 57.

48. *Ædibus in mediis* Venet. Gryph.—*ædes* et *sedes* sæpissime a librariis permutatæ sunt; vid. *Drakenborch.* ad Liv. I. 55. 4. T. I, p. 216. et ad IV. 20. 11. Tom. II. p. 942. adde *Burmann.* ad Ovid. Fast. VI. 258.

49. *Conchylis* Venet. Gryph. Muret. Cantabrig.

(vid. Var. Lect.) se induci passus est *Mitscherl.*, qui *splendent* propter adjecta *sedes regia* non ferri posse putat, in Lect. in Catull. p. 35. Non cogitavit igitur Vir Cl. τὸ *sedes*, quo pendet *splendent* in plurali ut v. 48. et τὸ *regia* substantive positum esse.—Cæterum expende ornatum in locutione *quacunque opulenta recessit regia* pro vulgari *ubique*:—*ipse* honoris causa sæpe de eo, qui primas partes in aliqua re tenet, vel de quo præcipue sermo est. Sic sæpe αὐτὸς de Achille apud Homerum. de Jasone apud Orph. Argon. v. 864. vid. quos laudat *Burmannus* ad Ovid. Fast. V. I. 45.—*splendent* verbum proprium de apparatu magnifico. vid. *Burmann.* ad Phædr. Fab. IV. 29. 20.

45. *Candet ebur soliis, colluc. pocula mens.* inversa constructio, poëtis familiarissima, pro "solia candent ebore, mensæ collucent poculis."—Amicissimus *Lenzius* in spicilegio observation. ad l. c. scribit: *Quæ de ebore dicuntur, non ad historicas rationes exigenda sunt. Poëta in his, ut poëta, versatus est. Eboris enim usus post Trojanæ expeditionis tempora demum in Græciam importari cœpit. Sed Catullus Homerum secutus esse videtur, in quo passim exempla frequentis eboris usus in variis utensilibus adhibiti prostant.*—Nimirum res antiquiores sæpissime ad sua tempora accommodarunt poëtæ. Sic. v. c. præter temporum rationem *tubarum clangor* apud Virgil. Æn. II. 313. memoratur. Cæterum de *veterum ebore* et *eburneis* *signis* cf. *Heyne* in Nov. Comment. Soc. Sc. Gotting. T. I. n. 96. sqq.

47—49. *Pulvinar geniale*, lectus genialis vel nuptialis, λέκτρον γαμικὸν, νυμφίδιον.—vid. Lips. Elect. I. 16.—aliam lecti genialis descriptionem in nuptiis Jasonis et Medeæ vid. apud Apoll. Rhod. IV. 1141.—*sedibus in mediis*, in medio palatio.—*Indo quod dente polit.* ornate pro vulgari "cui affabre ex ebore Indico facto instrata fuit vestis purpurea." *Indo dente*, nimirum alii osseam illam ex ore elephantis hinc inde prominentem partem *dentem*, alii *cornu* vocant: vid. *Broukhus.* ad Propert. II. 23. 12. et *Drackenborch.* ad Sil. Italic. XVI. 206.—In summo pretio autem fuisse *ebur Indicum* operose docet *Cerda* ad Virg. Georg. I. 57.—*purpura*, vestis purpurea. *tincta roseo fuco* exquisitius pro *succo*; unde sæpe hæ voces confusæ sunt: vid. *N. Heins.* ad Claud. in Rufin. I. 207. et *Heyne* ad Tibull. VI. 2. 16. in Observ. p. 215.—*conchyli*: diversum esse conchylium a purpura, licet id discrimen non semper servetur, probare studuit *Bochart.* Hierozoic. IV. 9. —Accommodate ad nostrum Hor. Sat. II. 6. 102.

In locuplete domo—rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet, vestis eburnos.

Cum Theocrit. Adoniazus. v. 125. sqq. hunc locum comparavit *Valckenaer.* in Annotatt. in Adon. p. 406.

Hæc vestis, priscis hominum variata figuris,
Heroum mira virtutes indicat arte.
Namque fluentisono prospectans litore Diæ
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores:
Necdum etiam sese, quæ visit, visere credit;

55. Mira in hoc versu miserrime depravatæ lectionis tam in scriptis quam

50. *Hæc vestis* stragula ut sæpe; vid. *Ferrar.* de Re Vest. IV. 3. P. II. adde *Ernesti* in Clav. Cic.—*priscis homin. var. figur.*, variis priscorum hominum imaginibus vel picturis distincta.

51. *Heroum virtutes indic.* res illustres et celebres ex ætate heroica repetitas. Ex pluribus autem, quæ huic vesti intextæ fuisse videntur prisca ætatis figuræ et fabulæ, unam tantum latius hoc carmine sibi exsequendam sumsit et delegit poëta. Colligere inprimis hoc possumus ex vers. 266:

Talibus amplifice vestis decorata figuris.

h. e. ejusmodi generis figuris; alias, dixisset *his figuris*.—*mira arte*, mira artificis dexteritate intextas.

52. *Fluentisono*, quod, (ut supra, Carm. XI. 4. dicebatur) *longe resonante unda tunditur*, διὰ πολύφλοισβον περιηχούμενος τῷ κύματι.—*Diæ*: intellige insulam Naxum, unam e Cycladibus. Diodor. Sicul. IV. 16. p. 308. edit. Wesseling. καὶ κατῆρεν εἰς νῆσον τὴν πρότερον μὲν ΔΙΑΝ, νῦν δὲ ΝΑΞΟΝ προσαγορευομένην et sic constanter veteres, cf. *Heyne* ad Apollodor. III. 5. 3. p. 578. Sed longe aliter, qui non raro fluctus in simpulo movere solet, sentit Vossius. Non enim *Naxum*, quod plerique statuunt, per *Diam* intelligendam esse contendit, sed *Diam Cretensem*, quæ vulgo *Standia* appellatur. Ad hanc suam exornandam sententiam duobus inprimis utitur argumentis; primum quidem, quod Naxus nimis a via Thesei remota sit; deinde, quod querelæ, quas infra fundit Ariadne [v. 184. *Præterea nullo littus, sola insula, tecto* cet.] vix de insula Naxo valere queant. Quod ad primum attinet, consulto omnino Theseus in fuga rectam viam reliquisse videtur; ut taceam alia, quibus ille vel invitus in mari a recta via abripi potuit. Quod ad alterum attinet, cogitare debemus, Ariadnen ad littus maris, in solo et remotiori insulæ loco, a Theseo derelictam esse, ubi omnino in querelas, quas infra jacit, erumpere poterat. Nec nimis subtiliter vehementiori animi commotione jam æstuantis, et summo ob perfidiam Thesei dolore perculsæ, Ariadnes querelæ examinandæ et ad vivum resecandæ sunt, præcipue si Naxum cum ejus patria Creta, *centum urbibus* (ut canit Horat.) *nobili* comparamus.—*Naxus* denique sacra erat Baccho, et peculiare ejus domicilium, vid. *Barth.* ad Stat. Theb. VII. 686. in qua ipse Bacchus ex India rediens triumphum bacchicum egit. Virg. Æn. III. 125. ubi cf. *Heyne*. Quod enim Vossius putat, Bacchum quærendæ Ariadnes causa accessisse illam desertam Cretensium insulam, ridiculum pæne est. Vossii vestigia secure, ut solet, legit Vulpius.—Copiosius de *Naxo* egit *Choiseul-Gouffier* Voyage pittoresque de la Grèce, Cahier I.

54. *Furores* de quibusque vehementioribus animi commotionibus, præcipue ex magno amore ortis, cf. v. 94. vid. *C. Barth.* ad Grat. Cyneg. v. 284. et *Vir Doctus* in Observatt. Miscell. T. II. p. 234.—*indomitos*, quorum vis et impetus nulla ratione supprimi et coerceri potest: exempla suppeditat *Burmann.* ad Ovid. Art. Am. III. 511.

55. *Necdum etiam sese* cet.: vix fidit,

Utpote fallaci quæ tum primum excita somno
Desertam in sola miseram se cernit arena.
Immemor at juvenis fugiens pellit vada remis,
Irrita ventosæ linquens promissa procellæ:
Quem procul ex alga mœstis Minois ocellis,
Saxea ut effigies bacchantis prospicit Evoe;
Prospicit, et magnis curarum fluctuat undis,
Non flavo retinens subtilem vertice mitram,
Non contecta levi velatum pectus amictu,
Non tereti strophio luctantes vincta papillas;

impressis libris deprehenditur varietas, in qua quidem recensenda, ne chartam perdam, ea tantum ponam, quæ VV. DD. ingenio ducti inde exsculpere tentarunt. *Necdum etiam seseque sui tum credidit esse* Vicent. accedentibus Venet. Ald. Gryph. Muret. et aliis.—*Necdum etiam sese, quæ sit, tum credidit esse* Stat.—*Necdum etiam sese quæ sit, vix et sibi credit* Scalig.—*Necdum etiam sese, quæ visit, visere credit* Vossius, quam aliis jam probatam et receptam lectionem nos quoque servavimus.—*Necdum etiam sese quo sit, visit, sibi credit* lepide, ut solet Corradin. —*Necdum etiam sese oblivisci Thesea credit* audacter, ut solet, Lennep. ad Coluth. I, 7. 34.—*Necdum etiam sese ipsa suum tum credidit esse* Nic. Heins. in not. ad Catull.

60. *Ex acta* N. Heins. in not. ad Catull.

65. In examinandis papillarum epithetis, an recte illæ dici queant vel *lactantes*, oculis Theseum in fuga animadvertentibus; somnium fere, quod videt, putat.

56. *Fallaci*, qui fraudi ipsi fuerat, et fallaciam Thesei juverat.—Cæterum *Ariadne dormiens* statuariis et pictoribus sæpe, in qua artem suam ostentarent, materiam præbuit. vid. *Dorville* ad Chariton. p. 241. edit. Lips.

57. *In sola arena*, littoris arenosi solitudine.

58. *Immemor* sc. promissorum, perfidus.—de perfidia Thesei vid. quos laudat *Wesseling*. ad Diodor. Sicul. IV. 61. Tom. I, p. 305.

59. *Irrita vent.* cf. ad v. 142.

60. *Alga*, algoso littore, ut *arena* v. 57.

61. *Saxea ut effig.* cet. Ut furibunda et rabie percita mulier bacchans exprimi solet in saxo vel marmore, quæ *Evoe* clamare videtur et vultum torvum in ea, quæ e longinquo oculis subjiciuntur, jacit; ejusmodi imaginem oculis jam Theseum persequens refert et exprimit Ariadne.—Summa hujus exquisitissimæ comparationis vis, bacchantis imagine, in qua tam corporis quam animi motus egregie ab artificis manu expressi sunt, animo nostro repræsentata, percipi magis a lectoribus debet quam declarari ab interprete.—*prospicere*, procul spectare, ut sæpe; exempla collegit *Burmannus* ad Phædr. Fab. I. 17. 8.

62. *Curar. fluct. undis*: νόος δὲ οἱ ἠΰτε κῦμα, εἰλεῖται. Oppian. Hal. 505.—undarum fluctus eleganter et sæpe ad alternantes et undantes quasi perturbati animi motus transferuntur. exempla vid. apud *Drackenborch.* ad Sil. Ital. IX. 527.

63. *Flavo vert.* cf. ad vers. 98.—*mitram*: mitra est fascia, qua caput redimitur. vid. *Burmann.* ad Ovid. Met. V. 53. Griev. in Lect. Hesiod. c. XXIII. et *Ernesti* in Clav. Cic. s. h. v. —*Mitscherl.* comparat Homer. Hymn. in Cerer. v. 41.

65. *Non tereti stroph. luct. vinct. pap.*: de strophio (ταινίᾳ) quo papillas feminæ coercebant, vid. *Heins.* ad Ovid.

Omnia quæ toto delapsa e corpore passim
Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.
Sed neque tum mitræ, neque tum fluitantis amictus
Illa vicem curans, toto ex te pectore, Theseu,
Toto animo, tota pendebat perdita mente.
Ah misera, assiduis quam luctibus externavit
Spinosas Erycina serens in pectore curas
Illa tempestate, ferox quo tempore Theseus

quod est in tribus Venet. Ald. Colin. et Gryph. vel *lactentes* in MSS. Statii et Vicent. vel *lucentes*, quod vult Stat. multus est Mitscherl. in Lect. in Catull. p. 51.—56. jure denique in nostra lectione *luctantes* acquiescit.

66. *Tenero* pro *toto* conjecit *Gurlitt*, minus bene. nam nostra lectio ad rem augendam multo majorem vim habet.

67. *Allidebant* Gryph. et in quibusdam aliis, utrumque recte; sed *allidere* de aquarum appulsu plerumque a Viris Doctis male impugnatum est. vid. *Gesner* ad Columell. IV. 20. ubi pro *alludebant* in loco nostro mavult *alluduntur* citra necessitatem.

69. 70. *Toto te pectore Theseu, Toto animo, tota prodebat perdita mente* Ald.—*toto te ex pectore* male vulgo.

71. *A* pro *Ah* antiqua Stat. cf. *Gifan.* et *Burmann.* ad Ovid. Met. II. 491.—*misertum* in plerisque vett.—*externavit* Stat.

73. *Ferox et tempore* liber optimus Vossii, *feroxque et tempore* vitiose MSS. Statii, *ferox quo et tempore* vulgata nunc fere lectio, sed et sic me offendit particula *et*, quam sine hæsitatione delevi, præcipue cum hoc jam factum sit in aliis bonæ notæ editt. Gryph. ab anno 1537. Muret. Cantabrig.

Art. Am. III. 274. *Magius* Var. Lect. III. 3. et *Ernesti* in Clav. Cic. s. h. v. Eodem sensu *fascia* apud Martial. XIV. 134. 1.

Fascia crescentes dominæ compesce papillas.

Luctantes cum vinculis nimirum, quibus cohibentur, turgentes, contra nitentes et enitentes papillæ.

67. *Fluctus salis alludeb.*: Cic. de Nat. Deor. II. 39. *Mare terram appetens littoribus alludit.* sic προσπαίζειν apud Græcos.

69. *Illa vicem cur.*: Nulla mitræ et fluitantis ante pedes amictûs ratione habita.—*fluitantis* ob vers. antecedentem proprie accipio.—*vicem* eleganter inservit periphrasi in rebus, quas dolemus. Sed Ariadne jam non dolebat vicem amictus in undis natantis.

69—70. *Toto ex te pectore pendeb.*: *pendere ex* vel *ab* aliquo dicitur, qui toto animo alicui addictus est et vacat, toto animo in aliquo vel contemplando vel audiendo defixus est.—Cæterum observa, quam egregie eadem ter repetita notio et idem ter repetitum adjectum *toto* affectûs vim declaret et exprimat.

71. *Externavit*, adeo perturbavit et implevit ejus animum, ut vix sui compos esset. vid. *Pricæus* ad Apuleium p. 111.

72. *Spinosas curas*: spinosæ curæ (ἀκανθώδεις μερίμναι) sunt, quæ animum lacerant, pungunt et cruciant.—*curæ* de amore pervulgatum. *gravi cura saucia Dido* apud Virgil. Æneid. IV. 1.—deleta interpunctione post *curas*, junge *serens illa tempestate spinos. cur. in pector.* (Ariadnes) *quo tempore* cet.

73. *Illa tempestate, quo tempore*: hoc plenius loquendi genus illustrat Vossius exemplo Ciceronis *ejus temporis, quo die.* brevius idem dicit Noster infra Carm. LXVI. 11. *Qua rex tempestate,—vastatum fines iverat Assyrios.*

Egressus curvis e litoribus Piræi
Attigit injusti regis Gortynia tecta.
Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeoneæ pœnas exsolvere cædis,
Electos juvenes simul et decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
Quîs angusta malis cum mœnia vexarentur,

74. *Pyreæi* Ald. I. Gryph. I.—*Pyræi* in quibusdam.

75. *Inviti regis* Heins. in not. ad Catull.—*Gortynia templa* MSS. Meleagri, Scaligeri et edit. R. non male; recte enim *templa* de amplis ædificiis dicuntur. Sic *templum* apud Cicer. pro Dom. 51. de *curia* dicitur.—*Cortynia* in nonnullis.

79. *Cecropidum solitum esse* et paulo ante v. 76. *coactos* pro *coactam* audacter Heins. in not. ad Cat.

80. *Augusta* pro *angusta* male in quibusdam vett. legitur: vid. not.—sæpissime autem in his scribendis vocibus aberrarunt negligentiores librarii. vid. *Burmannus* Sec. ad Claud. in Rufin. I. v. 204. imprimis *Drackenborch*. ad Liv. V. 41. Tom. II. p. 180.—pro *vexarentur* duo vetusti libri apud Stat. *versarentur*. sed has quoque voces non raro turbavit librariorum ignorantia. vid. quos laudat *Drackenborch*. ad Liv. II. 34. Tom. I. p. 392.

75. *Injusti regis.*—Minos, cujus celebratissima in antiquitate est justitia, *injustus* vocatur respectu Atheniensium, a quibus tam dirum quotannis tributum exigebat.—*Gortynia tecta,* Cretam: *Gortyna* Cretæ metropolis.

76—79. *Nam perhibent olim.* Sensus: nam tradunt, olim Athenienses crudeli pestilentia pœnas propter cædem Androgei solvere coactos, juvenes electos et virgines præ cæteris forma et ætatis flore eminentes, (*dapem*) tanquam sacrum et religiosum epulum Minotauro dare solitos fuisse (h. e. ex pacto quotannis misisse).—*Androgeoneæ cædis: Androgeus,* Minois et Pasiphaes filius, vir fortissimus, et sæpe in publicis Græciæ ludis victor, ex invidia occisus ab Atheniensibus et Megarensibus.—*crudeli pest. coact.* tum bello, quo hanc ab Atheniensibus illatam injuriam ulturus erat Minos, quam *fame et pestilentia;* responsum autem erat Atheniensibus oraculo, eos non prius, quam Minoi satisfactum sit, malorum finem experturos esse. Minos autem tributum septem juvenum et puellarum quotannis postulavit.—*Electos juvenes et dec.* alii eos missos esse tradunt facto delectu, alii ductis sortibus. Virgil. Æneid. VI. 20:

—*tum pendere pœnas*
Cecropidæ jussi (miserum!) septena quotannis
Corpora natorum: stat ductis sortibus urna.

Fabulam tirones legant apud Diodor. Sicul. IV. c. 60. 61. Apollodor. III. 15. Ovid. Met. VII. 456. et VIII. 153.—*Minotauro:* notissima est fabula Minotauri: οὗτος εἶχε ταύρου πρόσωπον, τὰ δὲ λοιπὰ ἀνδρός, secundum Apollodor. III. 1. 4. cf. *Heyne* in not. p. 537.—capite bubulo, parte inferiore humana, Minotaurum quoque describit Hygin. Fab. XL.—sed nummi Gelensium et Taurominitarum in Sicilia, Neapolitanorum et plurium aliorum per Magnam Græciam, eundem corpore taurino et corpore humano instructum exhibent: de quo inter nummos et autores dissensu vid. Voss. ad v. 111. et *Wesseling.* ad Diodor. Sicul. IV. 77. n. 32. Tom. I. p. 320. qui laudat *Spanhem.* de Us. et Pr. Num. Diss. 5.

80. *Angusta mœnia,* Athenienses in rebus trepidis et angustiis versantes, ob publicam calamitatem miseri ac afflicti.

Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Projicere optavit potius, quam talia Cretam
Funera Cecropiæ ne-funera portarentur.
Atque ita nave levi nitens ac lenibus auris
Magnanimum ad Minoa venit, sedesque superbas.
Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo
Regia, quàm suaves exspirans castus odores
Lectulus in molli complexu matris alebat;
Qualis Eurotæ progignunt flumina myrtos,
Aurave distinctos educit verna colores;
Non prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam

83. *Funera nec funera* Venet. Gryph. Muret.—*funera, ne funere* Stat.—*Munera Cecropiæ seu funera* vel *ceu funera* conjicit N. Heins. in not. ad Catull.—at sic omnis hujus versus perit elegantia.—*ne* et *nec* sæpe confunduntur in MSS. : vid. *Drackenborch.* ad Liv. III. 47. 7. Tom. I. p. 737. et quos ibi laudat.

89. *Myrtus* Voss. et alii, recte. veteres enim hujusmodi arbores per *us* in plurali efferre solebant, ut docet *Cerda* ad Virgil. Georg. II. 71.

92. *Cuncto*: in nonnullis *toto*, quod si admittimus, ait Heins. in not. ad Catull., versu subsequenti *testa* pro *tota* legendum erit.

82. *Projicere optav. potius*: maluit contemta vita se objicere periculo, vitam suam devovere, ἑαυτὸν παραβάλλειν, ἀποβάλλειν ψυχήν. vid. quæ egregie de hac locutione notavit *Drackenborch.* ad Sil. Ital. X. 42.

83. *Funera ne-funera*, ergo *viva* funera. *ne-funera* pro *non funera*, ut *nevolt* pro *nonvult* apud Plaut. Trinum. II. 2. 83.—Amarunt imprimis hoc loquendi genus suaviter et cum sale sibi repugnans Græci, qui commodius ad hanc formam uti poterant τῷ α, quod Grammatici vocant *privativum.* multa exempla conduxit Vulp. Sed plenissime et elegantissime de hac dictione egerunt *Hemsterhus.* ad Lucian. T. I. p. 698. et ibidem *Iensius. Rittershus.* ad Oppian. p. 29—32. et quos laudat *Alberti* ad Hesych. Tom. I. p. 275. n. 4.

84. *Nave levi nit. ac len. aur.*: *niti* jam est *fortsteuern*; proprie enim nautæ nituntur remis. *lenibus auris*, ope et afflatu secundi venti.

85. *Magnanimum*: invidiose jam vocat Minoem, quem versu 75. *injustum* vocaverat, *magnanimum*, h. e. altos spiritus trahentem, insolentius contra Athenienses se efferentem.

86. *Hunc simulac cupid.* Theocr. Id. III. 42. ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλλετ' ἔρωτα.

87. 88. *Quam suav. exsp.* cet. ornate et splendide pro vulgari "quæ in sinu et domo matris adhuc delitescebat innupta et indelibata." cf. supra Carm. LXI. 88. et LXII. 22. Commode laudat Mitscherlich. in Lect. in Cat. p. 87. Hesiod. Ἐργ. 520.

Ἥ τε δόμων ἔντοσθε φίλῃ παρὰ μητέρι μίμνει,
Οὔπω ἔργ' εἰδυῖα πολυχρύσου Ἀφροδίτης.

Lect. exspir. odores. cf. supra ad Carm. VI. 8.—*alebat*, fovebat, educabat.

89. *Myrtos.* cf. supra ad Carm. XI. 22.

90. *Educit*, educat. cf. supra ad Carm. XIX. 14.—*educere* pro *educare* sæpe apud Cic. Or. II. 28. Terent. Adelph. III. 5. 49. cf. *Burmann.* ad Sammonic. v. 64. et *Drackenb.* ad Liv. I. 4. 7.—*distinctos colores*, varios flores.

Funditus, atque imis exarsit tota medullis.
Heu! misere exagitans immiti corde furores,
Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
Quæque regis Golgos, quæque Idalium frondosum,
Qualibus incensam jactastis mente puellam
Fluctibus, in flavo sæpe hospite suspirantem!
Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quantum sæpe magis fulgore expalluit auri!
Cum sævum cupiens contra contendere monstrum,
Aut mortem oppeteret Theseus, aut præmia laudis.

96. *Quique* male in quibusdam vett.—*frondosam* volebat Scalig. sed cur non supra corrigit Carm. XXXVI. 12. *sanctum Idalium.*
97. *Qualibet* MSSC. Statii male!
102. *Appeteret* et *expetere* in quibusdam libris Muret.

94. *Heu! misere exagit. immiti cord. furor.* trahebam olim hunc versum ad Ariadnen, et *immiti corde* explicabam *immaturo*, amore nondum domito et subacto; multo enim vehementius amat, qui prima vice amoris vim experitur.—Sed multo elegantior omnino et concinnior efficitur oratio, si hic versus (ut vult *Gurlitt in* Observatt. ad h. c. p. 117. 118.) cum sequenti conjunctus ad Amorem refertur, qui *immiti corde* (h. e. sævo pectore) hominum animos furore exagitare dicitur; hanc tamen elegantiorem orationis nexum vix verba juvare et admittere videntur; valde enim dubito, an recte in latina lingua *exagitare furores*, quod putat *Gurlitt*, simpliciter pro *concitare, commovere furores* dici possit. Quid? si legamus *Heu! misere exagitans immiti corda furore.*

95. *Sancte puer*, ut *sancta Venus* supra Carm. XXXVI. 3. ub vid. not.—*curis hominum qui gaudia misces*, simillime infra de Venere, Carm. LXVIII. 18., *Quæ dulcem curis miscet amaritiem.*—suaviter in hanc rem Anacreon. Od. XLV. 5.

> Ἀκίδας δ' ἔβαπτε Κύπρις
> Μέλι τὸ γλυκὺ λαβοῦσα·
> Ὁ δ' Ἔρως χολὴν ἔμισγεν.

Hinc Ἔρως γλυκύπικρος Posidippo in Anal. Vet. Poët. Græc. Brunk. Ep. XI. 4. Tom. II. p. 48.—cf. Musæus v. 166. et plura in hanc rem collecta a C. *Barth.* ad Claud. de Nuptiis Honor. et Mariæ v. 70.—adde *Dorville* ad Writon. p. 426. edit. Lips.

96. *Quæque regis Golg.* cf. supra Carm. XXXVI. 11. 13.

98. *Fluctibus* sc. curarum. cf. ad v. 62. adde *Drackenb.* ad Sil. Ital. VIII. 32.—*in flav. sæp. hosp. suspir.* Ovid. Fast. I. 417.

> *Hanc cupit, hanc optat; sola suspirat in illa.*

Suspirare de amantibus passim obvium. vid. *Brouckhus.* ad Tibull. I. 7. 41.—*flavo* h. e. pulchro. *Flavos* enim crines vel maxime adamabant veteres. vid. *Salmas.* ad Tertull. de Pall. p. 352.—*Brouckhus.* ad Tibull. I. 6. 8. et *Interpretes* ad Petron. c. CX.—sic ξανθὸς apud Græcos. vid. *Perizon.* ad Ælian. IX. 9.

100. *Quant. sæpe mag. fulgore expall.* infra Carm. LXXXI. 4., *Hospes inaurata pallidior statua*; ad exemplum Græcorum, qui *auro* colorem pallidum ὦχρον, χλωρὸν tribuunt.—vid. *Hemsterhus.* ad Lucian. Tom. I. p. 503. 4. et *Burmann.* ad Ovid. Met. XI. 145.

102. *Mortem oppet.*—*mortem oppetere* recte ex usu loquendi dicitur, non

Non ingrata, tamen frustra, munuscula Divis
Promittens, tacito suspendit vota labello.
Nam velut in summo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram sudanti corpore pinum,
Indomitus turbo contorquens flamine robur

104. Turbant et variant libri veteres. alii efferunt *succendit*, alii *succedit*, unde Stat. et Voss. fecerunt *suscepit*. nostram lectionem, quam ut longe elegantiorem τῷ *suscepit*, quod defendit Mitscherl, præfero, (vid. not.) tuentur edit. Venet. Gryph. Muret. Cantabrig. Vulp.

106. *Congestam sudanti corpore pinum* defendit Vossius ex libro Mediolanens. ut *congesta* pinus sit, *densa*, compacta, robusta, πυκνά. Statius quoque in duobus MSS. *corpore* se invenisse affirmat, in uno tamen *cortice*, et sic est in edit. Venet. Gryph. Muret. Græv. Vulp. Bipont.—*nutanti vertice* Heins. volebat in not. ad Catull. et idem *fluitante vertice* ad Claudian. p. 932.—*Lenzius* tentat *crinigero nutantem in vertice pinum; in vertice* sc. montis. Equidem lubenter acquiesco in lectione nostra *conigeram sudanti corpore pinum*, egregie enim τὸ *sudanti* convenit pinui, quæ stillat vel *sudat* resinam, quemadmodum *nemora thura et balsama sudare* dicuntur apud Tacit. de Morib. Germ. c. 45.: epitheta physica autem vel maxime amat Catullus.

idem *præmia*; sed, ut constat, plura sæpe verbis adduntur nomina, quamvis uni tantum accommodari possint.

103, 104. *Non ingrata, tamen frustra* cet. Sensus: tacite optavit cædem Minotauri, promittens Diis munuscula, grata omnino illis et accepta. *Nam velut in summo* cet. (*frustra tamen*) ipsi tamen nihil profuerunt, immo eam reddiderunt miserrimam.—*Suspendit*, multo exquisitius et elegantius quam vulgare *suscepit* (vid. Var. Lect.); habet enim notionem timoris et trepidationis, qua dissimulare studebat fraternæ cædis votum.—*suspendit vota labello*, vix audet verbulum, ne quis forte audiat, de hoc voto pronunciare, ne labellum quidem hoc pronunciando voto movet. sic *pes suspendi* dicitur, quem caute et sollicite ponimus, ne ejus strepitus audiatur. *suspendere vota tacito labello* igitur eleganter et exquisite dicitur pro vulgari "clam et tacite optare."—Cæterum in illustrando veterum tacite vota concipiendi more copiosus est Vulp. adde *Brouckhus.* ad Tibull. IV. 3. 11. et *Burmann.* ad Petron. c. LXXXV.

105—111. *Nam velut in summo* cet. Nam quemadmodum indomitus venti turbo vel ramosam quercum vel conigeram et resinosam pinum in alto quodam monte, vi sua ejus truncum corripiens, eruit: illa (quercus vel pinus) radicitus exstirpata, procul a loco, ubi steterat, præceps labitur, et omnia, quæcunque latius propiusve obvia ei fiunt, confringit; ita Theseus vicit et prostravit Minotaurum, frustra in altum jactantem cornua. Sic omnia egregie cohærere puto (vid. Var. Lect.). Præivit in hac adumbranda imagine, quam sæpe deinde sequioris ætatis poëtæ studiosissime exornarunt, Homerus. cf. Iliad. IV. 482. XIII. 389. XVI. 482. cf. Virg. Æn. II. 626. et plura ibi in hanc rem collecta loca a *Cerda.* adde imprimis Horat. Od. IV. 6. 10. ubi *cupressus Euro impulsa late procidere* dicitur, et quæ ibi notavit *Cl. Jani.*—pro quovis monte celso ornate ponitur *Taurus*, mons celsissimus Asiam fere totam mediam percurrens.—*brachia* de ramis grandioribus sæpe. cf. *Barth.* ad Stat. Theb. I. 361.—*sudanti corpore pin.* vid. Var. Lect.—*sævum*, Minotaurum, de quo cf. ad vers. 79.—*sævus* absolute; ut *ferus* de leone supra Carm. LXIII. 85. ubi cf. not.—*vanis ventis* doctius pro "ad vel contra ventos vanos." *venti vani* sunt inanes, vacui, quos frustra ictu invadimus.

Eruit: illa procul radicibus exturbata
Prona cadit, lateque et cominus obvia frangens:
Sic domito sævum prostravit corpore Theseus
Nequidquam vanis jactantem cornua ventis.
Inde pedem sospes multa cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui vestigia filo:
Ne labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobservabilis error.—
Sed quid ego, a primo digressus carmine, plura
Commemorem? ut linquens genitoris filia vultum,
Ut consanguineæ complexum, ut denique matris,

108. *Exstirpata* in quibusdam, haud dubie ex glossa.—verba *illa procul radicibus exturbata Prona cadit* uncis includit et in parenthesi dicta accipit *Lenzius*, ita, ut sequentia ad *turbinem* referantur; parum commode ex mea sententia, voluit enim inprimis poëta hac instituta comparatione gravem casum vasti corporis Minotauri adumbrare.

109. Statius ex veteri scriptura, *lateque ejus ejus obvia*, quam ex uno L. MS. profert, reponit *late quæcunque sibi obvia*; at Vossius ex depravata lectione vett. exemplarium et duorum MSS. Statii *lateque et cum ejus* fecit *late quæcunvis obvia fr.*—nostram dedit ex veteri libro, quem trivit, Scaliger.

110. *Prosternit* Scalig.—*Lennep.* ad Coluth. I. 7. cum *sævum* sine addito substantivo non posset concoquere, audacter corrigebat, *Sic domitum taurum prostravit robore Theseus.* Ingeniosius *Lenzius*, *Sic domito sævum prostravit corpore taurum Necquidquam ventis jactantem cornua Theseus.* sed nimis sæva manu; vid. not.

112. *Victor* pro *sospes* Vossius addicentibus MSS. sed *Statius* idem testatur de *sospes*. eligat sibi quisque. alterum de his duobus est glossema, et, ut mihi videtur, haud dubie *victor* ex margine irrepsit, et trusit genuinam lectionem *sospes*.

116. *Sed quid ego primo* omissa præpositione in Venet.—*in primo* in quibusdam.—*Sed quom primo* Mediolanens. unde Vossius *quorsum primo*.

118. *Ut consanguineas, complexum ut denique matris* Heins. in not. ad Catull.

113. *Tenui filo:* cf. Hygin. Fab. LII. et ibi *Muncker*.

115. *Tecti frustraret. inobserv. err.* —*cæca tecta* labyrinthum vocat Virg. Æn. VI. 27. cf. *Heins.* ad Val. Flacc. I. 601.—*δίκημα, καμπαῖς πολυπλόκοις πλανῶν τὴν ἔξοδον* Apollodor. III. 2. 4. cf. *Heyne* in not. p. 538. sqq.

116. *Sed quid ego a primo digress.* Ipse poëta se revocat a digressione, sed frustra cohibere tentat impetum, quo semel ejus animus re præsenti inflammatus erat.—*Lenzius* in Spicileg. Observatt. comparat Apoll. Rhod. I. 1220.

117—120. *Ut linquens genitoris* cet. Sensus: quomodo filia patrem, sororem, matrem (quæ summo affectu abrepta multas ob miseram filiam fudit lacrimas) relinquens, dulcem Thesei amorem his omnibus (patri, matri et sorori) (*læta*) læto et tranquillo animo præferre non dubitaverit.—*genitoris vultum* eleganter pro *patrem*; jucundissimus enim liberis esse debet patris adspectus.—*Consanguin. amplex.* et *matris* molliter pro simplici *sororem* et *matrem*.—*Consanguinea* (*ὅμαιμος*) pro sorore, quæ fuit *Phædra*.—verba *Quæ miser. in gnat. flev. deperd.* commode, puto, in parenthesi posui. *flere in nata.* h. e. flere ob natam, ut vers. 98. *in aliquo suspirare.*—Jam confer Var. Lect. et ipse de lectionis et interpretationis nostræ simplicitate judica.

[Quæ misera in gnata flevit deperdita,] læta
Omnibus his Thesei dulcem præoptarit amorem?
Aut ut vecta ratis spumosa ad littora Diæ?
Aut ut eam tristi devinctam lumina somno
Liquerit immemori discedens pectore conjux?
Sæpe illam perhibent ardenti corde furentem
Clarisonas imo fudisse e pectore voces,
Ac tum præruptos tristem conscendere montes,
Unde aciem in pelagi vastos protenderet æstus:
Tum tremuli salis adversas procurrere in undas
Mollia nudatæ tollentem tegmina suræ:

119. Varie hic versus in variis editt. legitur, et varia adhibita medelâ, ut fit, corruptus magis quam sanatus est. In plurimis libris MSS. teste Statio et aliis hic versus legitur fere sic: *miseru ignara* (vel *ignata, ingrata, agnata*)* *deperdita leta* vel *læta*, quæ corruptæ lectiones proxime ad eam, quam dedimus, lectionem accedunt; nihil enim facilius et simplicius quam ex corrupta lectione *ignata* elicere *in nata*, et ejusmodi verbo lacunam explere, quod ipsa res flagitat; egregie enim quadrat *flevit*, et sensus ex nostra lectione exit commodissimus: vid. not. sed plurimæ editt. Venet. Gryph. Muret. Cantabrig. Vulp. exhibent hunc versum sic: *Quæ misero gnatæ fleret deperdita luctu.*—liber Comelin. *Quæ fuit ingratæ misero deperdita læto.*—Meleager vult: *Quæ misera agnato fuerit deperdita letho.*—Scaliger proponit: *Quæ misera ingrata vixit deperdita tela*, h. e. quæ solata est dolorem suum tela facienda.—Vossius tentat: *Quæ misera gnati misero deperdita letho.*—edit. Græv. *Quæ misera ah gnaræ fleret deperdita luctu.*—Heins. in not. ad Catull. *Væ miseræ, ingrato fleret deperdita luctu.*—Lennep. ad Coluth. *Quæ misera in gnatæ tabebat perdita lecto.*—Lenzius denique: *Quæ mæsto gnatam flevit deperdita luctu.* En varias epulas, quibus largiter se invitare possunt varietatis cupidi!

120. *Præferret* in editt. plurimis.

122. *Dulci* pro *tristi* in Venet. Gryph. Muret. et aliis; sed primum ingrata est repetitio τοῦ *dulcis* ex versu præantecedenti, deinde rectius etiam vocatur *somnus* jam *tristis*, qui versu 56 *fallax* appellabatur.—pro *devinctam* nonnulli *devictum* non male, lumina enim et somno *vincta* (μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ) et *victa* recte dicuntur. vid. *Heyne* ad Tibull. I. 2. 2. Observ. p. 15. edit. nov. et ibidem *Brouckhus*. peccarunt autem in his duobus permutandis verbis librarii sæpe. vid. quos laudat *Drackenborch*. ad Sil. Ital. VI. 384. et ad Liv. V. 44. Tom. II. p. 194. et ad IX. 30. Tom. II. p. 957.

125. *Clarificas* Scalig. reclamante Marcilio.

122. *Somno tristi*: cf. Var. Lect.

126. *Conscendere*: præteritum excipit præsens; quæ temporum mutatio admittitur optimis quibusque scriptoribus: vid. *Cort*. ad Sallust. Jugurth. cap. 13. §. 6. imprimis *Drackenborch*. ad Liv. III. 46. Tom. I. p. 731. et Clark. ad Homer. Iliad. I. 37.

127. *Unde aciem in pel. vast. prot. æst.*, omnem prospectum late pelago peteret; ut loquitur Virg. *Æn*. I. 181.

129. *Tegmina suræ* recte de tunica, quæ crura tegebat, accipit *Lenzius*, et in hanc rem laudat Homer. Hymn. in Cerer. v. 176.—Reprehendit poëtam *Duschius* in libro supra laudato, quod parum decore in hoc loco agentem Ariadnen induxerit; sed si cogitamus, Ariadnen jam agere victam dolore et furoris æstu correptam, egregie potius affectum expressisse quàm contra decorum peccasse videtur poëta.

Atque hæc extremis mœstam dixisse querelis,
Frigidulos udo singultus ore cientem:—
Siccine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deserto liquisti in littore, Theseu?
Siccine discedens, neglecto numine Divûm,
Immemor ah! devota domum perjuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Consilium? tibi nulla fuit clementia præsto,
Immite ut nostri vellet mitescere pectus?
At non hæc quondam nobis promissa dedisti
Voce: mihi non hæc miseræ sperare jubebas:
Sed connubia læta, sed optatos hymenæos:
Quæ cuncta aerii discerpunt irrita venti.

132. *Patriis ab aris* Vossio et aliis magis arridet, accedente quoque *Burmanno* ad Ovid. Metam. XIV. 476. nec insolens est librariorum error in commiscendis his duabus vocibus. vid. *Drackenborch*, ad Sil. Ital. XIII. 81. magis tamen mihi placet *oris*.

134. *Neglecto nomine* in aliis, male! gravius enim jam est *numine*. librariorum negligentiam in describendis his vocibus notavit *Heins*. ad Ovid. Her. II. 39. et *Drackenborch*. ad Sil. Ital. XVI. 655.

138. *Mitescere* male quidam mutarunt in *miserescere*, eleganter enim respondet voci *immite*.—pro *nostri* finxit Scaliger *monstri*, refutante Vossio.

139. Frigere in versu sequenti *voce* videbatur *Mitscherlichio*, unde hunc et sequentem versum scribendum putat: *At non hæc quondam b l a n d a promissa dedisti Voce mihi, non hoc m i s e r a m sperare jubebas.* et sic est in edit. Parthenii, Gryph. Muret.

130—31. *Atque hæc extrem.* cet. Huc respexit Tibull. III. 6. 89.

Gnosia, Theseæ quondam perjuria linguæ
Flevisti ignoto sola relicta mari.
Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus,
Ingrati referens impia facta viri.

134. *Neglecto numine divûm*, nihil curans perfidiæ vindices deos, contemta deorum potestate et justitia.

135. *Devota perjur.* exsecranda, abominanda. Suaviter autem *portare domum perjuria* pro "perfido animo redire."

137. *Præsto fuit*, adfuit animo tuo, succurrit. *clementia* sensus humanitatis.

138. *Ut vellet mitescere* pro "ut mitesceret." τὸ *velle* abundat passim. vid. *Burmannus* ad Petron. c. LXX. et ad Phædr. I. 29. 6.—Sic ἐθέλειν apud Græcos. vid. *Gataker*. ad Antonin. p. 293. et Advers. Miscell. I. 3. p. 43.—ad *nostri* supplet Vossius *ergo* vel *gratia*: malim *immite pectus nostri* h. e. erga nos.

140. *Voce* blandiendo, cum adhuc in amplexibus meis esses, coram.—*sperare*, timere. Sic passim in malam partem occurrit *sperare*; vid. *Ernesti* in Clav. Cic.—eodem modo apud Græcos usu venire solet ἐλπίζειν. vid. inprimis *Wesseling*. ad Diodor. Sicul. XIII. 43. n. 49. Tom. I. p. 574.

141. *Sed connub. læt.* cet. Imitatus est Virg. Æneid. IV. 316.

142. *Quæ cunct. aerii* cet. Theocrit. Idyll. XXII. 167.

Jam jam nulla viro juranti femina credat,
Nulla viri speret sermones esse fideles:
Qui, dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt:
Sed simulac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.
Certe ego te in medio versantem turbine leti
Eripui, et potius germanum amittere crevi,
Quàm tibi fallaci supremo in tempore deessem.
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusque
Præda, neque injecta tumulabor mortua terra.
Quænam te genuit solâ sub rupe leæna?

143. *Tum jam* Venet.—*nunc jam* Muret. Gryph.
145. *Qui dum* male in quibusdam.

—τὰ δ' εἰς ὑγρὸν ᾤχετο κῦμα
πνοιῇ ἔχοισ' ἀνέμοιο.

Stat. Achill. II. 286.

Irrita ventosæ rapiebant verba procellæ.

multa in hanc sententiam collegit exempla Cerda ad Virg. Æneid. IX. 313.

143. *Jam jam nulla viro* cet. notæ muliercularum querelæ! Terent. Andr. III. 1. 1. 2. *Ita pol quidem res est, ut dixti, Lesbia: Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.* sed pariter a viris mulierum accusari solet levitas: cf. infra Carm. LXX. 3. 4. et Tibull. III. 4. 61.—Cæterum digna est, quæ cum hoc loco comparetur mellitissima Elegia Lotichii lib. V. 19. ubi miserationem movent mollissimæ, quas fundit puella ab amatore derelicta, querelæ.

145. *Apisci* proba et antiqua vox. Cic. Epist. ad Div. IV. 5. cf. *Gifan.* Collectan. ad Lucret. s. v. *apisci*, et quos laudat *Cort.* ad Plin. Epist. IV. 8.

146. *Nil metuunt jur. nihil promitt. parc.*; leves in obtestationibus, et faciles in promissionibus.

148. *Dicta nihil metuere* græce pro *metuere solent*, ut supra Carm. LXII. 42. *optavere* et v. 53. *accoluere.*

149. *In medio turbine leti* exquisite pro "in summo vitæ periculo," ut v. 151. *supremo in tempore.*

150. *Germanum*, fratrem Minotaurum. *crevi*, decrevi, judicavi.

152. *Dilaceranda feris dabor* cet. quod atrocissimum visum est veteribus, ut vel ex primis Iliados versibus notum. cf. Virgil. Æneid. IX. 485. et ibi Interpretes.

153. *Injecta terra* (χυτῇ) ex notissima veterum superstitione, qua manes inhumati corporis non posse quieti dari, sed centum annos circa Stygem vel circa corpus errare putabantur. Ad justa autem inhumato corpori solvenda vel particula injectæ terræ aut pulveris sufficiebat. cf. Hor. Od. I. 28. 23. Virg. Æn. VI. 365. adde *Rittershus*, ad Oppian. Halieut. II. 635. *γῆν* vel *κόνιν ἐπαμήσασθαι* dicebant Græci: vid. *Dorville* ad Chariton. p. 422, 23. edit. Lips.

154—56. *Quænam te genuit* cet. Locus sequens in describendo duro et ferrei pectoris homine sæpe a poëtis iisdem fere imaginibus adumbratus est. Sic Tibull. III. 4. 85—93. ubi copia nimium tritorum phantasmatum in hac re fastidium pæne creat, judicante *Hey-*

Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?
Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci præmia vita?
Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
Sæva quod horrebas prisci præcepta parentis;
Attamen in vestras potuisti ducere sedes,
Quæ tibi jucundo famularer serva labore,
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis,
Purpureâve tuum consternens veste cubile.
Sed quid ego ignaris nequidquam conqueror auris,

156. *Scylla rapax* Voss.
159. *Sævaque abhorrebas* Venet.
164. *Conquerar* in duobus MSSC. Statii.

nio. Sic Dido apud Virgil. IV. 365. et apud Ovid. Heroid. VII. 37—40. cf. Met. VIII. 120. sqq.—*leæna:* cf. supra Carm. LX. 1. Theocrit. Idyll. XXIII. 19. κακᾶς ἀνάθρεμμα λεαίνας.—*Quod mare concept.* γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα. Iliad. XVI. 34.

157. *Pro dulci vita,* h. e. pro cara tibi servata vita. cf. v. 148. et 151. *dulci* eleganter pro *tua*. *Lenzius* de Veneris gaudiis accipit.

159. *Prisci parentis,* h. e. severi, morosi; eodem sensu *priscus Cato* vocatur Horatio Od. III. 21. 11. Hinc recte defendit *prisca supercilia* (h. e. adducta, severa, tristia) *Burmannus* ad Virgil. Cop. v. 34.—vid. omnino *Burmannum* Sec. ad Anthol. T. I. p. 717.

161. *Jucundo labore:* quippe quæ magnam ex hoc labore voluptatem perceptura erat; suaviter et molliter!

162. *Candida vestigia,* pulchros pedes. *vestigia* pro *pedibus* passim. infr. Carm. LXVI. 69. Horat. Sat. II. 6. 102.—vide, si tanti sit, *Virum Doctum* in Observv. Miscell. Dorvill. Tom. I. p. 28.—*permulcens* exquisite pro *abluens, perfricans.* Eodem verbo de abluendis pedibus usus est Pacuvius apud Gell. Noct. Att. II. 26.—Ritum, ex quo virorum pedes lavare solebant mulieres, tangit et illustrat Aristoph. Vesp. v. 607. cf. *Schrader.* ad Musæum c. 8. p. 185.

163. *Consternens veste cubil.: Lenzius* in Spicileg. Observv. scribit ad me:—" Potest Catullus videri expressisse Homerum Iliad. III. 411. Odyss. III. 403. et VII. 347. ubi πορσύνειν λέχος, quod de mancipiis æque ac uxoribus dicitur, est *lecti participem esse,* συνευνᾶσθαι, ita ut casta puella rem recte et paulo obscurius eloquatur, adeoque *cubile consternere veste* honesta ratione dictum sit pro μιχθῆναι ἐν φιλότητι, valeatque idem h. l. quod de Il. I. 31. Eustathius dicit, poëtam ibi σεμνῶς locutum esse."—Sed, quominus a proprietate significationis recedamus, primum ipsa Ariadnes oratio prohibet, qua in vers. antecedentt. lubenter servilia officia se obituram esse ait, modo in eadem cum Theseo domo versari sibi liceat; deinde, si notionem illam in nonnullis locis cum hac locutione apud Homerum conjunctam ad h. l. transferimus, omnis profecto loci nostri gravitas perit, et commiseratio, quam in animis lectorum Ariadne excitaverat, hac importuna libidinis cogitatione subjecta pæne abstergitur.

164. *Ignaris auris;* sensu carentibus, ut explicantur versu sequenti.

Externata malo? quæ nullis sensibus auctæ
Nec missas audire queunt, nec reddere voces.
Ille autem prope jam mediis versatur in undis,
Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.
Sic nimis insultans extremo tempore sæva
Fors etiam nostris invidit questibus aures.
Juppiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnosia Cecropiæ tetigissent litora puppes;
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religasset navita funem:
Nec malus hic, celans dulci crudelia forma
Consilia, in nostris requiesset sedibus hospes!
Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?
Idomeniosne petam montes? at gurgite lato

165. *Extenuata malo* Venet. Stat. eadem varietas v. 71.
168. *In acta* Nic. Heins. in not. ad Catull. ut v. 60.
176. *Consilium nostris quæsisset sedibus hospes* Venet. Stat. Corrad.
178. *Idmoneosne* vel *Idmeneosne* vetusta lectio in libr. MSSC. Statii, Scalig. et Vossii; unde Statius *Immanesne*; Scalig. *Isthmon, eosne*; Vossius *Idomeniosne*, cui quidem Vossianæ lectioni, probatæ fere omnibus, qui post Vossium in interpretando Catullo versati sunt, suffragantur, ut testatur Vulpius, duo scripti codices chartacei Saibantium Veronæ, inspecti a *Paulo Galeardo*.—alii *Idæosne* vel *Isthmo-*

165. *Auctæ*, præditæ ut infra v. 324. *magnis virtutibus augens*. cf. D. Heins. ad Sil. Ital. XI. 393. ubi τὸ *augere* cum Græcorum ἀέξειν comparavit, et totum locum in græcos versus transtulit.

170. *Fors etiam nostr. invid.*: nihil enim tristius atque atrocius, quam neminem habere, cui animi dolorem aperias, cum unicum fere miseris in alloquio alterius restet solatium.

172. *Tetigiss. littora pupp.*: Imitatus est Maro Æn. IV. 657, 58.

Felix, heu nimium felix, si littora tantum
Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ!

173. *Stipendia.*—stipendium sæpe notat mercedem vel certum vectigal populorum bello victorum; quod pulchre inde translatum h. l. dicitur de *tributo* puerorum et virginum Atheniensium, pro Androgeo interfecto quotannis Cretam mittendo.

175. *Dulci forma*, blanda simulatione, callide et astute.

176. *In nostris requiesset sedibus hospes* pro vulgari "benigne in domo nostra acceptus fuisset hospitio." *requiescere* de hospitibus, ut Græcorum ἧσθαι. Hom. Odyss. XVIII. 223. quem locum jam laudavit *Lensius* in not. ad h. l.

177. *Num quo me referam.* Vossius commode laudat Eurip. Med. 502.

Νῦν ποῖ τράπωμαι; πότερα πρὸς πατρὸς δόμους,
Οὓς σοὶ προδοῦσα καὶ πάτραν ἀφικόμην;

Alias ejusmodi hominum in extremis malis desperantium exclamationes collegit *Burmannus* Sec. ad Lotich. Eleg. II. 4. 535, 36.

178. *Idomeniosne pet. mont.*: Vossius, qui egregie hunc locum restituit, *montes Idomenios* ab oppido *Idomene* ita

Discernens ponti truculentum dividit æquor.
An patris auxilium sperem, quemne ipse reliqui,
Respersum juvenem fraterna cæde secuta?
Conjugis an fido consoler memet amore,
Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?
Præterea litus, nullo sola insula tecto:
Nec patet egressus, pelagi cingentibus undis.
Nulla fugæ ratio, nulla spes: omnia muta,
Omnia sunt deserta: ostentant omnia letum.
Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
Nec prius a fesso secedent corpore sensus,

neosne vid not.—*ah! gurgite lato Discernens ponti truculentum ubi dividit æquor.* Vulp. et alii.

179. *Pontum* Venet. Gryph. Stat. pro quo reposuit *ponti* Vossius ex vetusto libro Mediolanensi, recte.—*patriam* Muret. et alii.—Statius totum versum refingit sic:—*a gurgite vasto Discurrens penitus truculentum ubi clauditur æquor.*

184. Vossius legi jubet *Præterea nullo (littus solum) insula tecto.*—*Præterea nullo litus, sola insula, tecto* in plerisque. nos dedimus jam in edit. Gotting. receptam lectionem Corradini, egregie facilitate sua se commendantem.

186. *Nulla est spes* unus liber MS. apud Statium, sed metrum sine *est* bene constat. vid. Vulp.

vocari docet. Fuerunt autem *Idomenæ* duæ: una quidem Ambraciæ proxima, sita in duobus excelsis collibus: altera prope fines Thraciæ, posita in montibus Bottiæis, condita ab Idomeneo, Cretensium duce, quo tempore ille in Macedoniam classe profectus est.—Neque tamen opus est, eodem monente Vossio, ut eam montium seu collium in hoc loco partem intelligamus, ubi sita fuit Idomene, sed cum tota ora maritima Macedoniæ una cum regione Chalcidica in ditione Idomenei et Cretensium esset, cogitare possumus de excelsis litoris Macedonici jugis, præsertim de Atho, monte adeo vasto, ut non tantum toto mari Ægeo sed etiam ex litore Asiatico conspici posset.—In pauca contuli, quæ docte et copiose ad hunc locum disputat Vossius.—Cæterum τὸ *Idomenios* lege ut tetrasyllabum.

179. *Discernens dividit,* me discernit et intercludit, quominus illos adire queam.—*ponti æquor* plenior dictio ut *solum terræ.* πόντου πέδον comparat *Valkenarius* ad Euripid. Phœniss. 216. p. 81.—*Æquor ponti* autem, ut observat Vossius, accipiendum de ea maris Ægei parte, quæ interjacet Macedoniam et Diam insulam, ubi versabatur Ariadne.

180. *Quemne:* particula *ne* post *an* παρέλκει ut vers. 83.

183. *Lentos incurvans gurg. rem.* *lenti* remi sunt flexibiles, qui facile in aqua lentantur i. e. curvantur. Sic natanti Leandro Ovid. tribuit (Heroid. XVIII. 58.) *brachia lenta:* cf. Senec. Hippolyt. v. 306.

184. *Sola insula,* deserta; ut *sola rupes* v. 154. et *sola arena.* v. 57.—multa in re nota exempla coacervarunt *Cort.* ad Sallust. Jugurth. 103. p. 885. *Burmannus* ad Ovid. Heroid. X. 129. *Drackenborch.* ad Sil. Ital. III. 423. et quos bene multos in hanc rem ibi laudat.

187. *Ostentant omnia letum:* Virgil. Æneid. I. 91. *Præsentemque viris intentant omnia mortem.*

189. *A fesso,* viribus exhausto et confecto.

Quam justam a Divis exposcam prodita multam,
Cœlestumque fidem postrema comprecer hora.
Quare facta virûm multantes vindice pœna,
Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
Frons exspirantes præportat pectoris iras,
Huc huc adventate, meas audite querelas,
Quas ego, væ miseræ! extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti cæca furore.
Quæ quoniam vere nascuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum:
Sed quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente, Deæ, funestet seque suosque.—
Has postquam mœsto profudit pectore voces,
Supplicium sævis exposcens anxia factis;
Annuit invicto cœlestum numine rector,

193. *Anguino* non *anguineo* secundum libros meliores legendum esse præcipit Vossius.

194. *Postportat* pro *præportat* ex libro Mediolanensi producit et defendit Vossius. "Ut enim, inquit ille, postponere, postcidere, et postputare, ita quoque postportare recte dici potest. Anguinum enim Furiarum capillitium a fronte quidem germinare incipit, sed tamen divæ istæ credebantur capillos suos κατανωτίζειν seu postergare:" nimis docte!

196. *Quas ego nunc misera* Venet. Gryph. Muret.—*Quas ego væ! misera* in quibusdam.—*extremis* ut locutionem duriorem et insolentiorem damnat Vulpius, pro qua substituere tentat *ex imis*; sed hanc Vulpii lectionem ob ingratam ejusdem locutionis repetitionem v. 198. majori fortasse jure damnet alius.

198. *Veræ* Vulp. et alii.

204. *Invicto numine* in duobus MSS. Statii et libris melioribus Vossii. Expres-

190. *Prodita*, ab amatore derelicta et destituta. cf. supra ad Carmen XXX. 3.

192. *Facta*, scelera, perfidiam; *facta* passim in pejorem partem. Ovid. Trist. II. 131.

193. *Eumenides.* Sic fere Senec. Med. v. 13.

Adeste, adeste sceleris ultrices deæ,
Crinem solutis squallidæ serpentibus cet.

et Herc. Fur. v. 85.

Adsint ab imo Tartari fundo excitæ
Eumenides: ignem flammeæ spargant comæ:
Viperea sævæ verbera incutiant manus.

196. *Extremis medullis*, h. e. intimis. Ovid. Her. IV. 70.

Acer in extremis ossibus hæsit amor.

Frustra igitur hanc lectionem sollicitat Vulp. vid. Var. Lect.

197. *Inops*, consilii egens, æger animi. cf. *Burmann.* ad Val. Flacc. III. 609.—*ardens*, æstuans et perturbata. cf. Cort. ad Sallust. Catilin. 5. §. 4. p. 32.

199. *Vanescere luctum*, irritum esse et impunitum manere.

201. *Tali*, immemori et obliviosâ.

204. *Invicto* epitheton ad potestatem et summum Jovis imperium spectans. Sic Jupiter *invictus* vocatur apud Hor. Od. III. 27. 73. ubi etiam in nonnullis

Quo tunc et tellus, atque horrida contremuerunt
Æquora, concussitque micantia sidera mundus.
Ipse autem cæca mentem caligine Theseus
Consitus, oblito dimisit pectore cuncta,
Quæ mandata prius constanti mente tenebat:
Dulcia nec mœsto sustollens signa parenti,
Sospitem, et ereptum se ostendit visere portum.
Namque ferunt, olim classi cum mœnia Divæ
Linquentem gnatum ventis concrederet Ægeus,

sum autem putant illud Homericum *ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ*: sed nostra lectio *invicto*, cum egregie designandæ Jovis majestati, quæ in versibus sequentibus describitur, accommodata sit, longe alteri præferenda videtur. vid. not. Sæpius autem in scribendis vocibus *invitus* et *invictus* aberrarunt librarii, ut observant *Burmannus* ad Rutil. Itin. v. 64. et *Drackenborch*. ad Liv. Tom. I. p. 330. et quos ille laudat ad Sil. Ital. IV. 679.

205. *Quomodo tunc* Voss. ex vett. libr. auctoritate.

206. *Concussusque* Vossii libri veteres.

207. *Mentis* Venet. Gryph. Muret. Stat.—*mente* in MSSC. Statii, qui recte jam *mentem* rescribendum censuit.

208. *Demisit* male in quibusdam, quod servavit edit. Bipont. sexcenties autem *de* et *di* in verbis compositis permixta sunt, vid. inprimis *Drackenborch*. ad Liv. VII. 23. §. 6. Tom. II. p. 559.

211. In libris MSS. legebatur *sospitem erectum*, unde Vossius ingeniose refinxit *Sospitem Erechteum*; intelligit nempe per *portum Erechteum*, cum Thesei temporibus portus Piræus nondum hoc nomine insignitus fuerit, litus Atheniarum, ab antiquissimo rege Erechteo sic appellatum.—Heinsius in not. ad Catull. *Sospitem Erechteos se ostendit visere portus*. sed multo accommodatior est nostra lectio.

212. *Olim castæ cum mœnia Divæ* ex libro scripto legi jubet Heins. in not. ad Catull. sed idem jam Pontano in mentem venerat: vel *Actææ olim*.

213. *Linqueret et gnatum* Gryph. Stat. male!

editt. perperam *invitus* legitur (vid. Var. Lect.) et Ovid. Fast. IV. 650. Dii in universum *ἀνίκητοι*. vid. *Klotz* ad Tyrtæum p. 34.

205. *Quo tunc et tellus*. notissimus est locus Homericus Iliad. I. 528. seqq. Ἦ, *καὶ κυανέῃσιν ἐπ'* ὀφρύσι νεῦσε *Κρονίων—μέγαν δ'* ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.—Quam sublimiorem Jovis imaginem cupide arripuerunt sequioris ætatis poëtæ Virg. Æn. IX. 106. X. 115. Ovid. Met. I. 179.—fusius de sublimitate hujus imaginis disputat *Klotzius* in Epist. Hom. p. 87.

206. *Mundus* pro *cælo*; exempla quædam suppeditat Vulp. sed plena manu *Drackenborch*. ad Sil. Ital. XII. 336. *Castal*. ad Rutil. Itiner. I. 117. *Interpretes* ad Val. Flacc. I. 563. *Barth*. ad Claud. p. 1190. *Gronov*. Observatt. Lib. I. c. 9.—Eodem modo *κόσμος* apud Græcos: vid. *Wesseling*. ad Diod. Sicul. Tom. I. p. 225.

208. *Consitus* pro *obsitus*; ut passim *confusus*, *contectus*, pro *offusus*, *obtectus*; et multa alia. *obsitus* autem pro "obscuratus, obumbratus;" ut apud Lucan. Phars. V. 627. *latet obsitus aer Infernæ pallore domus.*—*Oblito dimisit pectore* eleganter pro vulgari *oblitus est*.

210. *Dulcia signa*, candida vela (v. 235.); quæ ut anxie expectanti patri dulce statim e longinquo felicis expeditionis signum præberent, expandere in navi debuerat Theseus ex composito.

211. *Ereptum* vitæ periculo, turbine leti.

212. *Classi* pro *navi* ut v. 53.

213. *Ventis concrederet*, ventorum benignitati committeret. *ventis credere*

Talia complexum juveni mandata dedisse :—
Gnate, mihi longa jucundior unice vita,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extremæ nuper mihi fine senectæ,
Quandoquidem fortuna mea, ac tua fervida virtus
Eripit invito mihi te, quoi languida nondum
Lumina sunt gnati cara saturata figura :
Non ego te gaudens lætanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam Fortunæ signa secundæ :
Sed primum multas expromam mente querelas,
Canitiem terra, atque infuso pulvere fœdans :
Inde infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros ut luctus, nostræque incendia mentis,
Carbasus obscura dicat ferrugine Hibera.

221. *Lætanti corpore* in uno Statii ex librarii culpa ; nam in multis aliis locis *corpus* pro *pectus* substituit librariorum ignorantia. vid. *Drackenborch.* ad Liv. VI. 33. 7. Tom. II. p. 363.

223. *Mutas querelas* lepide tentat Heins. in not. ad Catull.

227. *Dicet* in duobus MSS. et *decet* in uno MSC. Statii, unde ille ex priori faciebat *dictet* et ex posteriori *deceat.* Sed Vossius inde procudit *obscurata dicet* pro *indicet,* ad quam significationem adstruendam laudat supra Carm. LV. 29.

sæpe de navigatione. cf. Tibull. I. 7. 20. Horat. Od. I. 3. 2.—et sic passim *credere* de rebus, quarum eventus ab arbitrio et benignitate ejus, cui res credimus, pendet. Hinc *credere, fides, debere,* et alia, ad rationem transferuntur. vid. *Heyne* ad Tibull. II. 6. 21.

215. *Unice,* dilectissime: cf. de usu hujus vocis supra ad Carm. XIX. 12. Nam præter Theseum ex Æthra, Pitthei filia, Ægeus ex Medea Medum susceperat.

217. *Reddite in extrem.* cet.: quem nuper demum senex recepi, educatum nimirum apud Pittheum, et jam multis editis præclaris facinoribus nobilem.—Alii expressum putant Homericum τηλύγετον, sed nostra explicatio confirmatur sequentibus *cui languida nondum Lumina sunt gnati cara saturata figura :* dessen mattes Auge sich an der auszeichnenden und einnehmenden Bildung seines Sohnes noch nicht hat satt sehen können.

221. *Gaudens lætanti animo;* eandem notionem bis exprimit, quod egregie verbosiorem loquendi morem tam senis in universum, quàm patris ultima mandata discedenti filio dantis pingit.

224. *Canitiem terra, atque infus. pulver. fœd.* pervulgatus in luctu ritus. Homer. Iliad. XVIII. 23. seqq. XXIV. 315. Virgil. Æneid. X. 844. et XII. 611. vid. inprimis in hanc rem *Nicolai* Tractatus de Græcorum luctu. c. XI. p. 140.

225. *Infecta,* tincta. *vago malo,* huc illuc ventorum impetu se vertenti : nisi quis *vagum malum* ut *navem vagam* h. e. in mari circumerrantem explicare malit.

226. *Nostræque incendia ment.,* sublimius pro " gravissimis curis incensum, cruciatum et perturbatum animum nostrum."

227. Male interpretes *Hibera* jungunt cum *ferrugine;* junge potius *Carbasus Hibera,* h. e. Hispanica vel ex melioris

Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
(Quæ nostrum genus, ac sedes defendere fretis
Annuit,) ut tauri respergas sanguine dextram:
Tum vero facito, ut memori tibi condita corde
Hæc vigeant mandata; nec ulla obliteret ætas:
Ut, simulac nostros invisent lumina colles,
Funestam antennæ deponant undique vestem,
Candidaque intorti sustollant vela rudentes,
Lucida qua splendent summi carchesia mali:

Quos junctos Cameri mihi dicares; sed ibi neutiquam hac notione *dicare* positum est. cf. ibi notam. Vossium nec hic deserit ejus fidus Achates Vulpius.

228. *Si tanti concesserit* in uno Stat.—*concedens* pro *concesserit* in edit. Silvii et in margine edit. Gryph.—*Ithyni* vel *Ithoni* in MSS. Statii.

229. 30. *Quæ nostrum genus has sedes defendere freti, Annuit ut tauri respergas sanguine dextram.* in duobus MSS. Statii.—pro *freti* optime rescripserunt *fretis* Statius et Scaliger. Sed Vossius antiquius quid subodorans, ut vers. 211. fecit inde *Erechtea*; quod ambabus arripuit Vulpius.—in editt. Venet. Gryph. Muret. et aliis legitur, *defendere sueta* vel *sueta est*; unde Nic. Heins. in not. ad Catull. *defendere avitas*.—pro *fretis* tentabat *Mitscherlich* (in Epist. Critic. in Apollodor. p. 47. 48.) *creti* h. e. filii; sed valde dubito, an *cretus* sine regimine significare possit *filium*. mihi ipsi olim in mentem veniebat *defendere adorsis*; sed *fretis* doctius, gravius, et magis poëticum est; posui autem verba *Quæ* usque ad *annuit*, ut facilius orationis nexus animadvertatur, in parenthesi.

233. *Simul hæc* in uno et *simul hic* in duobus MSSC. Statii, quod posterius ille probat.—*nostros tua visent lintea colles* conjecit Heinsius in not. ad Catullum.

236. Exsulat hic versus in omnibus libris MSS. et editt. vett. Citatur ille a Nonio; et cum Muretus in antiquis libris post antecedentem versum tantum in illis spatii superesse animadverteret, quantum satis esset uni versui scribendo, jure postliminii hunc versum revocandum et in hoc loco ponendum censuit.—Mihi videtur

notæ lino confecta. Ex Hispania enim, ubi optimus lini proventus fuit, optimi funes vel vela afferebantur. Hinc supra *Sudaria Sætaba ex Hiberis*; et apud Hor. Epod. IV. 3. *funes Hiberici*.—cf. Plin. Hist. Nat. XIX. I. s. 2. T. II. p. 155. edit. Harduin.—*obscura ferrugine*, colore nigricante. *obscuram ferruginem* dixit quoque Virgil. Georg. I. 467.—*atram* Ovid. Metamorph. XV. 789.—*piceam* Tibull. I. 4. 43. Copiose ad hunc locum *colorem ferrugineum* (Græcis *κυάνεον, φαιὸν, ὕσγινον, πέλιον, πελλὸν, πελιδνὸν* seu *πηλιδνὸν*) exsequitur Vossius.—*dicat*, prædicet et palam faciat.

228—31. *Quod tibi si sanct.* cet. Sensus: Si sancti Itoni incola, h. e. Minerva (quæ favere et annuere solet fidenti animo gentem nostram et urbem defendere aggredientibus) hoc tibi concesserit, ut sanguine tauri dextram respergas (ornate pro vulgari, ut Minotaurum occidas) tum facito cet.—*Itonus* sive *Itone* oppidum Thessaliæ, ubi nobilissimum Minervæ templum exstructum fuit, unde Minervæ cultum ad Athenienses transiisse tradunt. vid. Voss.—*Lenzius* in Spicileg. Observv. similem huic loco orationis formam animadvertit apud Homer. Iliad. V. 259. seqq.

231. *Tibi condita vigeant memor. cord.* exquisite pro *condas animo*.

234. *Funest. vest.*, velum ferrugineum.

236. *Carchesia mali*, pars mali extrema, sive foramina, quæ in mali extremitate funes recipiunt. (*τὰ ἄκρα τῶν ἱστῶν* Hesych.) vid. inprimis *Schefferus* de Milit. Naval. II. 5. p. 144.—di-

Quamprimum cernens ut læta gaudia mente
Agnoscam, cum te reducem ætas prospera sistet.—
Hæc mandata prius constanti mente tenentem
Thesea, ceu pulsæ ventorum flamine nubes
Aerium nivei montis, liquere, cacumen.
At pater, ut summa prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos absumens lumina fletus,
Cum primum inflati conspexit lintea veli,
Præcipitem sese scopulorum e vertice jecit,
Amissum credens immiti Thesea fato.
Sic funesta domus ingressus tecta paternâ
Morte ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit.
Quæ tum prospectans cedentem mœsta carinam,

additamentum scioli cujusdam, qui locum, ubi candida vela suspensa fuerint, disertius describere vellet.

238. *Sors prospera* Gryph. Muret. Græv.

243. *Contollens* in libris quibusdam vett.: unde antiquam lectionem *Mitscherl.* (in Lect. in Catull. p. 109.) suspicatur fuisse hanc, *Anxia in assiduos contollens lumina fluctus:* sed sic pro *assiduos*, quod parum quadrat, mallem *adversos*; lubenter autem acquiesco in nostra lectione.

244. *Infecti* placet Vulpio.

248. Pro *Minoidi* codex Dorvillii habet *Minoida*, unde malit *quali Minoida luctu*; ad Chariton. p. 598. edit. Lips.

250. *Quæ tamen adspectans* in libris quibusdam veteribus, quod tenuere pleræque editt. recentiores; sed magis mihi placet *Quæ tum prospectans* in editt. Gryph. Muret. et aliis, quod revocandum putavi. vid. not.—pro *mœsta* Vossius ex libris vett. profert *cuncta*. idem defendit lectionem *Quæ tamen* addita explicatione "Licet procul abesset Theseus, utpote jam ad suos reversus, illa nihilominus, in iram et rabiem verso amore tota in eo erat, ut maria prospectaret et diras imprecaretur Theseo."

cantur *lucida splendere* haud dubie ferro vel metallo, quibus obducta et præmunita fuerant.

238. *Cum te reducem æt. prosp. sist.* cum felix ille dies, felix illud temporis punctum te reducem dabit.

240. *Thesea* liquerunt ceu linquunt cet.: mandata patris, ceu nubes venti flatu, ex animo Thesei abacta sunt: pro simplici *effluxerunt*.

241. *Nivei montis* h. e. alti. *Idæ nive amicta loca* supra Carm. LXIII. 70.

242. *Ex arce*, Athenarum arce, ἀκρο-πόλει. Diodor. Sicul. IV. 61. p. 306. edit. Wessel. cf. *Valckenar.* ad Euripid. Hippolyt. 31. p. 165.

247. Junge: Sic ferox Theseus tecta domûs paterna morte funesta (h. e. ubi ob patris mortem jam lugebatur) ingressus, talem ipse luctum recepit, qualem cet.

250. 51. *Quæ tum prospect.*—Ariadne igitur eo statu depicta apparebat in veste stragula, quo mœsta cedentem Thesei carinam oculis persequens graviter æstuabat et curis agitabatur.—*tum*, h. e. eo tempore, quo Theseus aufugerat.—*saucia*, percussa dolore: nisi quis *animo* tam ad *volvebat* quam ad *saucia* referre malit. exempla enim,

Multiplices animo volvebat saucia curas.
At parte ex alia florens volitabat Iacchus,
Cum Thiaso Satyrorum, et Nysigenis Silenis,
Te quærens, Ariadna, tuoque incensus amore:
Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,
Evœ bacchantes, evoe, capita inflectentes,
Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos;
Pars e divulso raptabant membra juvenco;

252. *At pater ex alia* Venett. et Statii MSS. omnes, quod defendit Vossius; sed nostram recte vindicat *Dorville* ad Charit. p. 359. ubi locutionem *ex alia parte* multis exemplis confirmat.

258. *Jactabant* Venet. Gryph. Muret. et plerique libri veteres, testante et probante Vossio. *Spargebant enim*, inquit ille, *et jactabant carnes istæ Mænades*; in quam rem laudat Euripid. Bacch. 738. Ἄλλαι δὲ δαμάλας διεφόρουν σπαράγμασιν. Εἶδες δ' ἂν ἢ πλευρ' ἢ δίχηλον ἔμβασιν, Ριπτόμεν' ἄνω τε καὶ κάτω. Sed ex mea sententia *raptabant* eodem fere redit.

ubi unum nomen ad plura trahendum est, haud rara sunt.

252. *At parte ex alia*, nimirum in veste stragula. *florens*, ob sempiternam, quæ Baccho tribuitur, juventutem, ut ex fabulis et veterum signis satis notum. cf. Tibull. I. 4. 37. et ibi *Brouckhus.*—*Mitscherl. florens* explicat *quatenus hedera et pampinis cinctus*, (nec dubitamus de re; nam ejusmodi corona redimita visuntur tempora Bacchi in nummo Wildiano apud *Brouckhus.* ad Tibull. III. 6. 2.)—*Lenzio* autem *florens* "vestem purpuream et florentia serta" significare videtur; sed primum addubito, an *florens* absolute pro *floribus* vel *hedera cinctus* unquam in latina lingua dictum sit, vel bene dici queat; aliud enim est ῥόδοις ἀνθίσας apud Philostrat. Icon. II. 15. quem in hanc rem laudavit *Lenzius*; deinde multo aptius profecto est, amori vacantem et huc illuc vagantem Bacchum, animo sibi jam fingere, juvenili honore et vigore conspicuum.—*volitare*, assidue vagari, huc illuc discurrere. cf. Carm. LXIII. 25.—exempla, quæ huc faciunt, e Cicerone notavit Ernesti in Clav. Cic. s. h. v.

253. *Cum Thias. Satyr.*—Thiasus proprie de choro et saltatione, quæ Baccho instituebatur. cf. Virg. Eclog. V. 30. et ibi *Cerda.*—De choro Mænadum in sacris Cybeles, supra Carm. LXIII. 28.—*Nysigen. Silen.*, natis in urbe Indiæ Nysa, ubi et Bacchus natus et educatus dicitur. A Sileno, Bacchi nutritore ejusque perpetuo comite, omnes deinde Bacchi comites *Sileni* vocati sunt. Inprimis autem per *Nysigenos Silenos* intelligi volunt mythi interpretes *Nysæ optimates*, qui deleta patria Bacchum secuti sunt.—Cæterum plures in fabulis memorari montes urbesque *Nysæ* nomine insignitas, et referri modo ad montem, modo ad urbem hujus nominis, Bacchi res, satis notum est. vid. *Heyne* ad Apollodor. in not. p. 563.

256. *Capita inflectentes*, more furore correptorum. Carm. LXIII. 23. *Ut capita Mænades vi jaciunt hederigeræ.*

257. *Thyrsos tecta cuspide*, frondibus pampineis velatos, et obductos. *thyrsos* describit Virgil. Eclog. V. 31.

Et foliis lentas intexere frondibus hastas.

ubi cf. *Cerda.*—*hastas pampineas* idem *thyrsos* vocat Æn. VII. 396.—θύρσοι κισσοῖσι πλοκάμοις καταβρέμοντες apud Anacr. Od. VI. 5.

258. *Raptabant e divulso juvenc.*—bacchantium enim turba in montibus et agris discurrens juvencos inprimis vel vitulos in furore dilaniandos et discerpendos invadebat.—notissima est fabula Penthei. cf. Var. Lect.

Pars sese tortis serpentibus incingebant;
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani:
Plangebant alii proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.
Multis raucisonos efflabant cornua bombos,

260. Pro *celebrabant* conjiciebat Brouckhusius in anecdotis notulis *celabant*, intercedente Dorvillio ad Charit. p. 359. ubi docte de hoc loco disputat.

264. *Multi raucisonos* reperit in omnibus MSSC. Statius, qui recte jam *multi* in *multis* mutandum esse vidit.—*multaque raucisonos* Gryph. Muret.—*Multi raucisonis efflabant cornua bombis* multas editt. habere testatur Scaliger, sed pro *multi* mavult *multæ*, ut Bacchæ intelligantur, vel scribendum putat *multis*.—*efflebant cornua bombos* ex libro Mediolanensi Vossius, adjecta interpretatione *cornua*, i. e. per cornua. *Efflere* vero rectum. Utitur hoc vocabulo etiam Quinctilianus. Est autem inprimis tristis aut flebilis cornuum sonus, utpote qui non homines solum male afficiat, sed et brutorum animalium ululatum provocet." satis ridicule!

259. *Tortis serpentibus.* de usu serpentium, quibus tam corpus quam comam implicabant bacchantes, copiose ad h. l. disputat Vossius; adde Muretum.

260. *Orgia* de quibusque sacris apud Græcos, sed apud Latinos præcipue de sacris Bacchi, dicta haud dubie ita, quod cum aliqua ὀργῇ, furore et animi concitatione, fierent. *celebrare orgia* est Græcorum ὀργιάζειν. vid. inprimis *Cerda* ad Virgil. Georg. IV. 521. *Rittershus.* ad Oppian. Cyneg. IV. 247. et *Barth.* ad Stat. Theb. II. 662.—*obscura*, mystica et occulta, quæ in *cista* quadam vel arcula circumferebantur. a *cistophoris.* (de *cistophoris*, tam nummorum, in quibus orgiorum solemnia expressa fuerunt, quam hominum cistam mysticam portantium genere, exstat erudita dissertatio *Alex. Xaver. Panelii* Lugd. 1734. 4. adde *Ernesti* in Clav. Cic. s. h. v.) Inter alias res frivolas in cista illa mystica (de qua Clemens Alexandr. Protrept. p. 13. et 30.) reconditas, nemini nisi initiatis usurpandas oculis, præcipue fuit *phallus*, cui accinebant religiosi τὸ φαλλικὸν (Aristoph. Acharnens. v. 259.). vid. *Wesseling*. ad Diodor. Sicul. I. 22. n. 60.

261. *Profani*, non initiati his sacris, ἀμύητοι, ἀτέλεστοι, ἀνοργίαστοι, qui abigi solebant a sacris sacerdotis vel præconis acclamatione, ἑκὰς ἑκὰς ἐστὲ βέβηλοι.

262. *Plangeb. alii procer. tymp. palm.*—de tympanis vid. ad Carm. LXIII. 8. 10.—*proceris palmis* h. e. longe extensis, ut recte Vossius. Sic *procerius projectum brachium* apud Cic. Orat. III. 59.—Totus, qui sequitur locus, ut observat Scaliger, adumbratus videtur ex Æschyli Ἠδωνοῖς, cujus tragœdiæ fragmentum a Strabone L. X. servatum est.

263. *Aut teret. tenues tinnit. ære* cet. non *crotula* cum Vulpio, sed potius *cymbala* intellige, quæ semper in his sacris junguntur tympanis. Erant, *concava* (Ovid. Met. IV. 30.) et *rotunda* (Propert. IV. 7. 61.) atque inter se concussa *tinnitum tenuem* vel acutum edebant. cf. Gonsala ad Petron. c. 22. Recte igitur *cymbalum* vocatur *æs teres*, h. e. rotundum et oblongum. de *cymbalis* vid. nos ad Carm. LXIII. 21.

264. 265. *Multis raucison. efflab. corn. bomb.*: *multis* est casus tertius et exquisitius dictum pro vulgari "multi cornibus efflab. raucos bombos;" quam quidem explicationem, olim jam a nobis datam, non dubitavimus repetere.—Cæterum huc pertinet Lucian. D. D. XII. ὁ δὲ, αὐλεῖ τῷ κέρατι, ὁ δὲ, ἐπιβομβεῖ τῷ τυμπάνῳ ἢ ἐπικτυπεῖ τῷ κυμβάλῳ: ubi, ne quis, ut vulgo fit, diversum

Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.
Talibus amplifice vestis decorata figuris
Pulvinar complexa suo velabat amictu.
Quæ postquam cupide spectando Thessala pubes
Expleta est, sanctis cœpit decedere Divis.
Hic qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas,
Aurora exoriente, vagi sub lumina solis;
Quæ tarde primum clementi flamine pulsæ

269. *Cœpit dein cedere divis* conjectat Statius.—pro *divis* in veteri codice Heinsii *tectis*.

270. *Nec qualis* vel *Æqualis* ex libris manu exaratis profert Vossius, qui inde fecit *Ac qualis*. melior est nostra lectio.

272. Pro *lumina* substituere tentat *limina* Burmannus Sec. ad Claud. in Eleg. de Phœnice p. 1041. et ad Antholog. Tom. II. p. 441.—peccarunt omnino sæpe in confundendis his duabus vocibus librarii: vid. Heins. ad Claud. in Mallii Theod. Cons. v. 206. et quos laudat *Drackenborch*. ad Sil. Ital. I. 66. adde *Burmannum* ad Sueton. Caligul. c. XLV. sed recte monet *Burmannus* (ad Virgil. Æneid. VI. 255.) *limen solis* memorari, cum de loco ac regione agitur, unde sol oritur, de tempore vero ortûs *lumen*.

plane a tibia instrumentum habeat *cornu*, egregie observat *Hemsterhus*. *cornu aduncum et reflexum* (κέρας ἀνανεῦον) seu *codonem tibiæ Phrygiæ* ad gravem et raucum sonum ex illa eliciendum appositum et agglutinatum fuisse. exempla ad hanc rem confirmandam prolata lege apud ipsum. cf. nos ad Carm. LXIII. 22. hinc *adunco tibia cornu* apud Ovid. Met. III. 533. ubi cf. *Burmannus* et *Gronov*. Observatt. I. 17.—*Barbara tibia*, h. e. Phrygia, ut *aurum barbaricum* apud Virg. Æn. II. 504. ubi vid. *Cerda* et quos ibi laudat *Burmannus*. cf. Hor. Epod. IX. 6.

266. *Amplifice*, h. e. multa arte, magno splendore, egregie.

269. *Decedere* pro simplici *cedere*, ut passim. *Platz machen*. *cœpit*, sensim sensimque.

270. *Hic qualis* cet. egregie ad describendum ex discessu spectatorum excitatum strepitum, primum quidem progredientibus paucioribus leniorem, deinde vero, succedentibus pluribus et in diversas regiones abeuntibus, graviorem, latiorem et sonantiorem; ab undis maris primum leniori, deinde vehementiori vento agitatis, petita comparatio. Fundum hujus sæpius a poëtis adornatæ comparationis jam indicavit Ach. Statius, Hom. Iliad. IV. 422 sqq. egregia inprimis arte imitatus est Virgil. Æneid. VII. 528. et Georg. III. 237.—*Lenzius* in Spicileg. Observv. comparat Apoll. Rhod. I. 1159. sqq. et Euripid. Phœniss. 218-21. ubi vid. *Valckenar*.—*hic*, hoc spectatorum discessu.

271. *Horrificans Zephyrus*, φρίξ Ζεφυρίη. *horrere, horrescere*, (φρίσσειν), et *horror* de mari, ventorum impulsu exasperato, passim. *Zephyrus* autem ad exemplum Homeri, a quo dicitur λάβρος. Iliad. II. 148. δυσαὴς Odyss. V. 295. de quocunque vento vehementiori.—*undas proclivas*, delabentes: nihil amplius.

272. *Vagi solis*: cf. supra ad Carm. LXI. 117.

273. *Clementi flamine*. *clemens flamen* est placidum et minus vehemens quam in procellis esse solet. cf. *Burmann*. ad Valer. Flacc. VI. 747.

Procedunt, leni resonant plangore cachinni;
Post, vento crescente, magis magis increbescunt,
Purpureaque procul nantes a luce refulgent:
Sic tum vestibuli linquentes regia tecta,
Ad se quisque vago passim pede discedebant.
Quorum post abitum, princeps e vertice Pelii
Advenit Chiron portans silvestria dona.
Nam quotcunque ferunt campi, quos Thessala magnis

274. Pro *leni* vitiose in quibusdam *levi*, unde metri causa fecerunt *leviterque*.—pro *plangore* mavult I. Dousa Fil. *clangore*, et *Lennep.* ad Coluth. præter omnem necessitatem scribi jubet *lenique sonant.*

276. *Purpureæque* (scil. undæ) conjecit *Lenzius.* pro *nantes* in aliis, ut testatur Muret. *variantes luce*, non male!

278. *A se* Stat.

281. *Quotcunque* in quibusdam, pro quo malit Lenzius *quoscunque.*

274. *Leni reson. plangore cachin.* paulo audacius et sublimius pro vulgari "leniter perstrepunt et murmurant."—*cachinnus* audaci metaphora ad undarum quendam strepitum ab aliis quoque poëtis translatus est. Laudarunt jam Interpretes Theocrit. Idyll. VI. 12. κύματα ἄσυχα καχλάζοντα. Sic γέλασμα apud Æschyl. Prom. Vinct. 90. ubi vid. *Stanleius.*—adde Oppian. Halieut. IV. 334. ubi κύματος γέλως. Et sic γελᾷν de leni undarum murmure vel molli earum agitatione passim. Huc pertinet Leonidas Alexandrin. in Anal. Vet. Poët. Græc. Brunck. Ep. XXVIII. Tom. II. p. 196. ubi simul *Zephyrus horrificans* in v. 271. illustratur.

Οὐδ' εἴ μοι γελόωσα καταστορέσειε Γαλήνη
Κύματα, καὶ μαλακὴν φρῖκα φέροι Ζέφυρος.

Suave autem et jucundum cachinnantis aquæ murmur auribus. Hinc μειδιᾷν τῆς θαλάσσης γαληνιώσης χαριέστερον apud Alciphr. III. Ep. I. ubi cf. *Bergleru*s. sed vide quos laudat *Abreschius* ad Hesych. Tom. I. p. 1167.

275. *Magis magis*, ad rem augendam sine copula. Sic supra Carmen XXXVIII. 3.

Et magis magis in dies et horas:

sic μᾶλλον μᾶλλον apud Græcos. cf. *Oudendorp.* ad Apulei. Met. II. p. 170.

276. *Nantes*, undæ se agitantes et provolventes. *refulgent a luce purpurea*, repercussum purpurei solis splendorem reddunt.—adumbrare autem et innuere videtur hæc imago discedentes, et in variis viis et regionibus, unde e longinquo conspici possent, catervatim apparentes Thessaliæ incolas.

277. *Vestibuli regia tecta* exquisitior forma, pro " vestibulum regiorum tectorum."

278. *Ad se*, h. e. domum (οἴκαδε) ut sæpe apud Comicos. *passim*, in variis et diversis viis; disertius hoc describit supra Carm. XLVI. 10.

Longe quos simul a domo profectos
Diverse variæ viæ reportant.

279. *Princeps*, primus, *e vertice Pelii*, ad pedem nempe montis Pelii, ubi habitabat Chiron, celebratæ fuerunt istæ nuptiæ, observante Vossio.

280. *Chiron.* erat Chiron, dum in terris agebat, quippe Saturno patre prognatus, immortalis; θεὸς ὢν dicitur Luciano. Dial. Mort. XXVI. ubi eruditam de Chirone lege notam *Hemsterhusii* p. 434.—cf. Voss. ad h. l.

Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fœcunda Favoni,
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
Queis permulsa domus jucundo risit odore.
Confestim Peneos adest, viridantia Tempe,
Tempe, quæ sylvæ cingunt superimpendentes,
Mnemonidum, linquens, doctis celebranda choreis,
Non vacuus: namque ille tulit radicitus altas

284. *Hos interstinctis* Heins. in not. ad Catull. in quam rem laudat Stat. Silv. III. 5. 90.

285. *Quot permulsa domus* Statius in duobus MSSC. *quod permulsa* in uno. Faernus legendum putat *quo*, quod valde, addit Statius, probandum, nisi si quis malit *quot*, id est *quot florum*.

286. *Ut inundantia Tempe* invenit Statius, unde legit *undantia Tempe*.

288—89. Locus corruptissimus et variarum lectionum sorde inquinatissimus —*Minosin* (vel *Minosim* vel *Minosium* quin et *Minosinque* vel *Inosinque*) *linquens Doris celebranda choreis Nonatius namque* cet. in libris scriptis teste Vossio, qui inde refinxit *Xyniasi et linquens Doris celebranda choreis Bœbiados Namque ille tulit* cet. *Nessonidum linquens* Gryph.—*Nereidum linquens* Muret. Cantabrig.—*Naiadum linquens* in aliis, indicante Mureto. pro *Doris* in uno MS. Statii *choris*; et sic est in edit. Gryph. Muret. Cantabrig.; in aliis *Cloris* vel *Chloris*; Scaliger ex his corruptis lectionibus extricavit *Minyasin linquens Doris celebranda choreis Cranona ærisonamque*. en reconditæ doctrinæ recessus! in quos qui penetrare cupit, adeat ipsum ad h. l. Scaligerum.—En Corradinum nostrum; *Vinosus linquens Doris celebranda choreis Nonacrios nam, quæ ille tulit.*—Turnebus in Advers. l. 24. c. 9. *Æmonidum linquens latis celebranda choreis Non agros* cet.—*Hæmonisin linquens Doris celebranda choreis*, ut jungantur duo patronymica; ut *Inachis Acrisione*, vel *Phasias Æetine*. Heins. in not. ad Cat.—pro *Non vacuus* corrupte legebatur in MSS. *Nonacrios* vel *non acies* vel *non acuos*. Unde Lennep. ad Coluth. I. 7. cudit *Dona suas namque ille* cet.—Nos excudi hunc locum curavimus, uti emendatus est à Statio, nisi quod pro *Musarum* dedimus *Mnemonidum*, quæ proprius ad antiquam scripturam accedens lectio est quoque in edit. Gotting. et Bipont.—Sic certe ex hoc loco sensus exit satis commodus. vid. not.—Lenzius in vers. 289. admodum fluctuat, et pro *radicitus* vel *radicibus* vel *ille ruit radicibus* scribendum, vel totum versum ita retractandum putat *Æthereas namque ille tulit radicibus altis*; quam tamen conjecturam nequaquam necessariam esse ipse sub fine in not. ad h. l. fatetur.—Ingeniose jam Heinsius in not. ad Catull. tentaverat *radicitus actas*, cum fagus patula non alta sit.

283. *Aura parit*, elegans verbum in hac re. Sic passim *creare*, *parturire*, *gignere*, *fundere*, *submittere* cet. De nostra voce exempla collegit Heins. ad Ovid. Met. XV. 92.—*fœcunda*: Lucret. I. 11. *genitalis aura Favoni*.

285. *Queis permulsa domus* cet. exquisite et ornate pro vulgari "quorum jucundo odore domus impleta fuit." *ridere* de rebus, quæ nobis arrident, placent, suaviter nos afficiunt. *ridet argento domus* apud Horat. Od. IV. 11. 6. sic γελᾷν apud Græcos. vid. *Wesseling.* Dissert. Herod. p. 153.

286—88. Locus vexatissimus; vid. Var. Lect. junge *Peneos* (fluvius Thessaliæ notissimus, qui, ut pervulgatum est de fluviis, dei personam jam induit.) *adest, linquens Tempe* (describit poëta Tempe) *Tempe, quæ superimpendentes silvæ cingunt, doctis Mnemonidum* (h. e. Musarum, vid. *Heins.* ad Ovid. Met. V. 268.) *choreis celebranda, non vacuus* (non sine muneribus).

289. *Radicitus*, una cum radicibus, radicitus exstirpatas; vid. Var. Lect.

Fagos, ac recto proceras stipite laurus,
Non sine nutanti platano, lentaque sorore
Flammati Phaethontis, et aeria cupressu;
Hæc circum sedes late contexta locavit,
Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.
Post hunc consequitur solerti corde Prometheus,
Extenuata gerens veteris vestigia pœnæ;
Quam quondam silici restrictus membra catena
Persolvit, pendens e verticibus præruptis.
Inde pater Divûm, sancta cum conjuge, natisque

291. Pro *nutanti* in libris veteribus *lutanti, luctanti* aut *lactanti* legitur, affirmante Vossio, qui suspicatur Catullum dedisse *lætanti*; sed *nutare* quod de coniferis tantum arboribus dici posse autumat Vossius, recte de aliis quoque dicitur apud Virgil. Æneid. II. 629. *ornus concusso vertice nutat* et sic passim de arborum ramis.—pro *lentaque* Scaliger fecit *fletaque* non male, si usus linguæ ferret: sic πολυκλαυτοὶ αἴγειροι apud Orph. v. 951. sed magis placet antiqua lectio *lentaque* —pro *fleta* si omnino mutandum sit τὸ *lenta*, mavult certe *flenda* vel *flebili* Gurlitt. in Observv. ad h. l. p. 122. satis festinanter! nam prima in *flebilis* semper producitur; ejusmodi errores autem nascuntur ex nimia corrigendi et emendandi prurigine.

—Mosch. Idyll. VII. 1. seqq. commode cum Nostro jam comparavit Statius.

291. *Non sine nutanti platano.* platanum in deliciis veterum fuisse docet *Gronovius* Observatt. I. c. 5.—*lentaq. sorore Phæthont.*: alnus vel populus; satis nota fabula sororum Phaethontis in arbores mutatarum vel ex Ovid. Met. II. 225. seqq. cf. Lucian. D. D. XXV. 3. et ibi *Hemsterhus.* p. 208.

293. *Late contexta*, ordine quodam circa totam domum inter se consociata; observa usum *neutrius*, nam proprie debebat esse *has contextas*.

295. *Solerti corde Prometh.*, ἀγκυλομήτης. inter Deos apparet Prometheus, qui jam ab Æschylo vocatur συγγενὴς θεὸς, ubi vid. *Stanleius*; cf. inprimis *Hemsterhusius* ad Lucian. Prometh. c. 14. T. I. p. 197.

296. *Vestigia pœnæ.* cf. Æschyl. Prometh. Vinct. v. 55. quocum Nostrum ibi jam comparavit *Stanleius.*—*vestigia* notant στίγματα, quæ catena impresserat. Sic ἴχνη τραυμάτων, μαστίγων, πληγῶν, cet. cf. omnino *Hemsterhus.* ad Lucian. Tom. I. p. 280.—*extenuata*, parva, levia et pæne jam obducta.—*extenuata vestigia* interpretatur *Lenzius* de corona ex viminibus salicis, quam Prometheus vinculis solutus, ut aliqua ex parte Jovi satisfaceret, pœnamque pendere videretur, tamquam veteris pœnæ monumentum gestasse dicitur, ad quam stabiliendam sententiam laudat *Heynium* ad Apollodor. II. 5. 11. p. 425. ita ut sint *extenuata vestigia*, vincula innoxia, levia et pæne nulla.

297. *Quam quondam silici restr. membr. caten. pers.*, quam petræ illigatus olim persolvit. *Lenzius* comparat in Spicileg. Observatt. Apoll. Rhod. II. 1252. seqq.

299. *Inde pater Divûm* cet. Adveniunt denique et præsentia sua has nuptias et nuptiale convivium condecorant ipse Jupiter, Juno et ceteri dii superi (cf. Quint. Calab. V. 74—76. et Apollon. Rhod. IV. 807. 8.), relictis Phœbo et Diana; illo quidem, quod futurum erat, ut Achillem interficeret; hac, ut videtur, ob perpetuum castitatis studium. Sapientius autem Noster, remotis ab his nuptiis Diana et Apolline, rationem instituisse videtur,

Advenit cœlo, te solum, Phœbe, relinquens,
Unigenamque simul cultricem montibus Idri:
Pelea nam tecum pariter soror aspernata est,
Nec Thetidis tædas voluit celebrare jugales.
Qui postquam niveos flexerunt sedibus artus,
Large multiplici constructæ sunt dape mensæ;
Cum interea infirmo quatientes corpora motu,

301. *Montis Ithyni* Parthen.—*Idæ* emendabat Palladius, quod in plerisque editt. servatum est; ut Gryph. Muret. Græv. Silv. Bipont.—intelligunt autem montem Cariæ, ubi Diana præcipue colebatur.—*montis Itonii* conjiciebat Victorius, reclamante Mureto. Achilles Statius, cum in libris MSS. omnibus reperisset *Idri* vel *Ydri* volebat *Hydræ*, quæ est civitas Lydiæ auctore Strabone; eo autem tractu fere toto maritimo Apollo colebatur ex ejusdem Strabonis testimonio. at Scaliger scribit *montibus hydri* h. e. serpentis Pythonis; *montes hydri* igitur interpretatur *montes Delphicos* propter Pythonem serpentem ab Apolline ibi telis confixum—sed nostram lectionem bene defendit Vossius.

302. *Pallada* pro *Pelea* vitiose in edit. Parthen.

304. *Niveis* Gryph. Muret. et editt. aliæ, quam lectionem defendit Mitscherlich. sed valde dubito, an *niveus*, quod ebur candet et niveum est, pro *eburneus* recte dici queat.

quam ceteri, ut Homerus, Æschylus et alii, qui canentem adeo in his nuptiis Phœbum et fausta quælibet Thetidi et Peleo vaticinantem inducunt.

301. *Unigenamque simul.*—*unigena* est Diana, uno eodemque partu cum Phœbo genita, συγγενής.—*cultricem montibus Idri,* versantem et venationi operam dantem in montibus Idri. *montibus* pro *in montibus*, omissa præpositione *in* ut sæpe. exquisitius autem hoc pro vulgari *cultricem montis Idri.*—*Idrus*, ut Vossius docet, est mons Cariæ. In hoc monte complura erant oppida et loca Dianæ fratrique ejus consecrata, ut Hecatesia, Chrysaoria, Euromus aliaque; *Idriades* propterea dictæ, quod in monte Idro sitæ essent.—Ceterum de Diana montium cultrice (ὀρεστέρᾳ) vid. *Spanhem.* ad Callimach. Hymn. in Dian. v. 18. cf. supra Carm. XXXIV. 9. sqq.

304. *Postq. niv. flexer. sedib. art.* exquisite pro vulgari *sederunt, sedes occuparunt.* Heroicis enim temporibus sedebant ad mensas, non recumbebant, ut notum, vid. Vulp.—*niveos*, divinos, divino quodam splendore vel candore conspicuos, vel simpliciter pulchros. *sedibus* doctius in casu tertio pro *ad sedes*.

305. *Construct. s. dap. m.*: similiter Cicero *exstruere* Tuscul. v. 21. *mensæ exstruebantur epulis.*

306. *Cum interea* cet. Locus sequens, quem in pulcherrimis, nobilissimis, splendidissimisque totius antiquitatis habeo, versatur in adumbranda Parcarum figura et imagine, earumque nentium et fata futura carmine amœbæo pandentium descriptione. Præcipue locus a v. 311—21. vix legi potest, quin vividissimis coloribus Parcarum fila deducentium oculis nostris obversetur imago, adeo totum nendi σχῆμα et levissimi nentium quique motus expressi et depicti sunt.—Insignis de Parcis locus est apud Homer. Hymn. in Mercur. 549. sqq. ubi, quod traditur de domicilio Parcarum v. 552.

Οἰκία ναιετάουσι ὑπὸ πτυχὶ Παρνησοῖο,

egregie facit ad Catullum. Nuptiæ celebrabantur Pharsali in Thessalia. Parcæ, quæ in vicinia habitant, adsunt, epithalamium cantaturæ. Hæc pulchre inter se congruunt.—In monumento vetere a *Beyero* edito, in quo

Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens undique quercus,
Candida purpurea, quam Tyro incinxerat ora:
At roseo niveæ residebant vertice vittæ,

308. Pro *quercus* in plerisque editt. Parthen. Gryph. Muret. Græv. Silv. Cantabrig. Bipont. et aliis legitur *vestis*: sed cum Statius in MSS. invenerit *questus*, antiquior omnino et melior videtur nostra lectio. *vestis* haud dubie substitutum est ab illis, qui versui sequenti faciliorem explicationem parare vellent.—Ingeniose *Lenzius* in notis ad h.l. pro *corpus tremulum* rescribendum *tempus tremulum*, et *quercus* de *corona quernea* accipiendum putat. Idem edito jam hoc carmine in Spicileg. Observv. ad me misso scribit: "Sin mecum *quercum* de corona capis, ecce occurrit Hecate *στεφανωσαμένη δρυσὶ* in Fragm. Sophocl. quod laudat Valckenar. Diatr. in Euripid. Fragment. p. 167." et sic Plato Republ. X. p. 329. Bip. Parcas fingit λευχειμονούσας, σ τ έ μ μ α τ α ἐ π ὶ τ ῶ ν κ ε φ α λ ῶ ν ἐ χ ο ύ σ α ς—ὑμνεῖν. sed, ut ego rem animo concipio, ingeniosæ hujus versus a Lenzio nostro propositæ emendationi et doctæ explicationi repugnat versus sequens; vid. not.

309. Mire in hoc versu tam scripti quam impressi libri turbant. *tuos intinxerat* in duobus MSS. Statii. in uno *Tyros intinxerat*, quam lectionem agnoscunt quoque Meleagri libri papyr. Palat. et Comel. unde Statius: *Tyros intertinxerat.*—*purpureaque Tyros* edit. R. Sed Scaliger priscam lectionem fuisse testatur *Candida purpurea Tyrios extinxerat*; in margine autem emendatum fuisse *intexerat*, unde ille legit *purpurea Tyrios intexerat ora.*—*Candida purpureis ramis intinxerat ora* in edit. Parthen.—*Candida purpurea talos incinxerat ora* Gryph. Muret. Græv. Silv. Cantabrig.—*Candida purpurea Tyrios quam intinxerat ora* in Gotting. contra metri leges; fortasse operarum culpa pro *Tyrios quam.* optima nobis visa est lectio Vossii, quam in textum recepimus. vid. not.

310. Nimis liberalis in conjecturis est Gurlittus. pro *roseo* primum tentat *r a s o* vel *t o n s o*; sed cui non ridicula videatur sacerdotalis illa capite rasarum Parcarum figura? vel *cano*. at, o bone, quam dissimiles plane voces sunt *cano*, *tonso*, et *roseo.*—vel *at roseæ niveo*; nec hoc opus. vid. not. vel denique *ambrosio*; posterius

mortem Meleagri expressam esse putant; una tantum Parca e tribus sororibus, quæ ibi visuntur, fusum sustinet, nec quicquam in illis ibi deprehenditur, quod anilem earum deformitatem et imbecillitatem referat. vid. *Beyeri Meleagrides* p. 12.—Cum Lycophrone v. 144. bene Nostrum jam comparavit *Mitscherlichius.*—*infirm. quat. corp. motu*: *corpus motu quatere* dicitur de vaticinantibus, sacro furore correptis et toto corpore trementibus, ut olim jam observavimus: *infirmo* spectat ad Parcarum anilitatem, nisi forte *motus infirmus* de effectu accipiendum sit, qui nos infirmos et trementes reddit, ejusmodi tremore membra nostra invadit et solvit, cui, ut accidit vaticinantibus, non resisti potest. Sic fere *piger sopor* qui pigros reddit, supra LXIII. 37.

308. 9. *His corpus tremul.* cet. Multa et varia in his duobus versibus emendandis et explicandis moliti sunt interpretes, (vid. Var. Lect.) quos quidem, re et verbis diligentius examinatis, ita nunc interpretandos puto: "Harum corpus tremulum complectebatur vestis undique quercu vel ramis foliisve quernis distincta, cujus oram limbo purpureo cinxerat pulchra Tyro." accipio igitur *quercum* de veste picta, cui species quercûs intexta fuit; quercus enim, cum arbor sit fatidica, ut ex oraculo Jovis Dodonæo constat, apte jam vestem Dearum fatidicarum ornare videtur.—*complectens* scil. *erat*, et hoc pro *complectebatur*, ut vers. 318. *exstantia erant* pro *exstabant.* cf. supra ad Carm. LXIII. 57.—*Tyro* filia Salmonei (Propert. III. 19. 3.) quæ, ut Parcæ, apud inferos versatur. Propert. II. 28. 51. cf. Voss. et Cl. Barth. in Clav. Propert. p. 404.—*candida*—pulchra.

310. *At ros. niv. resideb. vert. vitt.*

Æternumque manus carpebant rite laborem.
Læva colum molli lana retinebat amictum:
Dextera tum leviter deducens fila supinis
Formabat digitis; tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum:
Atque ita decerpens æquabat semper opus dens,
Laneaque aridulis hærebant morsa labellis,
Quæ prius in levi fuerant exstantia filo.

placuit Viro Docto in Actis literariis Gottingens. (Scid. 148. 1788.) sed auctorem habet hæc conjectura Vulpium.

312. *Amictam* Gryph. Muret.

314. *Prono in vertice* in nonnullis libris antiquis, teste Vossio, ut vertex idem sit quod *verticulum* aut *verticillum*, σφόνδυλος.

315. *Vibratum* magis placet Vulpio.

318. *Leni* in plerisque editt. sed aptius est *levi*, quod revocavi ex edit. Parthenii, Gryph. Muret. sæpissime enim has voces turbavit librariorum negligentia, vid. *Burmann*. ad Ovid. Heroid. XIV. 39. et *Drackenborch*. ad Liv. II. 65. Tom. I. p. 225.

Si Parcas cogitamus vetulas, pro *At roseo*, quod minime illis convenit, vel legendum cum Vulpio *Ambrosio* vel dicendum est, Catullum ita ex more poëtarum permutasse epitheta, ut vertendo *roseus* ad vittas et *niveus* ad *verticem* referendum sit. In proclivi quidem est corrigere *At roseæ niveo*; sed innumera poëtarum exempla hanc epithetorum permutationem evincunt. Sic Ovid. Heroid. XVIII. 144. *Aurea lanigero vellere vexit ovis.* dici enim proprie debebat ovis *lanigera* et vellus *aureum*. ne quis vero tam humiliter de poëtis sentiat, ut in iis tantum locis hanc epithetorum ab illis admissam esse arbitretur permutationem, ubi metrum illam exigeret, unum saltem ex sexcentis ponam exemplum: Horat. Od. I. 28. 18. *Exitio est avidum mare nautis*: noluit igitur Horatius, quod poterat, scribere *avidis*. Quam quidem poëtarum rationem cum plerumque ferre non possent eorum interpretes, ubique fere ejusmodi locos ab iis impugnatos videbis.—Jam vero si cogitaveris, in loco nostro *verticem* Parcarum *niveum* h. e. canum, nives capitis, κατὰ χρῶτας πεπαλαγμένας ἄλφιτα λευκὰ, ut describuntur Parcæ in laudato loco Homeri, et *roseas vittas* de pulchro colore et splendore, qualis decebat dearum caput, acceperis, ex hac ratione defendi saltem hic locus posse videtur.

311. *Æternumque manus* cet. en quam ornate pro vulgari *nebant*. Parcæ, fati ministræ, æternam fatorum seriem nendo deducentes æternum laborem vel opus tractare dicuntur.

314. *Supinis digitis*, sursum flexis: *prono pollice*, deorsum presso.—vix pictor aliquid addere potest.

315. *Teret. vers. turb. fus.*—non turbo sed fusus proprie est *teres*. Adumbravit Nostrum Ovid. Met. VI. 22.

Sive levi teretem versabat pollice fusum.

cf. Tibull. II. 1. 64. et ibi *Magnum Heynium*.—*turbo*, fusi agitatio et rotatio; fusus in turbinem actus.

316. *Ita*, inter hunc nendi actum, *decerp. æquab. semp. op. dens*, inutilem lanæ partem subinde decerpentes dentibus æquabant, formabant et lævigabant filum.

317. *Lanea morsa*, lanæ villi dentium morsu decerpti.

318. *Levi filo*, æquato nunc et lævigato: *fuerant exstantia*, extiterant superflua; cf. ad v. 308.

Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati custodibant calathisci.
Hæ tum clarisona pellentes vellera voce,
Talia divino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiæ quod post nulla arguet ætas:
O decus eximium, magnis virtutibus augens,
Emathiæ tutamen opis, clarissime nato;
Accipe, quod læta tibi pandunt luce sorores,
Veridicum oraclum: sed vos, quæ fata sequuntur,
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Adveniet tibi jam portans optata maritis
Hesperus: adveniet fausto cum sidere conjux,
Quæ tibi flexanimo mentem perfundat amore,
Languidulosque paret tecum conjungere somnos,

321. *Pectentes* in quibusdam, improbante Vossio. *polientes* vult N. *Heins.* in not. ad Catull.

322. Pro *divino*, indicante Vossio, perperam in quibusdam *dimisso*, in aliis *diviso*, quam posteriorem lectionem probat Vossius et exponit de alterno Parcarum carmine: sed aliud est *carmina dividere*, quod laudat in hanc rem Vossius, apud Horat. Od. I. 15. 15.

325. *Emathiæ columen Peleu* in plerisque editt. vett. haud dubie ex glossa.—*clarissime natu* conjicit Scaliger.

326. *Lætu tibi pandunt voce* nimis argute, ut solet, Lennep. ad Coluth.

327. Pro *sed vos* in veteribus libris se invenisse testatur Vossius *servos*, unde ille refingit *serves*, minus apte.

320. *Virgati calathisci*, e virgis contexti. vid. *Spanhem.* ad Callimach. H. in Cerer. v. 1.

321. *Pellentes* exquisitius pro *tractantes*. *pellere*, ut Vossius docet, est Græcorum ἐπείγειν, κατάγειν, καθέλκειν.

323. *Perfid. quod post. null. arg. æt.*: quod ob res verissime prædictas semper fidem habebit apud posteros.

324. *Magnis virtutib. augens* passive pro *aucte*, ut supra *mutat* pro *mutatur* Carm. XXII. 11. ubi vid. not.—de nostro verbo οὐδετέρως usurpato vid. imprimis *Duckerus* ad Liv. I. 17. §. 6. Tom. I. p. 78. et *Barth.* ad Grat. Cyneg. v. 9.—apud Græcos ejusmodi exempla fere infinita. vid. *Dorville* ad Chariton. p. 435. 469. et 526. edit. Lips.

325. *Emathiæ tutam. op.*, in quo salus publica terræ vel imperii Thessali nititur.—*clarissime nato*, tu, qui olim clarissimus extiturus es insigni filii gloria.

327—28. *Sed vos, quæ fata sequunt. Currite duc.* sq. *fata currere* exquisitius pro "fata currendo deducere." versum intercalarem imitatus est Virg. Eclog. IV. 46.

329. *Portans optat. mar.*: mariti enim

Ἑσπέριον φιλέουσιν, ἀτὰρ στυγέουσιν ἑῷον.

apud Callimach. in Fragm. a Bentleio collectis Lib. II. p. 434. edit. Ernest.

331. *Languidulosque paret tecum conjung. somn.*: quam honeste de concubitu! *languid. somn.*, ex mutuis amplexibus: nam ἔρως λυσιμελὴς Hesiod. Theog. 910.

Levia substernens robusto brachia collo.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
  Nulla domus tales unquam contexit amores:
Nullus amor tali conjunxit fœdere amantes:
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
  Nascetur vobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus:
Qui, persæpe vago victor certamine cursus,
Flammea prævertet celeris vestigia cervæ.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
  Non illi quisquam bello se conferet heros,
Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine rivi:
Troicaque obsidens longinquo mœnia bello
Perjuri Pelopis vastabit tertius heres.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.

335. Hunc versum cum proxime sequentibus, cùm illi abessent in codicibus, rejicit Scaliger: eosdem in nonnullis libris antiquis exsulare testatur Vossius, quos tamen, cum Mediolanensis et alii bonæ notæ libri exhibeant, retinendos illos quidem, sed, ne servandus cantantium Parcarum ordo, ex cujus ratione versus intercalaris *Currite* cet. non nisi duodecies occurrere debet, turbetur, uncis includendos censet.

345. *Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine tenen* profert Statius ex libro Maffei, *tenen* ab eodem librario deinde mutatum in *Teucri*, quod probat Vossius. *cum Phrygii tenero manabunt sanguine Teucri* in duobus aliis MSS. Statii, unde ille ex conjectura *cum Phrygii tenero manabunt sanguine campi* vel *cum Phrygiæ Teucro—terræ* vel *Cum Phrygii Teucro—muri*. alii legunt *trunci*, uti est in L. MS. et Edit. R.—nostram lectionem tuentur editt. Venet. Gryph. Muret. Græv. Silv. Vulp.—*Quam Phrygio tepidi manabunt sanguiner ivi* emendat Mitscherl. in Epist. in Apollodor. p. 49.—*Quum rigui—campi* seu *rivi* conjicit Lenzius in not. ad h. v.

333. *Levia brachia*: quam graphice, suaviter et ornate puellæ amplexus depictus est! *Levia*, pulchra; cf. infr. LXVI. 10.—Opportune cum Nostro Apollon. Rh. I. 1236. seqq. comparat Lenzius in Spicileg. Observatt.

339. *Expers terroris*, ἄφοβος, μεγαλήτωρ.

341. *Vag. victor cert. curs.*: locum classicum de certaminibus cursus ab Achille susceptis apud Eurip. Iph. Aul. 303. sqq. mihi indicavit *Lenzius*; sed ne opus quidem est de propriis cursus certaminibus cogitare. Accipio in universum de insigni, qua alios currendo superavit πόδας ὠκὺς Achilles, velocitate.

342. *Flammea vestig.*, cursum rapidissimum, concitatissimum; metaphora a celeritate fulminis translata.

345. *Quum Phrygii Teucr. manab.*: de Xantho, ubi magnam stragem ediderat Achilles. Homer. Iliad. XXI. 21. ἐρυθραίνετο δ' αἵματι ὕδωρ.

347. *Perjuri Pelopis her.*, Agamemnon. Commentarii instar est Hygin. Fab. 84. et Hom. Iliad. II. 102. seqq.

Illius egregias virtutes, claraque facta
Sæpe fatebuntur gnatorum in funere matres;
Quum in cinerem canos solvent a vertice crines,
Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Namque, velut densas prosternens cultor aristas,
Sole sub ardenti flaventia demetit arva,
Trojugenum infesto prosternet corpora ferro.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Quæ passim rapido diffunditur Hellesponto:
Quojus iter cæsis angustans corporum acervis,

351. *Cum in civium canos* in duobus MSS. Statii. *cum incurvum canos* in uno, unde ille *cum incurvo incanos solvent a vertice crines.* sed Scaliger ex veteri lectione *Quum cinerem canos* fecit *Quum cinere incanos.*—in quibusdam *cum tremula incanos;* sed nostram lectionem defendit enascens inde elegantia; vid. not.

352. *Patriaque* in quibusdam; vid. N. Heins. in not. ad Cat.

354. Pro *prosternens* in quibusdam, teste Vossio, *præcernens*, at in Maffei libro *præteriens*, unde legendum esse suspicatur Statius *præcerpens.*—*præcernens* recepit et defendit ineptissimarum lectionum propugnator Corradinus. *messor* pro *cultor* Venet. Gryph. Græv. Muret.

358. *Magni virtutibus unda Scamandri* perperam vult Heins. in not. ad Catull. gravius enim et aptius virtutes Achillis *magnæ* vocantur.

359. *Quæ passu rapido* olim tentabat Mitscherl. sed recte revocavit (in Lect. in Cat. p. 151.) *passim*, quod explicat ἀθρόως.

360. *Augustans* pro *angustans* volebat *Burman.* Sec. ad Lotichium I. 10. 25. sed recte nostram lectionem defendit Mitscherl.

350. *Sæp. fateb. gnator. in fun. matr.*, ipsæ matres cædem ab Achille occisorum filiorum lugentes laudabunt occisoris virtutem; quam graviter!

351. *Quum in ciner. can. sol. a vert. crin.*: h. e. capillos in nodum collectos solvent, ut cinere conspergantur. vid. *Dorville* ad Charit. p. 412. et quæ ibi contra Vossium disputat. cf. Interpret. ad Petron. c. CXI. adde locum Senecæ Troad. v. 98. sqq.

Solvimus omnes
Lacerum multo funere crinem.
Coma demissa est libera nodo;
Sparsitque cinis fervidus ora.

352. *Variab. pectora palm.*, variis coloribus distinguent tundendo, livida reddent. Familiaris hæc locutio Plauto. Sic in Prolog. Pænul. 26. *Ne et hi varientur virgis et loris.* et Mil. Glor. v. 61. *virgis varius.*

354. *Namque velut dens.*—Fundum hujus comparationis jam indicavit Vulpius Homer. Iliad. XI. 67. sqq.

355. *Sole sub ardenti*, suum fecit Virgil. Eclog. III. 13.—*demetit*: hinc sæpe deinde *metere* et *demetere* a messe ad cædem hostium translatum est; exempla vide apud *Drackenborch.* ad Sil. Ital. X. 147.

358. *Testis erit magn. virtutibus unda Scamandri.* Sæpe ad virtutes virorum fortium probandas fluvios in testimonium advocare solent poëtæ. vid. nos supra ad Carm. XXIX. 20.

359. *Passim*, longe lateque.

360. 361. *Quojus iter* cet. sensus:

Alta tepefaciet permixta flumina cæde.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Denique testis erit morti quoque dedita præda;
Cum teres excelso coacervatum aggere bustum
Excipiet niveos perculsæ virginis artus.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Nam simulac fessis dederit fors copiam Achivis
Urbis Dardaniæ Neptunia solvere vincla:
Alta Polyxenia madefient cæde sepulcra;

363. *Marti* pro *morti* male in quibusdam.

364. Pro *teres* in nonnullis scriptis teste N. Heins. *terræ*; unde ille ingeniose rescribendum putat *Cum Teucro e cæso coacervatum agmine bustum*; multi enim mactati Trojanorum ad Achillis tumulum. Q. Calaber III. 117.

367. In aliis *sors*, ex perpetua harum vocum confusione: vid. quos magno numero in hanc rem laudat *Drackenborch*. ad Sil. Ital. V. 104. et ad Liv. L. 4. p. 30.

369. In MSS. testante Statio, omnibus, *madescent* pro *madefient*, unde ille vult *madidescent*.

cujus decursus cæsorum corporum acervis angustatus sanguine miscebit mare et illud tepefaciet. *iter angustans*, h. e. angustum vel angustatum. *cæsis*, ex solemni epithetorum permutatione, proprie referendum ad *corporum*.—*tepefaciet* contra aliorum exempla secundam in hoc verbo producit poëta, ut infra Carm. XC. 6. in *liquefaciens*—Cæterum conferendus omnino Homer. Iliad. XXI. 218. seqq. ubi Scamander στεινόμενος νεκύεσσι de hac re queritur.

363. *Præda*, Polyxena, *morti dedita*, cæsa, mactata: nihil amplius. Senec. Med. 1005.; *me dede morti, noxium macta caput.*—et sic *neci dedere* apud Virg. Georg. IV. 90. et passim alibi.

364. *Cum teres excelso coacerv. aggere bust.*: intellige genus tumulorum ex congesta in collis altitudinem humo antiquissimum. Loca Homeri Iliad. II. 604. VII. 86. seqq. XXIII. 245. indicavit *Heyne* ad Virgil. Æneid. XI. 850.—*teres*, oblongum: nihil amplius. Vulpius innui putat cippum, aut columnam tumulo Achillis impositam, nec hoc male. Idem opportune laudat Eurip. Hecub. v. 220.

Ἔδοξ' Ἀχαιοῖς—Πολυξένην
Σφάξαι πρὸς ὀρθὸν χῶμ' (excelsum aggerem) Ἀχιλλείου τάφου.

365. *Niveos*, pulchros, *perculsæ*, ictæ occisæ.—expende autem, quam egregie in hoc et superiori versu exornata sit vulgaris oratio: Quum super excelso busto pulchra virgo mactabitur.

367. *Fessis Achivis*, confectis et fractis belli longinquitate.

368. *Urb. Dard. Neptun. solv. vincl.*—*solvere* est *destruere* plane ut Homericum λύειν, Iliad XVI. 100.

Ὄφρ' οἶοι Τροίης ἱερὰ κρήδεμνα λύοιμεν.

Neptunia vincula, Trojæ mœnia a Neptuno et Apolline exstructa. *Neptunia mœnia* vocat Propert. III. 9. 41.

369. *Alta Polyxen. madef.* cet. Polyxena, Priami filia, a Pyrrho ad Achillis tumulum jugulata, maximam argumenti partem efficit apud Euripid. in Hecuba.

Quæ, velut ancipiti succumbens victima ferro,
Projiciet truncum submisso poplite corpus.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Quare agite, optatos animi conjungite amores;
Accipiat conjux felici fœdere Divam:
Dedatur cupido jamdudum nupta marito:
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Non illam nutrix orienti luce revisens,
Hesterno collum poterit circumdare filo.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.
Anxia nec mater discordis mœsta puellæ
Secubitu, caros mittet sperare nepotes.
Currite, ducentes subtemina, currite, fusi.—
Talia profantes quondam, felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt omine Parcæ.

383. Pro *præfantes*, quod vitiose in omnibus editt. legitur, reposui *profantes*; nam *profari*, non *præfari*, est prædicere, vaticinari, ut egregie docuerunt J. F. *Gronov.* et *Drackenborch.* ad Liv. XXII. 1 Tom. III. p. 520. et sic legit jam locum nostrum Tollius et Passeratius. *præ* et *pro* infinitis in locis turbata sunt a librariis, ut in *præ gredi* et *pro gredi*: vid. *Drackenborch.* ad Liv. IX. 10. §. 6. Tom. II. p. 871.—pro *felicia* in quibusdam *fatalia*.

384. *Cecinerunt pectore* in editt. omnibus pæne vett. Venet. Gryph. Muret.—sed Scaliger ex suo libro, ut ait, correxit *omine*. utrumque eodem jure locum habere potest. Vossius, cum liber Vat. offerat *pectine*, tentat *diviso pectine*. eodem modo correxit supra v. 322. *diviso carmine*, ubi vid. Var. Lect. *Carmine divino cecinerunt omina Parcæ* sine omni necessitate refingit Lennep. Sed Lenzius, cum nihil de diis proxime præcesserit, et quomodo hæc superioribus apta et nexa sint, dif-

370—71. Male hi duo versus hactenus interpuncti et intellecti sunt. Junge: "Quæ victima ferro ancipiti succumbens corpus submisso poplite velut truncum projiciet." nam cum vera esset victima Polyxena, nullo modo *velut* trahi potest ad *victima*.—*ferrum anceps* est instrumentum, quo victimam popæ percutiebant, quod proprie *securis* vel *bipennis* dicitur. vid. *Drackenborch.* ad Sil. Ital. XVI. 264.—*submisso poplite*, flexo et labante. Observent tirones horum versuum ornatum.

373. *Opt. anim. conjung. amor.*—*jungere* et *conjungere* amores in re Venerea; vid. *Heyne* ad Tibull. I. 1. 69. et Heins. ad Ovid. Rem. Amor. 407.

375. *Dedatur.* cf. supra ad Carm. LXI. 59.—*cupido* sc. συνουσίας. cf. Tibull. I. 8. 56. et ibi *Heyne.*

378. *Hestern. coll. poter. circumd. fil.*: cervix enim virginis post primam, qua cum novo marito concubuerat, noctem tumentior signum erat διακορεύσεως. de hac atque aliis, ridiculis hercle et inficetis, amissæ virginitatis notis omnia fere collegit *Krunitz* in Encyclopæd. T. XXXI. p. 774. et quem ibi laudat, *Lanzoni* Advers. VI. 8.

380.—81. Sensus: Nec mater ob discordiam puellæ cum marito spem prolis et posteritatis abjiciet.

383. *Profantes*, vaticinantes. vid. Var. Lect.

Præsentes namque ante domos invisere castas,
Sæpius et sese mortali ostendere cœtu
Cœlicolæ, nondum spreta pietate, solebant.
Sæpe pater Divum templo in fulgente revisens
Annua cum festis venissent sacra diebus,
Conspexit terra centum procurrere currus.
Sæpe vagus Liber Parnassi vertice summo
Thyadas effusis evantes crinibus egit:
Cum Delphi, tota certatim ex urbe ruentes,
Acciperent læti Divum fumantibus aris.
Sæpe in letifero belli certamine Mavors,
Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnusia virgo

facile dictu sit, hunc et antecedentem versum sic emendat in not. ad h. c. p. 187. *Talia præsentes quondam felicia Pelei Carmine apud Divos cecinerunt omina Parcæ. Præsentes namque ante*—immo sine hac emendatione egregie omnia cohærent. vid. not.

386. Pro *sæpius*, quod est in editt. vulgatt. in libr. MSS., legitur *Nereus* vel *Hereus*, quod a quibusdam mutatum est in *Herous*.—Meleager volebat *verius*.

389. Pro *dum*, quod est in vulgatt. editt., rescripsi *cum*, et sic est, ut testatur editor. Cantabrig., in edit. R. et L. MSS. et margine Heinsii l. vid. not.—sexcenties autem voces *dum* et *cum* permutatæ sunt a librariis; vid. *Burman.* ad Phædr. Fab. I. 10. 13. et *Drackenb.* ad Liv. I. 40. p. 167.

390. In duobus MSS. Statii *percurrere*; in Maffei libro *procumbere*, male! vitiose quoque in quibusdam pro *currus* legitur *Cretum*.

394. *Lacti spumantibus* profert ex libris veteribus, quos se trivisse ait, et defendit Vossius. *Lacti*, addit, pro *lacte* more antiquo. "Notum enim veteres dixisse non tantum *lac* et *lacte* sed et *lactis* in casu recto." Vossio suo adhæret Vulpius. *Acciperent Lætonigenam* vel *Letoidem acciperent læti* vel *Letoum acciperent.*—*læti* pro *Latoum* tentat Heins. in not. ad Catull. eundem cf. in Advers. I. c. 17. nimis docte! *Acciperent tædis Divum fumantibus acres*, ut Bacchi cultui consentaneum sit, mavult Lenz. in not. ad h. c. p. 189.; *acres* ut *alacres* accipit de furibundo Bacchi comitatu.—neque hæc emendatio mihi videtur necessaria.

385. *Præsentes.* Parcæ, quæ coram in his nuptiis futura fata cecinisse finguntur, ansam præbent poëtæ excurrendi in aureæ ætatis descriptionem; cohæret autem oratio sic: "Parcæ hæc coram in his nuptiis quondam profatæ sunt; namque tunc temporis *præsentes* adhuc *cælicolæ*" cet.

386. *Cœtu*, antique pro *cœtui*, ut centies apud Virgil.

388. Junge: "sæpe pater Divûm annua sacra, cum (*illa*) festis diebus venissent, revisens in templo fulgente (*splendido*) conspexit" cet.—per *annua sacra* autem intelliguntur ludi antiquissimi, cultui Jovis consecrati, in quibus Jupiter ipse cum Saturno lucta certavit. Primum fortasse annui fuerunt apud Cretenses, horum ludorum auctores; deinde ab Hercule in Elidem translati tertio quoque anno celebrari cœperunt, donec quinquennales fierent. vid. Voss.

391. *Sæp. vag. Lib. Parnas. vertic.*: ergo et Baccho sacer fuit Parnassus.

392. *Egit*, furore perculit, impulit; ut notum. videsis *Heins.* ad Ovid. Art. Am. I. 496. et ad Valer. Flacc. III. 392.

396. *Tritonis hera*, Minerva, quæ ad

Armatas hominum est præsens hortata catervas.
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Justitiamque omnes cupida de mente fugarunt:
Perfudere manus fraterno sanguine fratres:
Destitit exstinctos gnatus lugere parentes:
Optavit genitor primævi funera gnati,
Liber ut innuptæ potiretur flore novercæ:
Ignaro mater substernens se impia gnato,
Impia non verita est divos scelerare penates:
Omnia fanda, nefanda, malo permixta furore
Justificam nobis mentem avertere Deorum.
Quare nec tales dignantur visere cœtus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

402. *Captavit* pro *optavit*, ut gravius, præfert Mitscherl.
404. *Se obsternens* minus bene *Barth.* ad Stat. Theb. II. 663.
405. *Divos scelerare parentes*, ut intelligantur πατρῷοι θεοὶ, dii paterni, proponit ex suo libro et defendit Scaliger. Sed ego revocavi *penates*, quod est in omnibus editt. antiquioribus. vid. not.—*penates* et *parentes* sæpe confusi sunt: vid. *Burm.* ad Valer. Flacc. VII. 50.
406. *Permissa* male in quibusdam.

lacum Tritonis virginali primum habitu apparuisse dicitur. de Tritone lacu vid. quibus testimonium denunciat *Wesseling.* ad Diodor. Sic. III. 53. n. 61. Tom. I. 221.—*Rhamnusia virgo*, Nemesis sive Adrastea, a cultu in pago Rhamnunte sic dicta. vid. inprimis *Spanhem.* ad Callimach. H. in Dian. v. 232.—de Nemesis mytho eleganter et docte disputat *Herderus* in *zerstreute Blätter* Collect. II. n. 4.

398. *Imbuta*, polluta.

399. *Justitiamque omnes:* omnes fere, qui Saturni ævum descripserunt, mentionem injiciunt Astreæ, ut Hesiod. et alii.—*cupid. de ment.* pravis cupidinibus indulgente.—compara omnino cum his et sequentibus Ovid. Met. I. 145—50.

403. *Lib. ut innupt.* cet.: ut sine impedimento florentem ætate puellam in matrimonium ducere posset. *noverca* eleganter et invidiose pro *puella*, quæ noverca futura est. invisi autem sunt privigni novercis, et eorum causa sæpe nuptias repudiant.

404. *Se substernens*, quam graphice de lasciva muliere, quæ mari se obtrudit et libidinis fructum extorquet.—*ignaro*, inscio, se rem cum matre habere.

405. *Divos scelerare penates:* sanctos Lares, sancta domus jura contaminare et polluere. cf. infra Carm. LXVIII. 23.

Sed pater illius nati violasse cubile
Dicitur, et miseram conscelerasse domum.

408. *Tales*, tam impios et nefandos.

409. *Nec se conting. patiunt. lumin. clar.*, nec amplius coram apparent, et claris oculis se adspici patiuntur.—*contingere aliquem oculis* dictum est, ut *contrectare oculis* apud Tacit. Annal. III. 12. ubi vid. *Ernesti* p. 235.—forte etiam legi possit *Nec se contingi patiuntur lumine claros.*

C. VALERII CATULLI

CARMINA.

PARS ALTERA,

QUÆ ELEGIACA CONTINET.

PRÆFATIO.

Quamvis in more positum est, ut, qui in altera libri cujusdam, quem ediderunt, Parte præfantur, animum inprimis ad ea, quæ Pars prior experta est judicia, advertant, et, quæ iniquiora visa sunt, refellere atque diluere studeant; causas tamen, cur equidem ab hoc more recederem, habui idoneas. Nam quod recte ab æquo judice monetur et reprehenditur, id a quolibet, qui non sui amore obcæcatus est, grato animo agnoscitur, et tacite in usum convertitur; quod vero a censore superciliosо, nil nisi vitia rimante, ficta subinde crepante, et de iis, quæ a sensu cujuslibet pendent, magna cum fiducia pronunciante studiose et præter modum carpitur et sugillatur, id, cum nemo sine prævaricationis suspicione in causa sua judex sedeat, rectius eorum, qui ipsi in his rebus vident, relinquitur arbitrio. Nihil igitur habeo, quod in limine alterius Partis, quæ Carmina Catulli Elegiaca continet, moneam, nisi ut aperiam, quorum diligentiæ accepti referendi sunt subjecti Indices. Priorem quidem *in Contextum* confecit Joannes Fridericus Straube, *Gothanus*, at posteriores *Nominum, Rerum et in Notas* Henricus Franciscus Fridericus Laurentii, *Cahlensis;* qui duo Juvenes cum laude, quæ in optimæ notæ discipulos cadit, maxima, et cum spe, quam de studiis excitarunt, lætissima, ante annum e disciplina nostra egressi, nunc altioris doctrinæ studiis severam operam navant in Academia Jenensi, ibique in via, qua ad veram gloriam itur, strenue pergunt. Scribebam Gothæ Calendis Martiis MDCCXCII.

F. G. DOERING.

C. VALERII CATULLI.

CARMEN LXV.

AD HORTALUM.

ETSI me assiduo confectum cura dolore
Sevocat a doctis, Hortale, virginibus:
Nec potis est dulces Musarum expromere fœtus
Mens animi: tantis fluctuat ipsa malis:
Namque mei nuper Lethæo gurgite fratris

VARIETAS LECTIONIS.

1. *Defectum* in quibusdam, teste Vossio; sed quis de multo graviori et aptiori nostra lectione dubitet?

2. *Ortale* sine adspiratione in multis.

3. *Exponere* Vossius in not. De solemni utriusque apud librarios confusione vid. *Nic. Heins.* ad Ovid. Fast. III. 725. et *Burmann.* ad Quinctil. Decl. II. 4.—*sensus* vel *fletus* in aliis, quod posterius retinendum censet Vossius: *dulces fletus* enim Catullum vocare putat elegos, præcipue elegiam sequentem, quæ sit quasi fletus comæ Berenices, quam loquentem inducit poëta.

4. *Icta malis* eleganter conjicit Heinsius in notis ad Cat.—passim enim ad summam vim exprimendam *mens icta dolore, metu, malis,* dicitur; vid. nos ad Carm. LXIII. 79. in not.

5. *Lethæi gurgite* in librr. MSS. Statii.

Rogatu Hortali, provinciam susceperat Catullus vertendi e Callimacho *de coma Berenices* carminis; sed gravi dolore, ob mortem dulcissimi fratris suscepto, quo minus tum vacare posset huic labori, impeditus fuit. Exsolvit tamen, post aliquod temporis intervallum, hanc datam fidem Hortalo, missoque, quod subjectum est, e Callimacho de coma Berenices verso carmine, tam causam tarditatis, quam memorem promissorum animum mollissimis versibus declarat. Per Hortalum intelligit Vossius *Q. Hortensii* oratoris nepotem, quod nullo modo permittit temporum ratio: Imo ipse avus *Q. Hortensius* orator intelligendus est, quem æque ac filium et nepotem dictum fuisse *Hortalum* vel e Cicerone constat; vid. ad Atticum II. 25. IV. 15. cf. *Ernesti* ad Sueton. Tiber. c. 47. p. 220. edit. nov. et in Clav. s. v. *Hortalus.*— Vernaculæ numeris hoc carmen adstrinxit Cl. *Rode* in *carminibus e latina lingua versis* p. 77.

1. *Etsi me assiduo* cet. Graviter et oratorum more orationis exordium poëta usque ad v. 15. producit; quem quidem orationis colorem imitatus est auctor Ciris:

> 1. *Etsi me vario jactatum laudis amore,* cet.
> 9. *Non tamen absistam cœptum detexere munus.*

cura luctus, sollicitudo.

2. *Sevocat a d. virg.,* animum meum ita turbat, ut Musis operari nequeat.

4. *Mens animi,* antiqua loquendi ratio, Lucretio et Plauto familiaris. Homerus sæpe θυμὸς ἐν φρεσί. cf. *Schrader.* ad Musæum. c. 9. p. 192.

5. *Namque mei* cet. Junge: *namque unda Leth. gurgite manans palli-*

Pallidulum manans alluit unda pedem;
Troïa Rhœtéo quem subter littore tellus
Ereptum nostris obterit ex oculis.
Alloquar? audierone unquam tua facta loquentem?
Nunquam ego te, vita frater amabilior,
Adspiciam posthac? At certe semper amabo,
Semper mœsta tua carmina morte canam:
Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias, absumti fata gemens Ityli.

8. *Obtegit* in quibusdam vett., teste Vossio. *obruit* tentabat Statius; sed vide not.

9. Hunc versum, tanquam spurium, nec in ullo libro MS. apparentem, damnarunt Statius et Scaliger; sed reducendum eum putavit Vossius: idemque in editt. Venet. Gryph. Muret. et antiquis aliis legitur. Habet certe ille nihil absoni, nec facile ob orationis nexum desiderari potest.—Pro *facta* in quibusdam *fata*, quæ sæpe confusa sunt; vid. *Drackenborch* ad Liv. III. 40. p. 705.—*verba* in editt. Venet. Gryph. Muret.

12. *Tegam* in MSS. omnibus, indice Statio, quod defendit Theodorus Marcilius; inde factum est *legam*, quod in multis, ut Ald. Venet. et aliis excusum reperitur: sed vulgatam lectionem *canam* evincit v. sequens.

14. *Assumpti* in quibusdam antiquioribus; male! nostram lectionem confirmat locus Propertii III. 10. 10.; *Increpet absumtum nec sua mater Ityn.*

dulum fratris mei pedem nuper alluit; expende ornatum, pro vulgari *nam frater meus ex vita nuper migravit ad inferos, mortuus est.*—*Manans unda gurgite Lethæo* dicitur, ut apud Ovid. Rem. Amor. 618:

De prope currenti flumine manat aqua.

Sic Theocritus XXV. 9.

Ἀλλ' αἱ μέν ῥα νάοντος ἐπ' ὄχθαις
ἀμφ' Ἑλισοῦντος.

pallidus, solemne rerum infernarum epitheton.

7. *Troïa tellus* pro *Troia* dictum, ut (supra Carm. XXXIX. 17.) *terra Celtiberia*, ubi vid. not.—*Rhœteo littore*, Troadis regionis promontorio, vel Ajacis sepulcro satis noto.—*Obterit* gravius et exquisitius pro vulgari *obtegit;* sic terra ingesta sepultus apud Lucretium III. 916. dicitur *obtritus pondere terræ.*

11. *Amabo* sc. te. De particula, quæ redundet, male accipit Vossius.—*Morte tua* h. e. *ob* vel *in* tuam mortem.

13. Nobilissimæ hujus comparationis fundus est apud Homerum in descriptione summi mœroris Penelopes Odyss. XIX. 518.—22. cf. Virgil. Georg. IV. 511. sqq. et quæ ibi in hanc rem collegerunt exempla *Cerda* et *Guellius*.—*Daulias*, Philomela, vel potius h. l. Progne in lusciniam mutata, sic dicta ab urbe Daulia in agro Phocensi, ubi (teste Thucydide II. 29.) sedem habuit rex Tereus. Fabula Terei vel ex Ovidio satis nota est. Met. VI. 412.-676. Sequi autem Noster videtur eos, qui Prognen in lusciniam et Philomelam in hirundinem mutatam esse tradunt. Idem fecit Anacreon. Od. XII. Virgil. Eclog. VI. 80. et multi alii; de quo hujus fabulæ dissensu vid. *Heyne* in notis ad Apollod. III. 14. 8. p. 842. et laudatus ibi *Meurs.* de Regg. Athen. II. 4. 5.—*absumti*, a patre devorati; vid. *Var. Lect.*—*Ityli*, sic vocatur quoque filius Terei ab Homero l. l. παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον: sed vulgo ille audit *Itys.*

Sed tamen in tantis mœroribus, Hortale, mitto
Hæc expressa tibi carmina Battiadæ;
Ne tua dicta vagis nequidquam credita ventis
Effluxisse meo forte putes animo:
Ut missum sponsi furtivo munere malum
Procurrit casto virginis e gremio,
Quod miseræ oblitæ molli sub veste locatum,
Dum adventu matris prosilit, excutitur,
Atque illud prono præceps agitur decursu:
Huic manat tristi conscius ore rubor.

16. *Excerpta* Scaliger et alii.—*experta* ad librorum plurimorum fidem reduxit Vossius, quod more suo probat et defendit Vulpius, adjecta explicatione *παθητικῶς. nempe quæ ipse sum expertus; quæ vertere de Callimacho tentavi;* sed nostra lectio accommodatissima videtur, quam tuentur omnes fere editt. antiquiores.

23. *Atque illinc* in libris quibusdam Vossii. vid. not.

16. *Battiadæ*, Callimachi, vel a patria Cyrene, cujus conditor fuisse traditur Battus, vel ab ejus stirpis auctore Batto ita appellati; propius tamen veritati accedere videtur prior explicatio: cf. *Burmannus* ad Ovid. Amor. I. 15. 13. et *Spanhem.* ad Callimach. H. in Apoll. v. 65.

17. *Nequidquam*, nulla eorum ratione habita; vel refer *nequidquam* ad *putes*, hoc sensu, "ne frustra et temere forte putes."—*Credita ventis*, dissipanda ventis tradita. Si quis malit jungere *nequidquam credita*, sumendum est *nequidquam* pro *temere, ματαίως*.

19. sqq. Finit carmen poëta comparatione, qua ad excusandam rei cujusdam caræ oblivionem nihil suavius, dulcius et ornatius cogitari potest. Sed parum hujus comparationis suavitatem et elegantiam cepisse videntur interpretes. Subjicit enim v. c. Muretus interpretationem hanc: *ne putes tua dicta ita ex meo animo effluxisse, ut malum e gremio virginis solet:* sic tota profecto friget comparatio. Imo Catullus exprimere voluit hoc: "Oblitus quidem sum paululum, quod tibi promiseram, sed ita oblitus sum, ut virgo nonnunquam id, quod in maximis habet deliciis, oblivisci, et hujus oblivionis causa, re subito oculis ejus subjecta, pudibundo rubore suffundi solet;"—en egregie adumbratam levioris oblivionis cum pudore conjunctæ imaginem! *malum:* mala enim ab amatoribus oblata grata imprimis fuerunt puellis munuscula; vid. quæ in hanc rem congessit *Burmannus Sec.* ad Propert. I. 3. 24.—*missum furtivo munere* pro vulgari "clam muneri missum."—*sponsi*, sponsus pro amatore vel proco quolibet, ut passim.—*miseræ*, amanti, cf. ad Carm. XXXV. 14.—*oblitæ molli s. veste loc.*, jam non cogitanti, illud sub veste sibi locatum esse.

23. *Atque* vulgo explicant pro *statim;* de qua quidem hujus vocis significatione non dubito; vid. *Drackenborch.* ad Liv. XXVI. 39. §. 16. Tom. III. p. 1137; sed sic desidero copulam, quæ vix abesse potest in hoc loco. At si *atque* pro copula accipis, tum plane otiosum esse videtur *illud*, adest enim in versu 21. *quod*, quo referri debet *agitur*. Itaque e mea sententia vel explicandum est *atque illud* pro *illud vero*, vel locus corrigendus fortasse est sic:

Atque, illud prono præceps dum agitur decursu,

Sic egregie omnia sibi respondere videntur.

24. *Conscius;* index furtivi amoris, cujus puella sibi conscia est: exquisite!

CARMEN LXVI.

DE COMA BERENICES.

Omnia qui magni dispexit lumina mundi,
Qui stellarum ortus comperit atque obitus:
Flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur,
Ut cedant certis sidera temporibus,

1. *Despexit* vitiose in MSS. Statii.—*descripsit* male tentat Bentleius; vid. not. —*mœnia mundi*, quod dedit Vossius, jam explosum est a Bentleio.

2. *Atque abitus* ex auctoritate vett. librorum defendit Meleager, qui usum loquendi, ex quo *abire* pro *obire* passim apud veteres dicatur, exemplis confirmat. Sic supra Carm LXI. 84. *abit dies*. Parum certe ab hac lectione abludit, quam Statius ex MSS. profert, *atque habitus*.

Cum carmen græcum Callimachi, quod precibus Hortali adductus latinis numeris exprimere studuit Catullus, ad nos non pervenerit, facultatem inde nobis et voluptatem, ex instituenda cum carmine græco comparatione tam constituendi hujus carminis integritatem, quam percipiendi omnem ejus elegantiam ereptam esse, valde dolendum est.—Loquens per totum hoc carmen inducitur Coma Berenices, quæ, *qua causa Veneri dicata, deinde inter deos relata, et a Conone primum inter sidera animadversa sit*, fusius enarrat. Fuit autem Berenice, seu Beronice Ptolemæi Philadelphi ex Arsinoë majore filia, a fratre Ptolemæo Evergeta ex solemni more Ægyptiorum. (de quo vid. Diodor. Sic. I. 23. et ibi *Wesseling*. p. 30. 31.) in matrimonium ducta. Hæc, cum recens adhuc ejus conjux ad suscipiendam contra Assyrios expeditionem profectus esset, crinem suum, si sibi vir suus sospes inde victorque rediret, Veneri vovisse dicitur. Cujus voti cum, re præclare a Ptolemæo gesta, damnata esset, exsolvit se religione, et detonsum crinem in templo Veneris Arsinoës Zephyritidis appendit. Sed crinis ille postero die non amplius ibi comparuit. Quod cum regis reginæque perturbaret animum, exstitit Conon, insignis illius temporis astronomus, qui regis gratiam inire cupiens, crinem deûm numine sublatum et in sidus conversum esse doceret. cf. inprimis Hyginus Poët. Astronom. II. 24.—Hoc est, quod Callimacho tam ad Ptolemæi, numinis instar propter singulare bonarum artium studium a se culti, celebrandam gloriam, quam ad præclaram Cononis in rebus cœlestibus collaudandam peritiam, materiem, quam carmine persequeretur, suppeditavit exoptatissimam. Lusit autem poëta, ut poëta Alexandrinus, cui persona, quam induit in hoc carmine Comæ, mirum in modum arrisisse videtur. Vid. *de genio seculi Ptolemæorum Heyne* Opusc. Tom. I. p. 177.—Græca lingua hoc carmen reddere tentavit *Salvinius Florentinus*, quod in tironum gratiam Catulli carminibus subjiciendum curabimus; at idem numeris vernaculis incedere jussit *Rede* l. l. p. 65.

1. *Dispexit*; *dispicere* non est simpliciter videre, sed videndo animadvertere, et reperire; ut passim apud Ciceronem.—*Mundi*, cœli. cf. ad Carm. LXIV. 206.

2. *Comperit*, compertos habet, animadvertendo novit.

3. Qui comperit, (*ut*) qua ex causa sol deficiat. *Sol rapidus*, ob rapidum ejus cursum.

4. *Cedant*, δύνωσι, occidant, evanes-

Ut Triviam furtim sub Latmia saxa relegans,
  Dulcis amor gyro devocet aërio:
Idem me ille Conon cœlesti lumine vidit
  E Bereniceo vertice cæsariem
Fulgentem clare: quam multis illa Deorum,

5. *Sublimia* et *sub Lamia* in libris vett. deprehendit Vossius, qui in posteriori acquiescens juga Œtæ montis intelligit, ad cujus radices urbs Lamia sita fuerit; sic sæpe Vossium nostrum impedivit doctrinæ copia. *Latmia* tuentur omnes libri vett.

6. Pro *gyro* monstrosam lectionem *givodero* præ se ferunt MSS. Statii, unde fecit Vossius *clivo*.

7. *Cœlesti munere* Venet., divino beneficio inter stellas fulgentem.—*numinè* Gryph. Muret. Stat. fortasse ut sit pro *majestate*.—Statius legendum suspicatur *nomine* vel *Cœlesti lumine*, ut ad Cononem referatur, divina quadam oculorum acie præditum. *Cœlesti in lumine* Vossius et Vulp. adjecta interpretatione *in cœlo tot sideribus relucente*.—Difficile sane est in nominibus, tam sæpe librariorum negligentia confusis, veram a falsa lectione internoscere. Sæpissime autem turbata et permista sunt *munus* et *numen*; vid. *Drackenborch.* ad Sil. Ital. VIII. 233. et quos ibi laudat. *numen* et *nomen*, vid. *N. Heins.* ad Ovid. Heroid. XII. 78. et Trist. II. 40. 62. *numen* et *lumen*, vid. *Burmann.* ad Ovid. Heroid. XVIII. 155. Trist. II. 223. et Fast. II. 8. 67. interim commoda nobis visa est, quam dedimus, lectio vulgata. vid. not.

9. *Dearum* Venet. Gryph. Muret.

cant; sic *cedere* simpliciter pro *abire*, *evanescere*, est apud Ciceronem Cat. 19. *horæ quidem cedunt et dies et menses et anni.*

5. 6. Sensus est: "Qui comperit, quid sit, quod amor Lunam e cœlo devocet, eamque ad furtivi amoris fructum in montem Latmum abire jubeat," pro vulgari *cur luna in cœlo deficiat.* Notissimus in fabulis est Lunæ amor in Endymionem, formosum illum seu pastorem seu venatorem, quem dormientem in Latmo, monte Cariæ, Luna e cœlo descendens furtim amplexa et deosculata esse fingitur, quam inde, si deficeret in cœlo, delicias apud Endymionem facere dixisse videntur; quod certe ex hoc loco manifestum est. Fabulam Endymionis variis modis post Hesiodum tractatam fuisse, vel ex Scholiast. ad Apollon. Rhod. IV. 57. 58. intelligi potest. Cononem autem lunæ defectum non ex fabula, sed ex caussis physicis interpretatum esse, sponte apparet. Trivia (Τρίοδος) Luna, ob cultum in triviis, quod fuit dea τρίμορφος. *Luna* in cœlo, *Diana* in sylvis, *Hecate* apud inferos. cf. supra ad Carm. XXXIV. 15.—*furtim* (κρυπταδίως) ad furta amoris.—*relegans* tanquam exsulem abire jubens.—*gyro aërio*, cœlo.

7. *Ille* sc. tam clarus et excellens matheseos et astronomiæ peritia; de qua hujus pronominis vi cf. supr. ad Carm. LVIII. 2. 3. et *Vulp.* ad h. l.—de *Cononis* autem celebritate, cujus magna cum laude aliquoties mentionem injicit Archimedes, cf. Virg. Ecl. III. 40. et ibi *Heyne.*—*cœlesti lumine* junge cum verbo *fulgentem* in v. 9. h. e. "vidit me cœlesti stellarum fulgore clare resplendescentem;" sic nihil difficultatis inesse video; sed in lectione mirum in modum variant editt (vid. *Var. Lect.*). si quid mutandum sit, malim *cœlesti in limite*, vel *limine*; in scribendis enim vocibus *lumen* et *limen* sæpissime aberrarunt librarii. vid. *Burmann.* ad Suet. Calig. 45. et quos laudat *Drackenborch* ad Sil. Ital. I. 66. cf. infr. v. 59.—et sic magis expressus videtur versus Callimachi, quem servavit nobis Scholiastes Arati p. 21.

Ἠδὲ Κόνων μ' ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερενίκης
Βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

Levia protendens brachia, pollicita est;
Qua rex tempestate, novo auctus Hymenæo,
Vastatum fines iverat Assyrios,
Dulcia nocturnæ portans vestigia rixæ,
Quam de virgineis gesserat exuviis.
Estne novis nuptis odio Venus? anne parentum
Frustrantur falsis gaudia lacrimulis,
Ubertim thalami quas intra limina fundunt?
Non, ita me Divi, vera gemunt, juerint.
Id mea me multis docuit regina querelis,
Invisente novo prœlia torva viro.

11. *Novis auctus hymenæis* Gryph. Muret.—pro *auctus* reponit *mactus* Anna Fabri in notis ad h. l. in Fragmm. Callimach.

15. *Atque parentum* in MSS. Statii. male!

17. *Intra lumina* in duobus MSS. Statii; *inter lumina* in uno, ex solemni vocum *limen* et *lumen* confusione; cf. ad v. 7.

18. *Juverint* in vulgg. editt. contra metri rationes. Totum versum satis audacter N. Heinsius in notis ad Catull. emendat sic, *Non ita, ne Divi, ut vera gemant, sierint*, a *sino*, *sivi*. *sii*. Nos dedimus antiquam lectionem *juerint* ex editt. Venet. Muret. Stat. Cantabr. cf. not.

10. *Levia*, pulchra, cf. ad Carm. LXIV. 333. et si tanti est, *Casp. Barth.* Advers. p. 161. — *protendens*, χεῖρας ἀνάσχων. *pollicita est*, devovit; demore veterum comes diis consecrandi, præter Stat. et Vulp. ad h. l. cf. *Junius de Coma* p. 509.

11. *Qua tempestate* cf. supr. ad Carmen LXIV. 73.—*nov. auct. Hymen.*, novis nuptiis, nova conjuge *auctus*;—*augeri aliqua re*, est aliquid accipere, quod conditionem nostram ampliorem et feliciorem reddit.—Hiatum, quo hic versus laborat, consulto fortasse poëta vitare noluit; de producta ultima in voce *auctus* cf. supra ad Carm. LXII. 4.

13. *Dulcia vestigia*, intellige livorem ex morsiunculis amatoriis. Claud. in Fescenn. v. 126.

Tum victor madido prosilias toro,
Nocturni referens vulnera prœlii.

14. *De virgin. exuv.*, de virginitatis spolio, de eripienda et spolianda virginitate.

15. Ad declarandam amoris, quo novæ nuptæ maritos amplectuntur, vehementiam, lepide jam movet Coma Berenices dubium, utrum lacrimæ, quas novæ nuptæ, e domo parentum in thalamum novi mariti discedentes, ubertim fundere solent, ex animo profectæ, an potius falsæ, et vi expressæ videri debeant. Posterius probat exemplo Berenices, quæ novi mariti in bellum proficiscentis discidio tanto percussa fuit dolore, ut palam esset, quanto Veneris teneretur desiderio.

16. *Frustrantur gaudia parentum falsis lacrimulis:* parentes, qui gaudent, cum piam filiam tam invito animo a se discedere vident, falluntur falsis ejus lacrimulis. Scaliger comparat Fragment. Callimachi, quod vide in Fragment. a Bentleio collectis CXVIII. edit. Ernest. p. 486.

18. *Vera gemunt*, vere et ex animo. *juërint* antique pro *juverint*. sic Ennius apud Cic. de Senect. ab initio;

O Tite, si quid ego adjüero curamve levâsso.

20. *Invisente prœlia: invisere prœlia* est *proficisci in bellum*.

At tu non orbum luxti deserta cubile,
  Et fratris cari flebile discidium,
Quum penitus mœstas exedit cura medullas:
  Ut tibi nunc toto pectore sollicitæ
Sensibus ereptis mens excidit! Atqui ego certe

21. *Et tu non orbum* Venet.—*Et tu vero orbum* protulit Vossius, quem secuti sunt editor Cantabrig. Vulp. edit. Gotting. et alii. Sed ne sic quidem procedit oratio; ut taceam, substitutam particulam *vero* nimis dissimilem esse antiquæ lectioni *non*. vid. not.

22. *Sed fratris*, peperit hanc lectionem vitiosa lectio versus majoris; recte igitur jam Vossius restituit *et*. sæpius quoque vocula *sed* et *et* commutatæ sunt scribarum negligentia; vid. *Drackenborch*. ad Liv. XXI. 26. 6. Tom. III. p. 402. —*dissidium* male in nonnullis editt.; in *dissidio* enim est dissensio, in *discidio* autem sejunctio. Fuse et accurate de horum verborum discrimine et permutatione disputavit *J. F. Gronovius* ad Liv. XXV. 18. et post eum *Brouckhusius* ad Propert. II. 19. 16. et ad Tibull. I. 5. 4.

23. *Quam* egregie emendavit Bentleius in not. ad h. l. Confusæ sunt hæ particulæ et in aliis scriptoribus. cf. *Drackenborch*. ad Liv. XXVII. 28. 5. Tom. IV. p. 90.

24. *Tunc* in aliis ex solemni confusione particularum *tunc* et *nunc*; vid. *Drackenborch*. ad Liv. III. 6. 1. Tom. I. p. 654. cf. not. ad vers. 21.

25. *Sensibus e rectis* fecit Vossius ex lectione antiqua *sensibus erectis*.—*atque ego* Venett.—*ast ego* Gryph. Muret.—*at te ego* Voss.—nostram lectionem proposuit Stat. quem secutus est editor Cant. Grævius.—turbavit certe particulas *atqui* et *atque* sexcenties scribarum negligentia; vid. *Drackenborch*. ad Liv. III. 52. 8. Tom. I. p. 760. sed recte monet *Cort*. ad Sallust. Jugurth. IV. 3. *atque* interdum poni pro *atqui*, et occupationi inserviens idem notare quod *et tamen*, quod hic quoque locum habere potest.

21. Vitiosum hunc locum esse, e quo, ut nunc legitur, nec sensum commodum elicias, nec nexum facile in eo cum antecedentibus et sequentibus deprehendas, sponte apparet; quem quidem levissima immutatione emendari posse puto sic, si *ut* pro *at* et *nunc* pro *non* rescripseris:

Ut tu nunc orbum luxti deserta cubile.

"O quam luxisti tunc, (inquit Coma,) cum viro novo in bellum profecto deserta jaceres in lecto viduo!" Sic bene sibi respondent omnia. *Ut* est particula admirantis, et *nunc* ut *tunc* sæpissime de re gesta dici solet. vid. *Burmann*. ad Ovid. Heroid. XVIII. 95. Egregie autem hanc emendationem confirmat v. 24., ubi *ut* et *nunc* eodem modo dicitur; cui eo magis locus relinquendus videtur, quod particulæ *ut* et *at*, *nunc* et *non*, in vett. scriptis sæpissime confusæ sunt librariorum negligentia; de *ut* et *at* vid. *N. Heins*. ad Ovid. Heroid. XII. 1. de *nunc* et *non* *Drackenborch* ad Liv. IX. 7. 5. Tom. II. p. 856.

22. *Et fratris*: cf. Argum.

23. *Quum*; lege potius, si vis orationi consulere, cum Bentleio *Quam*. —*exedit cura med.*: cf. supr. Carm. XXXV. 15.

Ignis interiorem edunt medullam.

ubi cf. not. Sic. Horat. *curas edaces*, Hesiodus γυιοβόρους μελεδῶνας dixit.

25, 26. *Mens excidit*: Apollonius Rhod. III. 961: Ἐκ δ' ἄρά οἱ κραδίη στηθέων πέσεν.—*Atqui ego certe—magnanimam*; si sic legimus, supplendum est *te*: vid. *Var. Lect.*—"certe tamen ego (inquit Coma,) ad novam Berenices ob mariti discessum animi mollitiem

Cognoram a parva virgine magnanimam:
Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es
Conjugium, quod non fortior ausit alis?
Sed tum mœsta virum mittens, quæ verba locuta es!
Juppiter, ut tristi lumina sæpe manu!
Quis te mutavit tantus Deus? an quod amantes
Non longe a caro corpore abesse volunt?
Atque ibi me cunctis pro dulci conjuge Divis
Non sine taurino sanguine pollicita es,

27. *Quod regium* Venet. Gryph.—*quam regium* in MSS. Statii, unde *Gabriel Faernus* fecit *quum*; sed melior lectio est nostra, quæ extat in editionibus Mureti, Vossii, Cantabr. Grævii, Vulp.

28. *Quod non fortior auxit avis* Venet. Gryph.—*quo non fortius ausit alis* Muretus, commodissime sane, nisi ingrata repetitio *τοῦ quo* offenderet.—*quod non fortior haud sit alis* in omnibus MSS. Statii, et sic legit quoque Scaliger. sed recte pro *aut sit* repositum est *ausit*, quod nunc in plurimis editt. apparet. At *Nic. Heinsius* in notis ad Catull., vires, ingenii periclitans legi jubet vel *quo non fostior* (pro *faustior*) *audit avis*: vel *quo non fortior hausit Halyn*; neutrum, puto, lectorum plausum feret.

29. *Sed cum* Voss.—*sed tu* in quibusdam.

30. *Tersti* in nonnullis.

33. *Atque ibi pro cunctis* Venet. Gryph.—*At quæ ibi, pro cunctis* Muretus, qui sine causa aliquot versus, quos excidisse putat, desiderat.—*At quæ ibi pro cunctis* Statius, qui explicat *pro cunctis* de iis, qui regem comitabantur, vel pro *palam omnibus, ants omnes*; cui lectioni et priori explicationi calculum adjecit Vossius. *At quæ ibi, proh, cunctis* Scaliger, adstipulante Vulpio. Nos secuti sumus editorem Cantabrig. qui versum, ut egregie restitutus est a Bentleio in notis ad h. l., in textum recepit.

respondens, magnum et fortem animum a prima ætate in te animadverteram." Rem illustrat locus Hygini Poët. Astronom. II. 24. *Hanc Berenicem nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere, et ad Olympia mittere consuetam fuisse. Alii dicunt hoc amplius, Ptolemæum, Berenices patrem, multitudine hostium perterritum, fuga salutem petiisse, filiam autem sæpe consuetam insiliise in equum, et reliquam exercitus copiam constituisse et complures hostium interfecisse, reliquos in fugam conjecisse, pro quo etiam Callimachus eam magnanimam dixit.* cet.

27. *Bonum facinus*: innuitur factum quoddam egregium, quo frater, ut sororem in matrimonium duceret, impulsus fuisse videtur; intelligendum fortasse est illud ipsum, quod memorat Hyginus l. l.

28. *Quod non fortior ausit alis*, "quale nemo alius e fortioribus suscipere audeat." *alis* antique pro *alius*: sic sæpius *alid* pro *aliud* dixit Lucretius.

29. *Mittens virum*: cf. Tibull. I. 3. 9.

30. *Jupiter ut* (Himmel, wie) cf. ad Carm. IV. 7.

31. *Tantus Deus*, tam potens: intellige Amorem. Laudant in hanc rem Virgil. Æneid. I. 718.

—*Interdum gremio fovet; inscia Dido, Insidat quantus deus*—

33. *Me*, comam: vid. V. L.

Si reditum tetulisset is haud in tempore longo, et
Captam Asiam Ægypti finibus adjiceret?
Queis ego pro factis cœlesti reddita cœtu,
Pristina vota novo munere dissoluo.
Invita, o regina, tuo de vertice cessi,
Invita: adjuro teque tuumque caput:
Digna ferat, quod si quis inaniter adjurarit.
Sed qui se ferro postulet esse parem?
Ille quoque eversus mons est, quem maximum in oris

35. 36. Hi quoque duo versus varia et satis incomta forma in veteribus libris apparent: *Si reditum tetulisset, is aut in tempore longo Captam Asiam Ægypti finibus addiderit* Venet.—*Si reditum tetulisset is, haud—adjiceret* Gryph. Stat.—*Si reditum tetulisset, is haud in tempore longo Captam Asiam Ægypti finibus addiderat,* ex veterum librorum scriptura restituit Vossius, quam lectionem MSS. et editt. Colinæi et Aldi auctoritate confirmari testatur editor Cantabr.—Vossio, ut solet, adhæret Vulpius. Verissima nobis visa est lectio Mureti, quam, interpunctione tantum mutata, dedimus.

43. *Maxima* in quibusdam, male.

35. 36. *Si redit. tetul.* cet. Sensus est: "si brevi tempore victor ex Asia rediisset conjux;" sic satis expeditus mihi videtur hic locus. vid. *Var. Lect.* —*reditum ferre* pro *redire* jam supra Carm. LXIII. 47.—*in* redundat, ut sæpe.—*Captam Asiam* intellige Syriam, Asiæ partem.—*adjiceret* pro *adjecisset;* sic enim plusquam perfectum et imperfectum nonnunquam jungi solent. vid. *Cort.* ad Sallust. Jugurth. LIX. 3.

37, 38. *Queis ego* cet. Verba hujus distichi ita mihi inter se jungenda et explicanda videntur: "pro quibus omnibus deorum benevolentia impetratis exsolvo nunc vota olim nuncupata (*novo munere*) novo beneficio inter cœlites relata." *reddita,* tradita; *reddere* sæpe est, simpliciter *dare, concedere:* sic infr. Carm. LXXVI. 26;

O dii, reddite mi hoc pro pietate mea.

cœtu casus tertius apud poëtas, ut in vulgus notum. sic supr. Carm. LXIV. 386.

40. *Adjuro teque tuumque caput.* Bentleius in Fr. Callimachi ed. Ernesti. p. 582. ex Etymol. Magno profert verba Callimachi sic:

Σήν τε κάρη ὤμοσα, σόν τε βίον.

adjuro caput, h. e. per caput, per te; vid. de hoc loquendi genere *Drackenborch.* ad Sil. Ital. VIII. 105.

41. Junge: *quod* (sc. caput) si quis cet. h. e. "si quis per te commiserit perjurium, dignam hoc scelere ferat pœnam."

43—46. Nihil, nedum comam mollem et teneram, tam firmam et validam esse, ut ferro resistere possit, probat exemplo montis Athonis, qui, licet altissimus vastissimusque fuerit, tamen a Xerxe, in Graios tendente, ferro transfossus transnavigatusque sit.—Montem *Athonem* (nunc *Monte Santo*) in oris Macedoniæ maximum, a planitie in mare LXXV. mill. passuum excurrentem, post alios descripsit Solin. Polyhist. c. 17. cf. Plin. Hist. Nat. IV. 10. ubi plura veterum loca tam de monte, quam de re, quæ Xerxi tribuitur, exponentia excitavit *Harduinus.* Inter fabulas rem refert Juvenalis Sat. X. 173.

——creditur olim
Velificatus Athos, et quidquid Græcia
mendax
Audet in historia——

Progenies Thiæ clara supervehitur:
Cum Medi peperere novum mare, cumque juventus
Per medium classi barbara navit Athon.
Quid facient crines, cum ferro talia cedant?
Juppiter, ut Chalybôn omne genus pereat:
Et qui principio sub terra quærere venas
Institit, ac ferri fingere duritiem!
Abjunctæ paulo ante comæ mea fata sorores

44. *Phthiæ* Venet. Gryph. Muret. *Phitiæ* in MSS. Statii. *Clytiæ*, et deinde, aucto, ut ait, judicio, *Thiæ* legendum esse censet Vossius, qui longis ambagibus Medos inde oriundos esse docere studet.

45. *Irrupere* Gryph. Muretus.—*pepulere* ingeniose conjecit Statius, qui in omnibus MSS. invenerat *propere.* sic supra Carm. LXIV. 58. Theseus *vada pellere remis* dicitur.—*properare* Scaliger, ut infinitivus pro tempore definito sit.—pro *irrupere Nic. Heinsius* in notis ad Catull. mavult *rupere*, quod ipsum in Codice optimo Commelini exaratum esse testatur *Burmannus* ad Valer. Flacc. I. 3. *rumpere mare* est mare *secare*.—nostram lectionem, primum a Vossio propositam, jam receperunt ditor Cantabr. et Vulpius.

48. Ex antiqua lectione *celicum* fecit Scaliger *sicelicum*, ex cujus mente *sicelices* vel *sicilices* cultra tonsoria notant. Sed Vossius inde sculpsit *celtum*, cui *celtis* est sculptorum et lapicidarum instrumentum, idem fere, quod cælum; lege, quam docte uterque pro re sua pugnet! In nonnullis expressum est *Jupiter ut telorum*, quidni *cultrorum?* Nos acquiescimus in lectione *Jupiter ut* Χαλύβων, quam ex Fragmm. Callimachi (vid. not.) jam revocavit *Angelus Politianus;* et sic est in editionibus Mureti, Græv. Vulp.

50. Alii legunt *frangere*.

51. *Abruptæ* Scaliger.

44. *Progenies Thiæ clara* est Sol, Thiæ et Hyperionis filius, ut recte docuit Bentleius in not. ad h. l.

45. *Peperere*, aperuerunt, fretum fecerunt, exciso monte.

48. Verba Callimachi, quæ Noster expressit, citantur ad Apollon. Rh. II. 375. in Scholiis sic:

——Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος
Γειόθεν ἀντέλλοντα, κακὸν φυτὸν, οἵ μιν ἔφηναν.

Fuerunt autem Chalybes fortissimi Scythiæ populi, ferro præcipue cudendo insignes. cf. Schol. ad Apoll. Rhod. I. 1323. et Muret. ad h. l.—*Chalybon* forma græca, ut hiatus evitetur. *Juppiter, ut,* utinam; antiqua optantium et devoventium formula. cf. Vulp.

50. *Institit*, studuit, tentavit. Sic passim hoc verbum inservit periphrasi; exempla collegit *Drackenborch* ad Liv. XXX. 12. Tom. IV. p. 428.

51—54. Sensus est: "Flebant et dolebant, a quibus paulo ante disjuncta sum, relictæ in capite Berenices comæ sortem meam, cum Zephyrus, qui me auferret, ex aëre apparuit."—Jam videamus de singulis: Relictæ in capite Berenices comæ (nam ex vertice tantum comas sibi absciderat Berenice) dicuntur *sorores*, ex eadem quasi stirpe enatæ; *abjunctæ*, quia arcto ante et sororio vinculo inter se conjunctæ fuerant; agnosce dictionem poëtæ Alexandrini, personæ, quæ loquens inducta est, accommodatam.—*Chloridos ales equus:* haud dubie intelligendus est Zephyrus, Chloridos vel Floræ amasius; vid. Ovid. Fast. V. 195. sqq.—*ales*, venti enim a poëtis finguntur alati; de ipso Zephyro Claudianus de Rapt. Proserp. II. 88.

——*ille novo madidantes nectare pennas*
Concutit.——

Lugebant, cum se Memnonis Æthiopis
Unigena impellens nutantibus aëra pennis
Obtulit Arsinoes Chloridos ales equus.
Isque per ætherias me tollens advolat auras,
Et Veneris casto conlocat in gremio.
Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,

53. *Unigena impellente natantibus* Muretus.—*nictantibus* conjecit Bentleius.—*aëre* male tentat Statius.

54. *Arsinoës Locridos* legi jubet Bentleius, quod nemo veterum memoriæ prodiderit, Arsinoëm seu Venerem Chloridos cognomine usam esse; at *Locridem* Venerem seu Arsinoëm eodem modo a poëta dici potuisse Vir doctus autumat, quo illa versu 57 *Zephyritis* dicta est; *nam*, pergit ille, *ut Zephyritis a Zephyrio Africæ promontorio, ita et Locris dicetur a gente Locrorum, qui regionem eam tenebant.* Testatur certe Achilles Statius, in duobus MSS. pro *Chloridos* exaratum fuisse *Locridicos*, et in uno *Locritos*.—*ales eques* mavult Statius.

55. *Hisque* Venet. Gryph.—*umbras* Statius, Scaliger, Vossius, Vulpius; ideo, quod noctu Coma e Veneris æde sublata sit. Equidem præferendam putavi vulgatam lectionem *auras*, quam secuti sunt Aldus, Parthen. Muretus: *auræ* enim *ætheriæ* ubivis apud poëtas occurrunt, non *umbræ*. Sic pro *aura* male substituerunt *umbra* apud Horat. Od. I. 22. 18. ubi vid. *Bentleius*.

fusius de *alatis ventis* nos egimus in Commentatione: *de alatis imaginibus apud veteres*, p. 23. *Gothæ* 1786.—*equus*: nam venti, ad eorum velocitatem adumbrandam, vel cum equis comparantur, vel equitantes inducuntur. Sic *Thraces equi* venti dicuntur Valerio Flacco I. 611. et notus est Ζέφυρος ἱππεύσας ex Euripid. Phœniss. 220. et *Eurus per Siculas undas equitans* ex Horat. Od. IV. 4. 44. Nec dixerim, quam recte *ventos equitantes* de curru invectis interpretetur *Heyne* ad Virgil. Æn. II. 418., licet alias bigis invecti apud poëtas et sculptores venti appareant.—Arsinoë autem, Ptolemæi Philadelphi soror et conjux, et Berenices nostræ mater adoptiva, non Veneris solum sed Chlorides quoque nomine ab Ægyptiis culta fuisse videtur, quod, nisi aliunde colligi posset, ex hoc certe loco intelligitur. vid. ad v. 57.—Zephyrus dicitur *unigena*, h. e. frater (συγγενὴς, ὁμόσπορος, conf. supra ad Carm. LXIV. 301.) Memnonis Æthiopis, cujus mater æque ac ventorum (Hesiod. Theog. v. 378.) Aurora fuisse traditur. — *impellens aëra nutantibus pennis*, dimovens et secans aëra pennis subinde se moventibus.—Fuerunt tamen præter Catulli interpretes multi, qui *Chloridos alitem equum* de Pegaso interpretarentur; sic *Rittershusius* ad Opp. Cyneg. I. 233. *Potterus* ad Lycophr. v. 17. *Rubenius* de Re Vest. p. 206. et alii; at de nostra explicatione cf. Voss. Vulp. ad h. l. *Spanhemius* de Usu et Præst. Numism. Diss. V. p. 274. et *Wernsdorf* ad Poët. minor. Tom. I. p. 271.

55. *Advolat*, nimirum ad Venerem; nisi forte legendum sit *evolat*.

56. *In gremio Veneris*, nempe ut tactu Veneris immortales fierent. Tactu enim Veneris, ut narrant poëtæ, omnia fiunt ἐπαφρόδιτα vel *immortalia*. Illustris in hanc rem est locus Theocriti XVII. 37. qui de hac ipsa Berenice, de cujus coma hic sermo est, agit. cf. inprimis Idyll. XV. 108.

57. *Zephyritis*, Arsinoë, quæ pro Chloride ab Ægyptiis culta, et inde, quod illa uxor esset Zephyri, *Zephyritis* appellata videtur. Venus enim, cujus nomine eandem Arsinoën cultam fuisse constat, aperte a Zephyritide distinguitur a Stephano de Urbibus sub voce Ζεφύριον: ἔστι καὶ ἄκρα τῆς Αἰγύπτου, ἀφ' ἧς ἡ Ἀφροδίτη καὶ Ἀρσινόη Ζεφυρῖτις, ὡς Καλλίμαχος. Puto autem

Grata Canopæis in loca littoribus.
Scilicet in vario ne solum limite cœli
Ex Ariadneis aurea temporibus
Fixa corona foret; sed nos quoque fulgeremus
Devotæ flavi verticis exuviæ.
Uvidulam a fletu, cedentem ad templa Deûm, me

58. *Grata Canopæis incola* in plerisque vett.—*gnata* in nonnullis. Vitium subodoratus est Vossius, qui pro *incola* reposuit *in locu*. Pro *Canopæis* Statius in MSS. invenerat *Canopicis*, unde legendum suspicatur *Canopitis* seu *Canopiticis*.—*Canopiis* scribit Vulp.

59. Corruptissime principium hujus versiculi legitur in MSS. Statii et aliis, unde varia ejusdem pro cujuslibet ingenio forma efficta est: *Dii bene fecerunt* Theodorus Marcilius; *Ludit ubi, vario* Scaliger; *Sidere ubi vario* Voss. cum fido Achate Vulpio. Nos revocavimus vulgatam, quæ extat in editt. Ald. Venet. Gryph. Muret. Iidem pro *lumine*, quod dedit Vossius, reposuimus lectionem omnium editt. antiquiorum *limite*. cf. not. ad v. 57.

60. *Aut Ariadneis* Scaliger. male!

63. *Vividulo a flatu* Scaliger. *Uvidulum a fluctu* operose defendit Vossius; innui autem a poëta putat vulgarem hominum opinionem, ex qua animæ defunctorum, antequam ad campos Elysios aut sedes superas penetrarent, Oceanum transire creditæ sunt, et hinc *uvidulum fluctu sidus* esse maris vel aëris marini humore roscidum atque imbutum. Vossium sequitur, et reconditam ejus, qua hanc lectionem confirmarit, eruditionem magnifice collaudat Vulpius. *Uvidulum ac fletus edentem* conjecit *Nic. Heinsius* in notis ad Catull. *Dione* pro *deûm me* Parth.

deam non ab Ægypti promontorio Zephyrio, ubi templum illa habuisse dicitur, sed ab ipso deo, vel marito, qui promontorio nomen dedit, Zephyritidem vocatam esse. Cf. de *Arsinoë* et diversis ejus nominibus Callimachi Epigr. V. Ubi interpretes Arsinoën Chloridos quoque nomine usam esse observant.—Cæterum in Cypridem Arsinoën *ἀνακοιρανέουσαν ἐπὶ Ζεφυρηΐδος ἀκτῆς* extat epigramma Posidippi in Analectis Vett. Poëtt. Græc. Brunckii XXI. Tom. II. p. 51.—*famulum* Zephyrum, quem famuli partes apud Chloridem agere, non est, quod mireris.

58. *Grata Canop. in loca lit.*, in gratam et jucundam regionem ad littora Canopæa. Est descriptio Ægypti, a Canopo, urbe ejus celeberrima, ad ostium Nili, quod ipsum dictum est *Canopicum* vel ut h. l. *Canopæum*, sita; veterum loca de hac urbe et Nili ostio exponentia vid. apud Cellar. Not. Orb. Ant. IV. 1. p. 15. et 21.—*grata*, quia ibi fuit patria et sedes, ubi regnavit Arsinoë. *Canopæis littoribus* est casus sextus.

59. *In vario limite cœli*, in cœli regione variis sideribus distincta; *limes cœli* est certa quædam cœli regio; Achilles Stat. laudat in hanc rem Gell. Noct. Attic. II. c. 22. confirmat autem hujus loci lectio conjecturam nostram, quam ad v. 7. proposuimus.

61. *Corona*, de Ariadnes Corona, ex ejus capite a Baccho in sideribus collocata: vid. Hygin. Astron. II. 5.

62. *Verticis exuviæ*, comæ. Sic Senec. Hippolyt. v. 1181.

Placemus umbras, capitis exuvias cape,
Laceræque frontis accipe abscissam comam.

devotæ, diis promissæ.—*flavi verticis*; sic *flavus vertex* de flavis crinibus supra dicebatur Carm. LXIV. 63.—de pretio flavorum crinium apud veteres vid. nos supra ad idem Carm. v. 98.

63. *Uvidulam a fletu*: quam invita enim Coma de vertice Berenices cesserit, testatur ipsa v. 39. 40. cf. v. 75.—*templa deum* antique pro *cœlo*; sic

Sidus in antiquis Diva novum posuit.
Virginis et sævi contingens namque Leonis
Lumina Callisto juncta Lycaoniæ
Vertor in occasum, tardum dux ante Booten,
Qui vix sero alto mergitur Oceano.
Sed quamquam me nocte premunt vestigia Divûm,
Luce autem canæ Tethyi restituor:
(Pace tua fari hæc liceat, Rhamnusia virgo:
Namque ego non ullo vera timore tegam:
Non, si me infestis discerpant sidera dictis,
Condita quin veri pectoris evoluam:)

66. *Callisto justa* (pro *juxta*) *Lycaonida* Scal. Voss. Vulp. Cantabr. contra metri rationes; nuspiam enim exemplum extat, ubi ultima *juxta* correpta sit; nostram lectionem tuentur omnes editt. antiquiores.

70. *Lux autem canæ Tethyi restituem* in omnibus MSS. Stat.—*restituam* in uno, unde ille legendum putat, *Lux autem canæ Tethyi restituat.*

73. *Discerpant sidera dextris* conjecit Beutleius.

74. *Vere* in aliis.

lucida templa cœli de cœli regionibus sidereis Lucret. I. 1013. et sic idem sæpius *templa* et *domus deum vel cœli.* —*diva*, Venus.

65. Locum, quem inter sidera occupaverit Coma, enumeratione vicinorum siderum luculenter describit. Habet nimirum illa, ut Scaliger jam ad hunc locum observavit, ab ortu Bootem sive Arctophylaca, ab occasu dorsum Leonis, a septentrionibus posteriores pedes Ursæ majoris, a meridie Virginem.—pro *namque*, cum id a sede sua, quam in versus limine obtinere debebat, nimis remotum sit, legendum puto *nempe*, quod egregie quadrat.

66. *Lumina*, sidus. *Callisto*, Καλλιστοῖ casus tertius. Fabula Callistus, Lycaonis Arcadum regis filiæ, a Junone in ursam mutatæ, in vulgus nota est.

67. *Tardum Booten.* Arctophylax, quia sero occidit, et polo propior tarde procedere videtur, modo *tardus* (Ovid. Met. II. 177.) modo *piger* (Fast. III. 405. Claud. Rapt. Pros. II. 190.) modo *serus* (Propert. III. 5. 35.) vocatur: nisi quis in persona Bootæ de bubulcorum tarditate cogitare malit; de fabula Bootæ vid. Hygin. II. 4.

69. 70. Sensus: "quamquam ea mihi contigit felicitas, ut pedibus deorum noctu tangar, interdiu autem in Tethyos gremio delitescam," cet.—*Vestigia divum me premunt:* sic sidus Eridani θεῶν ὑπὸ ποσσὶ φορεῖται apud Aratum Phænom. 360. Vulpius in hanc rem laudavit Virgil. Ecl. V. 56. et Manil. Astronom. I. 799.—*Teth-ys, yos*, est uxor Oceani; at *The-tis, tidos*, uxor Pelei; in hac penultima corripitur, in illa producitur; quod non monuissem, nisi sæpius in re tam levi aberrare juvenes animadvertissem.

71. *Rhamnusia virgo;* Nemesis, ultrix superbiæ et insolentiæ. vide supra ad Carm. LXIV. 396.

72. Junge: "*non tegam*, non celabo, occultabo, *ullo timore*, ob ullius rei timorem." Male Vulpius jungit *non ullo timore*, et *tegam* contra latinitatem explicat *in apertum proferam*, *retegam;* nec vidit, plane huic explicationi repugnare versum sequentem.

73. *Infestis discerpant dictis.*—*discerpere dictis* dictum est, ut proscindere, lacerare dictis.

74. Similiter Theocritus Idyll. XXIX. 3.

Non his tam lætor rebus, quam me abfore semper,
Abfore me a dominæ vertice discrucior:
Quî cum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus expers
Unguentis, una millia multa bibi.
Nunc vos, optato quas junxit lumine tæda,

77. Vox *expers* aperte est vitiosa, et sensum totius distichi turbat. Nam, quod Vossius demonstratum ivit, virgines honestiores olim unguentis abstinuisse, et simplici oleo capillum unxisse, id nec verum est, nec difficultatem tollit. Hinc jam Achilles Statius ex *expers* fecit *expressa*, alii *expreta* vel *adspersa*; et N. Heinsius in notis ad Cat. *expersa*; nos qualemcunque corrigendi rationem proposuimus in not.

78. Ex *una*, quæ est constans lectio omnium MSS. et editt. veterum, Vossius, ut labanti lectioni *expers* in versu majori bonum tibicinen supponeret, et locum simul doctrinæ suæ copias explicandi haberet, fecit *murrhæ*.—Sane ex hac Vossiana veteres corrigendi norma quidvis pro quovis reponi licebit. Nihilominus hanc a Vossio effictam lectionem et explicationem *mirificam* et *quantivis pretii* vocat et probat Vulpius.

79—82. Versus sequentes Josephus Scaliger ex antiquis Codicibus restituit sic: *Nunc vos, optato quæ junxit lumine tæda Non post unanimis, corpora, conjugibus; Tradite nudantes rejecta veste papillas, Quæ* (quod mutat Scaliger in *qua*, ut sit pro *ut*) *jucunda mihi munera libet onyx*: Jungi autem debent verba sic: *nunc vos, corpora, quæ tæda junxit lumine optato conjugibus non post unanimis, nudantes papillas rejecta veste, tradite mihi munera jucunda, quæ onyx mihi libet*; hoc sensu, " nunc puellæ, quæ nupsistis maritis haud in concordiâ permansuris, cum in eo estis, ut cum illis concumbatis, tradite mihi munera, nempe unguenta

Κἠγὼν μὲν τὰ φρενῶν ἐρέω κεῖατ' ἐν μυχῷ.

quin evolüam, imo aperiam et explicabo; *evolvi* dicitur, quod involutum et complicatum fuit. Male Vulpius *evolvere* de linguæ volubilitate, orationis copia, celeritate et loquendi libertate explicat.—*condita pectoris veri*, quæ latent in animo sincero, intima sensa animi.

75. *Non his tam lætor rebus*, tamen his rebus non tantum lætor, quantum cet. particula *tamen* post *quamquam*, *etsi*, sæpissime omittitur; si quis in re nota exempla desiderat, adeat *Cortium* ad Sallust. Jugurth. XXV. p. 577.

77, 78. Ex his duobus versibus, nisi vitium, quod insidet, tollitur, sensus exit absurdissimus. Qui, quæso, enim coma in capite Virginis Berenices, omnibus unguentis abstinentis, multa millia simul unguenta bibere potuit? Vitium haud dubie latet in voce *expers*, quam varie jam tentarunt interpretes; vid. *Var. Lect.*—pro qua mihi quidem rescribendum videtur *explens* passive, se explens, expleta. Ex infinitis exemplis, hunc verborum activorum usum probantibus, defungi liceat uno Catulli, qui supra Carm. LXIV. 324.

O decus eximium, magnis virtutibus augens,

pro *aucte*: ubi vid. not. Et sic sensus est, " in cujus vertice olim, cum virgo esset Berenice, et omnibus se expleret et saturaret unguentis, multa simul millia unguenta bibi."

79—82. De lectione et mira versuum sequentium explicatione vid. *Var. Lect.*—Ceteris lectionibus haud dubie præferenda est nostra, quam dedimus ex editt. Mureti, Gryph. Cantabr. Græv., quæ sensum satis commodum fundit hunc: " nunc vos, novæ nuptæ, ne prius nudatæ vestibus corporum

Non prius unanimis corpora conjugibus
Tradite, nudantes rejecta veste papillas,
Quam jucunda mihi munera libet onyx:
Vester onyx, casto petitis quæ jura cubili.
Sed quæ se impuro dedit adulterio,
Illius, ah! mala dona levis bibat inrita pulvis:
Namque ego ab indignis præmia nulla peto.
Sic magis, o nuptæ, semper concordia vestras
Semper amor sedes incolat assiduus.
Tu vero, regina, tuens cum sidera Divam
Placabis festis luminibus Venerem
Sanguinis expertem, non votis esse tuam me,

ex onyche depromta.—Secuti autem sunt Scaligerum editores deinceps fere omnes. Equidem vero hujus loci interpretatione nil vidi ineptius et absurdius: Puellæ primo statim cum novis maritis concubitu muneribus placare debent futuram eorum perfidiam!!! De nostra lectione v. not.

83. *Colitis quæ jura* Ald. Gryph. Muret.—Ex *quæritis*, quod in libris MSS. invenerat Achilles Statius, fecit ille *quatitis*, et Vossius *quæris*; male! *petitis* exstat in edit. Parthen., defendente Scaligero.

85. *Ah* deest in quibusdam. *Illius aura levis* Venet. Gryph.

86. *Namque indignatis* Vossius.

87. *Sed magis* parum commode in aliis.

91. In libris MSS. et editt. vett. legitur hic versus sic, *Sanguinis expertem*

vestrorum copiam unanimis maritis facite, quam ex onyche jucunda mihi munera libaveritis."—Sed et sic de loci integritate valde dubito. Nam primum editiones antiquissimæ et libri MSS. omnes, teste Achille Statio, pro *Non prius* in v. 80. offerunt *Non post*, quod a librariis cum *Non prius* commixtum esse vix credas; deinde ex norma loquendi debebat esse *Ne prius—tradite*. Denique temporum consecutio in v. 82. pro *libet* postulabat *libaverit*.—Mihi quidem omnis hujus loci corruptio manasse videtur ex mixta particula *Nunc* cum *Non* in v. 80.: quarum particularum confusione corruptus quoque est versus 21, ubi vid. not.—Locus igitur mihi rescribendus videtur sic:

Nunc vos, optato quas junxit lumine tæda,
Nunc post (vel *vos*) *unanimis corpora conjugibus*
Tradite, nudantes rejecta veste papillas,
Sic jucunda mihi munera libet onyx:

Nunc post, dominæ meæ exemplo in posterum; vel junge *post unanimis*, in unanimitate postero tempore permansuris. Cui nimis audacter a me repositum videtur *Sic* pro *Quam* in v. 82, ille servet antiquam lectionem *Quæ*. Sed multo aptior est particula *Sic*, (h. e. *hac conditione*) cui egregie respondet v. 87.—*onyx*, vasculum unguentarium ex onyche sive alabastrite.

83. *Casto petitis quæ jura cubili*, per *jura* casto conjugio explenda intellige *fidem*, unanimitatem cet.

89. *Tuens sidera*, sublatis in cœlum oculis; gestus ardenter precantium.

91. *Sanguinis expertem*. Veneris enim aræ nihil sanguinis offundebatur: de ara Veneris Paphiæ Tacit. Hist. II. 3. *sanguinem aræ offundere vetitum*, cf.

Sed potius largis effice muneribus,
Sidera cur retinent? utinam coma regia fiam:
Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

non vestris esse tuam me. Ex *vestris* jam Pontanus fecit *votis*, quem secuti sunt Parthen. Gryph. Muret. Guar. et alii. Magis tamen mihi arridet conjectura Statii, τὸ *vestris* in *verbis* mutantis.—*ne siveris esse* refinxit Scaliger; at Vossius, fidens doctrina sua et auctoritate, hunc et sequentem versum hac forma incedere jubet: *Sanguinis expertem non verticis esse tuam me Si potis es, largis effice muneribus.* de sensu sapienter nihil monet Vossius. Bentleius denique pro *sanguinis* rescribit *unguinis*, et amplectitur emendationem Scalig. *ne siveris.*

92. *Affice* male in quibusdam.

93. *Sidera cur iterent?* vetus lectio, sed parum probabilis; explicant passive "cur iterentur?" h. e. cur geminentur sidera? cur augeatur siderum numerus?—*Sidera cur inter?* non male legit Theodorus Marcilius; nos acquievimus in lectione vulgata.

94. *Proximus Arcturus fulgeat Erigonæ* contra omnem vett. librorum auctoritatem hunc versum ita exhibuerunt et defenderunt Marcilius, Muretus et alii, recte jam refutati a Scaligero et Voss.—*fulgeat* in quibusdam.

Cerdanus ad Virg. Æn. I. 407.—*non votis esse tuam me, sed potius* cet. "non promissis tantum, sed largis potius muneribus a Venere impetrare stude, ut in caput tuum redire et tuam rursus me esse patiatur."

93. *Retinent* sc. *me.*—vid. *Var. Lect.*

94. *Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.* Sensus est: "Tum per me licet Orion vicinus Hydrochoo, (a quo vel maxime ille disjunctus est) fulgur et procellas comparet."—*fulgeret* ab antiquo *fulgerare* pro *fulgurare.*—*Hydrochoi* græce pro *Hydrochoo.* Est autem Hydrochoüs seu Ganymedes unum e duodecim signis Zodiaci.

CARMEN LXVII.

AD JANUAM MŒCHÆ CUJUSDAM.

CATULLUS.

O DULCI jucunda viro, jucunda parenti,

Poëta infamem quandam mulierem notaturus increpat ejus januam, et tanquam nequitiæ magistram objurgat. Hinc inter poëtam et Januam exoritur colloquium, quo primum Janua omnem in se translatam culpam a se amoliri studet; deinde sceleratas incestæ mulieris libidines, partim aperte, partim obscure, indicat.—Quæ fuerit turpis illa mulier, quis Balbus, quis pater, quis filius et ceteri boni sodales, id nec facile ex historiis cognosci potest; nec, si posset, ex ejusmodi hominum cognitione magna in nos redundaret utilitas. Recte igitur stultum esse, ad h. l. judicat Muretus, si quis ea, quæ ne tum quidem, nisi a paucis, intelligi possent, conjectura se assecuturum esse autumet. Ceterum simili modo Janua loquens inducitur a Propertio lib. II. El. 16. quem cum Nostro compara.

1. *Jucunda,* obsequiosa et commoda

Salve, teque bona Juppiter auctet ope,
Janua: quam Balbo dicunt servisse benigne
Olim, cum sedes ipse senex tenuit:
Quamque ferunt rursus voto servisse maligno,
Postquam est porrecto facta marita sene.
Dic agedum nobis, quare mutata feraris
In dominum veterem deseruisse fidem.

JANUA.

Non, ita Cæcilio placeam, quoi tradita nunc sum,
Culpa mea est, quamquam dicitur esse mea.
Nec peccatum a me quisquam pote dicere quidquam:
Verum isti populo janua quidque facit:

4. *Olim quum has ædes* conjecit Jani Douzæ filius.

6. *Projecto,* h. e. expulso vel dimisso; Venet. Gryph. Muret.—*provecto* in marg. ed. Gryph.—*Postquam est porrecto facta marita soror* ex libro scripto Commelini profert Vossius.—*Postquam est projecto functa marita sene* tentat Stat.—*es* et *est* promiscue in libris veteribus.

7. *Dic age de nobis* vel *de vobis* in libr. vett.—*dic age dic nobis* Stat.

9. *Plateam* in libro Maffei, unde Statius legendum putat *pateam*.—pro *tradita* exhibent Gryph. Muret. et editt. aliæ *credita;* sæpissime autem *credere* et *tradere* permutata sunt. vid. *Burmann.* ad Ovid. Metam. II. 378. et *Drackenborch.* ad Sil. Ital. XVI. 371.

12. Hic lacuna in antiquissimis codicibus fuisse videtur, quam pro suo quisque

ministra, *viro,* si diis placet, *dulci,* qui uxorem scortari sinit, *parenti,* qui filii adeo cubile polluit. cf. v. 20 sqq.

2. *Salve.* εἰρωνικῶς salvere jubet Januam, flagitiosis hominibus patentem. Sic supra Carm. XLIII. 1.

Salve, nec minimo puella naso,
Nec bello pede, nec nigris ocellis, cet.

teque bona Jup. auctet ope. Imitatus est Ovid. Fastor. I. 612.

3. *Benigne,* bene et honeste.

5. *Voto maligno,* cupiditatibus inhonestis et turpibus, scortationi.

6. *Postquam est porrecto facta marita sene.* Sensus est: "postquam mortuo Balbo uxor in hanc domum deducta est." *porrecto,* a situ mortuorum. Collocabantur scil. apud veteres mortuorum corpora domi sic, ut januam versus porrecta jacerent. vid. *Kirchmannus de Funeribus Romanorum* l. 1. c. 12.—*facta marita est* trahunt interpretes ad *Januam,* et *marita* pro *maritalis* explicant; sed id admodum durum mihi videtur; ego intelligo mulierem, quæ ex meretrice est facta marita. Pro *facta* legendum olim suspicabar *lecta,* vel *ducta,* sed salsius fortasse dixit poëta *facta est,* a patre nimirum et filio simul.

9. *Tradita.* Cæcilium Balbi hæredem fuisse, facile ex usu verbi *tradere* colligas.

11. *Nec peccat.* cet. "nec quisquam, quidquam mihi culpæ vertere potest." *quisquam* et *quidquam* suaviter sibi respondent.

12. Friget hic versus, quamcunque lectionem sequaris. vid. *Var. Lect.*

Qui, quæcunque aliquid reperitur non bene factum,
Ad me omnes clamant: Janua, culpa tua est.

CATULLUS.

Non istuc satis est uno te dicere verbo;
Sed facere, ut quivis sentiat et videat.

JANUA.

Qui possum? nemo quærit, nec scire laborat.

CATULLUS.

Nos volumus: nobis dicere ne dubita.

JANUA.

Primum igitur, virgo quod fertur tradita nobis,
Falsum est. Non illam vir prior attigerat,
Languidior tenera quoi pendens sicula beta,
Nunquam se mediam sustulit ad tunicam:
Sed pater illius nati violasse cubile
Dicitur, et miseram conscelerasse domum;

ingenio explere studuit; hinc alius, *Verum isthæc potius janitor ipse facit:* alius, *Verum istis me auctorem esse facit populus;* alius, *Verum isti populo di mala multa ferant;* alius, *Verum isti populo janua quid reficit.*—Statius conjiciebat, *Verum istis probri janua quidque facit.*—Scaliger, *Verum istis populi nænia, Quinte, facit.*—Vossius, *Verum isti populo Janua quid faciat?*—En vanum VV. DD. in ejusmodi veterum locis studium! nos dedimus lectionem Græv.

17. *Quid possum* MSS. Stat.—*Quid possit* in libro Scalig. unde ille, *Quid possis.*

18. *Nos volumus vobis dicere, ne dubita* MSS. Stat. unde ille *nec dubia* reponit; pergit nimirum ex hac lectione Janua loqui.

20. *Namque illam—attigerat* Stat.—*non qui illam vir prior attigerit* Vossius, accedente Vulpio.—*nonque illam vir prior attigerat* Græv. v. not.

22. *Sustulit hanc tunicam* in omnibus MSS. Stat. unde ille conjectat, *Nunquam se medio sustulit hinc tunica.*

23. *Ipsius* in nonnullis.—*ille sui* tentat Scaliger.

16. *Facere,* probare et declarare.

20. *Non illam.* Suspectam hanc lectionem esse, apparet ex *Var. Lect.*—Equidem legendum puto *Nunquam illam,* quod facile ex corruptis lectionibus elici potest; et sic oratio multo fit concinnior et gravior ob repetitionem particulæ *nunquam* in versu 22.

21. *Sicula,* gladiolus, diminutivum a sica. Similes locutiones, quibus pars, qua viri sumus, petulanter exprimitur, non gravatus est e penu sua depromere Vulpius. cf. Stat.

24. *Conscelerasse domum:* cf. supra Carm. LXIV. 405.

Sive quod impia mens cæco flagrabat amore,
Seu quod iners sterili semine natus erat,
Et quærendum unde unde foret nervosius illud,
Quod posset zonam solvere virgineam.

CATULLUS.

Egregium narras mira pietate parentem,
Qui ipse sui gnati minxerit in gremium.

JANUA.

Atqui non solum hoc se dicit cognitum habere

25. *Tecto—amore* in quibusdam MSS. Stat.

27. *Quærendumque nec unde foret* Parthen. Voss. Vulp.—*Ne quærendum aliunde foret* Gryph. Muretus.—*Et quærendum unde foret* in omnibus MSS. Stat. qui primum vidit, particulam *unde* geminandam esse.—*Et quærendum aliunde foret* editor Cantabr. Græv.

30. *Imminxerit* in uno Statii.

31. *Atqui non solum hunc* (sc. impium et libidinosum patrem) Gryph. Muret. Græv.

25. *Cæco amore*, quo quis ad explendam libidinem, nulla legum humanarum ratione habita, cæcus agitur.

26. *Seu quod iners sterili semine natus erat*, quod virum se præstare non poterat.

27, 28. Sensus: "Et alius quispiam, undecunque tandem foret, exquiri debebat, qui ad eripiendam virginitatem nervosior, h. e. vi mascula magis instructus esset." *nervosius* hinc Græcis νεῦρα, τὰ αἰδοῖα.—*zonam solvere*; vid. quos laudavimus supra ad Carmen LXI. 53. et II. 13.

30. *Qui ipse* cet. qui cum nuru sua adeo concubuerit.—Si quis exempla rem obscenam illustrantia desiderat, adeat ad h. l. Interpretes, et conferat Pers. Sat. VI. 73.

31. sqq. Sensus: "Atqui non hujus nefandæ libidinis tantum testem se profitetur Brixia, sed eadem quoque de adulterio cum Posthumio et Cornelio facto narrat."—*Brixia* (nunc *Brescia*, ut notat Cellar. Geogr. Antiq. II. c. 9.) *caput gentis Cenomanorum* appellatur a Livio XXXII. 30. Describitur jam Brixia primum a situ, *Cycneæ supposita speculæ* h. e. arci vel colli; ponamus in hanc rem verba, quæ Vulpius ex libello *Joannis Chrysostomi Zanchii de Origine Orobiorum sive Cenomanorum ad Petrum Bembum* lib. II. protulit: *Declarare*, scribit ille, *nobis voluit poëta lepidissimus, principem illius arcis, summo in collis cacumine positæ, fundatorem ac conditorem fuisse Cydnum, illum Liguris filium, quem Græci Cycnum vocant, quæ ad Cæsaris usque tempora proprio nomine ab auctore Cycnea specula cognominaretur, non Cichonia aut Chinnea, ut in libris minus accurate scriptis reperiri solet.*—Collem ipsum Brixiæ imminentem hodie vocari *Cigneo*, ex *Heliæ Capreoli Monumentis Brixianis* refert laudatus a Vulpio *Paullus Galeardus* in *Observationibus ad priscam Inscriptionem aliasque Brixianas antiquitates, editis in Volumine XXX. Ephemeridum Litteratorum Italorum, Articulo II.* deinde, ut solent poëtæ in describendis urbibus, a flumine *Mela*, qui olim Brixiam alluebat, nunc vero circiter millia passuum ab urbe abest. vid. *Wesseling.* ad *Antonini Itiner.* p. 552.—*flavus*, ab arena-

Brixia, Cycneæ supposita speculæ,
Flavus quam molli percurrit flumine Mela,
Brixia, Veronæ mater amata meæ:
Sed de Posthumio, et Corneli narrat amore,
Cum quibus illa malum fecit adulterium.
Dixerit hic aliquis: Qui tu isthæc, janua, nosti,
Quoi nunquam domini limine abesse licet,
Nec populum auscultare: sed huic suffixa tigillo
Tantum operire soles, aut aperire domum?
Sæpe illam audivi furtiva voce loquentem
Solam cum ancillis hæc sua flagitia,

32. *Chinæa specula* Venet. Gryph. Cantabrig.—*Chinææ speculæ* Muretus et alii: nostram lectionem defendit Vulpius. vid. not.—*suppositum in specula* vel *supposita in specula* in nonnullis, haud dubie versus fulciendi causa, sed syllaba brevis, sequenti syllaba cum *sp* incipiente, producitur. Exemplorum cumulum dedit Vulpius ad Tibull. I. 5. 28.

33.—34. Hos duos versus spurios et mala manu importatos esse, quod non solum historiarum veritati, sed etiam linguæ latinæ proprietati, atque omnino elegantiæ Catulli repugnent, acriter contendit *Scipio Maffeius* in libello Italico, quem edidit *De antiqua Veronæ conditione:* sed eosdem in fidem suam recepit et motas a Maffeio difficultates eleganter et docte expedire studuit *Paullus Galeardus* in Opusculo inscripto *Parere intorno all' antico stato de' Cenomani ed ai loro confini.* Utriusque argumenta proposuit et diligenter examinavit ad h. l. Vulpius, qui in sententiam Galeardi discedens dignos omnino hos versus Catullo esse magno eruditionis apparatu et idoneis argumentis ostendit.—pro *percurrit* in v. 33. male legitur in nonnullis *præcurrit,* ut docet *Wesselingius* in notis laudatus.

35. *Postumii* in nonnullis.

37. *Quid? tu isthæc* in MSS. Statii, non male.

38. *Divum limine* ex libris melioribus profert Vossius, et intelligit Penates vel Lares.

39. *Hæc suffixa tigillo* in MSS. Statii.

42. *Solam consiliis* vel *conciliis* in editt. antiquis, unde Manutius legendum suspicatus est *conscioliis,* adstipulantibus Mureto et Scaligero; quos secuti sunt Cantabr. et Græv. et vere diminutivorum usu maxime delectatur Catullus. At Vossius legi jubet *Cæciliis,* h. e. agnatis Cæcilii, cujus mentio facta est versu 9, et sic legebat jam Parthenius; nec incommoda videtur nostra lectio, quam protulit Statius.

rum flavo colore. vid. *Schrader.* ad Musæum p. 269.—*molli flumine:* vocatur flumen *molle,* quamvis erat torrens rapidus; sed hoc fit ex more poëtarum; sic *Ladon* ab Ovid. (Met. I. 702) *placidus* vocatur, cum esset flumen rapidissimum; et *Hebrus* a Virg. (Æn. I. 321) *celer,* cum esset per se tardissimus; dicitur denique *Brixia* Veronæ, ubi res agitur, *mater,* vel quod esset, ut Statius observat, urbs Brixia vetustior, vel quod inde coloni multi commigrassent, vel quod esset Cenomanorum metropolis. Vulpius comparat cum nostro Epigramma Callimachi XXVII.

Καλλίστη τὸ πάροιθε, τὸ δ' ὕστερον οὔνομα Θήρη,
Μήτηρ εὐίππων πατρίδος ἡμετέρης.

et alia exempla, ubi mater (*μήτηρ*) de urbibus sic usurpatur, e græcis scriptoribus profert.

42. Vid. Var. Lect.

Nomine dicentem, quos diximus: utpote quæ mi
Speraret nec linguam esse, nec auriculam.
Præterea addebat quendam, quem dicere nolo
Nomine, ne tollat rubra supercilia.
Longus homo est, magnas quoi lites intulit olim
Falsum mendaci ventre puerperium.

44. *Speret nec* in omnibus MSS. Statii et Codice Patavino, unde ad versum fulciendum Statius verba transponit sic, *Nec linguam speret*: sed neque Vossium, neque Vulpium hiatus post *linguam* offendit, neo adeo, puto, Catulli lectorem offendere debet; interim dedimus lectionem vulgatam.

45. *Ardebat* in quibusdam.

46. *Ne tollat rubra sup.*, ne exasperetur ira, quam sublata et attracta supercilia præ se ferunt. cf. Douza Fil. ad h. l.

47. *Longus.* longiori corporis figura notare simul videtur animi stuporem. cf. infr. Carm. LXXXVI. 4.

48. *Falsum mendaci ventre puerperium*: vel quod adoptare vellet prolem adulterinam et illegitimam; vel quod ipse adulterio conceptus homini locupleti suppositus esset.

CARMEN LXVIII.

AD MANLIUM.

Quod mihi fortuna, casuque oppressus acerbo,

Ad Manlium. In scribendo hoc nomine libri MSS. et editt. veteres mirum in modum discrepant; scribitur enim modo *Malius*, modo *Mallius*, modo *Manilius*, modo *Allius*; eadem hujus nominis confusio est in aliis scriptoribus. vid. quos laudat Santenius.

1. *Quid* in quatuor MSS. Sant.—*Quo* ex uno profert Voss. utrumque male; evincit enim nostram lectionem v. 9.

Catullus Manlio, (de quo vid. supra Argumentum ad Carm. LXI.) respondens ad ejus literas, in quibus ille de acerbo quodam, quem expertus fuerat, casu multum et misere questus fuerat, et doloris sui leniendi gratia *munera Musarum et Veneris*, h. e. carmen quoddam consolatorium et amatorium a poëta nostro petierat, hoc carmine declarat, se, licet ex eo, quod officium amicitiæ in re tristi a se exigat, non sine magna voluptate, quam in amicitia sua ponat, cognoverit fiduciam, tamen, cum ipse gravissimo ob fratris dulcissimi mortem dolore nunc oppressus sit, qui omne Musarum studium et omnes animi delicias abstulerit et de tota mente fugaverit, nullo modo huic officio satisfacere posse. Ne vero hac excusatione ingrati animi suspicionem apud Manlium moveat, ipse prædicat, quot et quantis obstrictus illi teneatur beneficiis, et his nominibus Musis eum per omnes terras celebrandum commendat. Inprimis extollit insigne ejus studium, quo olim puellæ, quam per-

Conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium,

2. *Conspersum* vult Schraderus; sed quis non sentit, multo gravius esse *conscriptum?*—*hoc* omissum est in edit. Muret.

dite amabat, usum sibi concesserit; quam eodem amoris ardore in domo Manlii sibi apparuisse canit, quo olim Protesilao in domum ejus deducta apparuisse dicitur Laodamia, cujus fabulam fusius hac occasione sibi explicandam sumsit; qua enarrata cum bonis votis pro salute Manlii et totius ejus domus nuncupatis carmen finit.—Quod supra Carm. LXIV. de longioribus poëtæ nostri digressionibus animadversum et reprehensum fuit a V. V. D. D., idem valet de intexta huic carmini fabula Laodamiæ, quæ, quo majorem carminis partem occupat, eo magis lectorum animos ab ipsa re, ad quam scribendam poëta accesserat, avertit. Nemo certe in eo carmine, in quo poëta ob internum animi dolorem nullum plane jam se cum Musis commercium habere fatetur, longiorem fabulæ cujusdam descriptionem expectat; sed, si cogitamus, fabulam Laodamiæ ita esse comparatam, ut docere possit alios, quam sæpe amor ferventissimus interrumpi soleat; Catullus pro animi sui dolore in hujus fabulæ contemplatione et consideratione acquievisse et uberiore ejus expositione tam sibi, quam Manlio, interrupti amoris dolore laboranti, aliquid solatii petiisse, putari potest.—Ipsa fabula autem tam egregium in Catullo nostro nacta est interpretem, ut, sive opportuno sive importuno loco ab eo tractata fuisse censeatur, digna certe, quæ ad omnem posteritatem propagetur, habenda sit. Muretus quidem, interponens suum de hoc carmine judicium, *pulcherrima omnino*, inquit, *hæc Elegia est, atque haud scio, an ulla pulchrior in omni Latina lingua reperiri queat. Nam et dictio purissima est: et mira quædam affectuum varietate permista oratio: et tot ubique aspersa verborum ac sententiarum lumina, ut ex hoc uno poëmate perspicere liceat, quantum Catullus ceteris in hoc genere omnibus præstare potuerit, si vim ingenii sui ad illud excolendum contulisset.*—Separatim hoc carmen edidit et tanquam specimen futuræ editionis Catulli proposuit, *celebre apud Batavos Nomen, Santenius* (Lugd. Batavorum 1788. 4.); cujus cura in nova, quam adornaturus est, editione spectare potissimum videtur eo, ut librorum MSS. et editionum principum usu et collatione spurias lectiones investiget et tollat, genuinas autem revocet et constituat; quo quidem studio quam præclare Vir tam eruditionis quam librorum copia instructus de Catullo meriturus sit, dicere nihil attinet. Non parum igitur in hujus carminis recensione juvit nos opera *Santenii*, cui, non nisi iis omissis lectionibus, ex quibus nihil sani extricari posse videbatur, omnis fere a nobis subjecta debetur lectionis varietas. Sed cum opus sit, si cum fiducia quadam de germana poëtæ nostri lectione judicare et originem corruptarum lectionum exquirere volumus, ut auctoritas, vetustas et bonitas librorum tam scriptorum, quam expressorum diligenter examinetur, et eorum ordo pro sua cujusque dote et virtute constituatur, non dubitamus, quin has critices in recensendo Catullo partes *Santenius* egregie expleturus sit.

1. *Casuque opp. acerb:* amoris, cui adhuc indulserat, fructibus privatum fuisse hoc acerbo casu Manlium, apparet ex v. 6. Multa autem suadent, ut cum Scaligero et Vulpio de inimicitia potius inter Manlium et ejus amicam orta, quam cum Parthenio de ejus uxoris Juliæ morte cogitemus. Sic Manlius v. 3. dicitur *naufragus*, haud dubie, quod in amore fecerat naufragium, h. e. expulsus fuerat a puella. Nec, ut alia taceam, Manlium de morte uxoris dolentem *munera Veneris* a Catullo petiisse, facile tibi persuadeas.

2. *Hoc*, hujus argumenti, in quo hoc postulas.

Naufragum ut ejectum spumantibus æquoris undis
Sublevem, et a mortis limine restituam:
Quem neque sancta Venus molli requiescere somno
Desertum in lecto cœlibe perpetitur;
Nec veterum dulci scriptorum carmine Musæ
Oblectant, cum mens anxia pervigilat:
Id gratum est mihi, me quoniam tibi dicis amicum,
Muneraque et Musarum hinc petis et Veneris.
Sed tibi ne mea sint ignota incommoda, Manli,
Neu me odisse putes hospitis officium:
Accipe, queis merser fortunæ fluctibus ipse,
Ne amplius a misero dona beata petas.
Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
Jucundum cum ætas florida ver ageret,

3. *Naufragi* conjecit Heinsius, ut ad *æquoris* referatur. pro *ut* male in nonnullis *et*.

6. *Thalamo* pro *lecto* in edit. Stat. haud dubie ex errore.

8. *Pervigilet* male Scaliger.

9. *Dicis* in triginta codicibus et editt. quatuor prioribus offendit Santenius. Magis quidem arridet et multo convenientior videtur nostra lectio *ducis*, quam primus Calpurnius vulgavit, sed haud inepte quoque explicari potest *me dicis* pro "me declaras, me alloqueris ut tuum amicum in hac epistola;" confusa autem sunt sexcenties a librariis *dicere* et *ducere*. cf. supra Var. Lect. ad Carm. VIII. 4.

10. *Et* priori loco omissum est in Codice Hamb. et Charta Reg.—at in exemplari Bibl. Leid. totus versus legitur sic, *Munera Musarumque hinc petis hinc Veneris*.

12. *Sospitis* tentabat Schraderus. sed cf. v. 68.

13. *Aspice* in quibusdam; sæpe enim in *adspicere* et *accipere* peccarunt librarii: vid. *Nic. Heins.* ad Claudian. in Eutrop. I. 485. et *Brouckhusius* ad Propert. II. 13. 29.—*qui* in uno Mediolanensi.—*quid* Nanianus.—*quam* laudat Crinitus in vita Catulli.—*verser* in alio Mediolanensi et Bodleiano.

4. *Restituam*, imitatus est Nostrum, ut monuit jam Muretus, Virgilius in *Culice* v. 223.

——— *cum te*
Restitui superis leti jam limine ab ipso.

5. *Sancta Venus*: cf. supr. ad Carm. XXXVI. 3.

6. *Desertum in lecto cœlibe*, solum et derelictum in lecto viduo et vacuo; plenius pro *in lecto deserto*. sic *cubile desertum* v. 29.

12. *Hospitis officium*, quod hospes ab hospite ex hospitii jure exigere potest; ergo non amicitiæ tantum, sed hospitii quoque vinculo Noster cum Manlio conjunctus fuit.

13. *Queis m. fort. fl. ipse*: nota et elegans fortunæ adversæ imago, maris impetuosi instar corripientis et voragine sua absorbentis miseros. *Statius* comparat Horat. Epist. I. 2. 22.

14. *Dona beata*, qualia non nisi a beatis, h. e. secunda fortuna utentibus, peti debent.

15. 16. Expende ornatum vulgaris

Multa satis lusi: non est Dea nescia nostri,
Quæ dulcem curis miscet amaritiem.
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abstulit. O misero frater ademte mihi,
Tu mea, tu moriens fregisti commoda, frater:
Tecum una tota est nostra sepulta domus:
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Quojus ego interitu tota de mente fugavi
Hæc studia, atque omnes delicias animi.
Quare, quod scribis: *Veronæ turpe Catullo*

20. *Abscidit* dedit ex vetere, ut ait, scriptura Scaliger; sed nostram lectionem auctoritate et consensu MSS. octo et viginti et editt. ante Scaligerum excusarum confirmavit Santenius.

27. *Quæ scribis* in uno Voss.

sententiæ: "cum adhuc essem adolescens." *Vestis pura* est toga virilis, ita vocata, quia tota alba fuit, quam, deposita prætexta, sumere fere solebant adolescentes anno ætatis decimo sexto, ut in vulgus notum est. Ad vers. minorem illustrandum varia ex græcis scriptoribus exempla congessit Statius.

18. *Quæ d. c. m. a.*: cf. quæ in hanc sententiam notavimus supra ad Carm. LXIV. 95.

19. *Luctu fraterna mors abst.*, exquisitiore forma pro "luctus fraternæ mortis."

21. Nostrum ante oculos habuit *Lotichius* Lib. III. Eleg. VI. 39, 40.

Tu studium lususque meos, tu gaudia vitæ
Omnia fregisti morte, Stibare, tua.

22. "Tecum omne simul, quo domus nostra nitebatur, sepultum est præsidium, omnis gentis nostræ honor extinctus, omnis a consanguinitate nobis parta felicitas sublata est;" quam graviter ad miserationem movendam!

23. *Omnia—nostra.* Hunc versum uno tantum mutato verbo suum fecit *Lotichius* Ecl. I. 32.

Omnia tecum una fugerunt gaudia nostra.

24. *Quæ tuus in vita* cett. In hanc sententiam *Eldickius* comparat Euripid. Alcest. v. 345.

Σὺ γάρ μου τέρψιν ἐξεῖλου βίου.

27—30. Sensus est: "Quare, quod scribis, turpitudini esse Catullo, Veronæ jam commoranti, quod Romæ (*hic*) quilibet nobilior vel beatior frigida in cubili deserto membra fovere, h. e. cum puella a Catullo deserta consuescere solet, id, Manli, non turpe magis, quam miserum est (quia causa deserti et intermissi amoris fuit gravis dolor et luctus.)."—Ponit nimirum poëta ipsa verba, quibus Manlius in missa ad eum de hac re epistola usus fuerat; unde facile intelligitur, cur in versu 28 *hic* et v. 29 *tepefecit* (h. e. tepefacere solet) scripserit. Quod quidem ut statim in lectorum oculos incurreret, alia literarum forma hunc locum excudendum curavi.—*quisquis*, nisi in fine versus additur *est*, jam pro *quisque*, *quilibet*, positum est. et sic *quisquis* pro *quisque* apud ipsum Ciceronem

Esse, quod hic quisquis de meliore nota
Frigida deserto tepefacit membra cubili,
Id, Mani, non est turpe, magis miserum est.
Ignosces igitur, si, quae mihi luctus ademit,
Haec tibi non tribuo munera, cum nequeo.
Nam, quod scriptorum non magna est copia apud me,
Hoc fit, quod Romae vivimus: illa domus,
Illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas:
Huc una ex multis capsula me sequitur.
Quod cum ita sit, nolim statuas, nos mente maligna

28. *Quisque* in Cod. Leid. n. 13.—*quisquam* dedit Muretus.—In fine versus Excerpta Perrei addunt *est.*

30. *Tepefiunt* in quibusdam.—*tepefiant* in optimo libro Vossii, unde Schraderus faciebat *tepefiat*, nimirum quoad membra.—*tepefactat* in Excerptis Frano. Caccise. placet haec lectio prae ceteris.

32. Ex *quom nequeo,* quod in Codice quodam et editione vetusta invenerat, fecit Heinsius *quoi nequeo*, parum commode.

34. *Quum Romae* in Collationibus et Excerptis quorundam.

35. *Mihi,* quod pro *mea* in editionem Ald. 1502. invectum fuerat, jam ab aliis rejectum est.

36. *E* in nonnullis.

37. *Me* pro *nos* in edit. Ald. 1502. unde ab aliis repetitum est; sed *nos* tuentur omnes MSS. et edd. antiquissimae, quibus usus est Santenius.

occurrit ad Div. VI. 1. *Nam etsi, quocunque in loco quisquis est, idem est ei sensus.* eodem modo *quidquid* pro *quidque* in Oratione pro Cluentio c. 19. *ut quidquid ego apprehenderam.* et Livius XXXVIII. 27. §. 13. *generosum in sua quidquid sede gignitur.* Hinc quoque fortasse explicari potest conclamatus ille locus Virgilianus Eclog. III. 109. 110:

Et vitula tu dignus, et hic: et quisquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.

Dubitat quidem adhuc de hujus loci integritate Summus *Heynius*, nec unquam commodum et rationibus grammaticis consentaneum sensum inde elici posse existimat; et sane, ut nunc leguntur verba, inextricabili laborant difficultate. Sed omnis difficultas tolli posse mihi videtur mutata copula *et* ante *quisquis* in *sic*, et pro *metuet* et *experietur* recepta lectione, quae est in edit. Venet., *metuat* et *experiatur*, hoc sensu: "uterque dignus est, qui positum pretium, vitulam, accipiat; *sic* (vestro exemplo) *quisquis* (quisque, quilibet alius) aut metum in felici, aut amaritiem in infelici amore canendo exprimat;" utrumque autem ab utroque pastore alternis expressum est.

34. *Hoc fit, quod Romae vivimus,* "causa est ea, quod proprium mihi domicilium Romae est, ubi omnis nostra servatur supellex libraria."

36. *Huc,* Romam inde Veronam.—*capsula,* librorum et scriptionum theca et receptaculum, unde, qui libros in capsula gestando pueros nobiliores in ludum literarium euntes sequebantur, dicti sunt *capsarii.* vid. *Turneb.* ad Sueton. Ner. 36.

Id facere, aut animo non satis ingenuo ;
Quod tibi non utriusque petiti copia facta est:
Ultro ego deferrem, copia si qua foret.
Non possum reticere, Deæ, qua Manlius in re
Juverit, aut quantis juverit officiis ;
Ne fugiens seclis obliviscentibus ætas
Illius hoc cæca nocte tegat studium.
Sed dicam vobis. Vos porro dicite multis
Millibus et facite hæc charta loquatur anus.

* * *

39. *Petiti* ex conjectura Parthenii, quem plures secuti sunt, nam ejusmodi aliquid flagitat fere *utriusque*.—*Quod tibi non prius usque petenti* parum feliciter tentat Heinsius. pro *facta est* legitur in quibusdam libris MSS. *posta est*, quod recepit Vossius. alias corruptas lectiones recensuit Santenius, ex quibus vix extrices lectionem nostræ præferendam.

40. *Differrem* male in libris MSS. et editt. vett.

41. *Quam* pro *qua* recepit Santenius, quod in plus quam triginta Codd. et multis editt. antiquissimis invenerat; sed ex meo sensu multo aptius et verius est *qua*, quod in duobus Codd. Saibantis et aliis reperitur; nam rem ipsam, in qua expertus sit Manlii auxilium, Catullus refert. Commentum Scaligeri *Quam me Allius* jam ab aliis explosum est.

43. *Nec* in duabus principibus Venett. et septemdecim Codd. Santenii; sed non raro in scribendis particulis *ne* et *nec* peccarunt librarii. vid. VV.DD. quos laudat *Drackenborch.* ad Liv. I. 10. 3. Tom. I. p. 53. adde *Bentlei.* ad Horat. Sat. II. 3. 262.

46. *Et facite hoc fama loquatur anus* volebat Fruterius.—pro *charta* perperam in plurimis libris MSS. *certa* vel *curva*, unde Achilles Statius tentabat *cera;* sed *charta* est in optimo codice olim Ducis de la Valliere, nunc Santenii, et confirmatur imitatione Martial. XII. 4.

*** In plerisque Codd. antiquis hic est lacuna, quæ in Datiano et octodecim

39. *Utriusque petiti,* (vid. *Var. Lect.*) "utriusque rei, quam a me petiisti." cf. v. 10.

40. *Deferrem,* offerrem,—ut sæpe apud Ciceronem. vide exempla in *Ernesti Clave Cic.* s. v. *deferre.*

41. Eodem tempore, quo poëta Manlii precibus se satisfacere non posse declarat, opportune ejus animo obversantur accepta ab eo beneficia. Convertit autem se ad eas deas, h. e. Musas, quibus, ut Theocritus canit, (Idyll. XVI. 1. 2.) cura est, *ὑμνεῖν ἀγαθῶν κλέα ἀνδρῶν*, et eorum nomina æternitati consecrare.

42. *Juverit* sc. me.

43. "Ne ulla usquam hæc ejus de me merita obliteret oblivio;" expende, quam egregie poëta hanc sententiam exornaverit.

45. Novo exemplo poëta jam Musis canendi materiem suggerit, quam alias Musæ poëtis suggerere solent. Causam hujus novitatis repete ab ejus dolore, in quo, quas ipse sustinere nequit partes, lepide Musis delegat.

46. *Charta loquatur anus:* olim cum charta fuerit vetusta, intellige carmina ad posteritatem propaganda; sic *anus* passim adjective ponitur; exempla vide apud Vulpium. cf. supra ad Carm. IX. 4. Expressum hoc esse ex Fragment. Æschyli *ὡς λέγει γέρον γράμμα,* indicavit *Valckenarius* ad Euripid. Phœniss. v. 103. p. 38.—*Santenius* in hanc rem laudat *Toupium* ad Theocritum Tom. II. p. 394.

Notescatque magis mortuus, atque magis:
Ne tenuem texens sublimis aranea telam,
Deserto in Manli nomine opus faciat.
Nam, mihi quam dederit duplex Amathusia curam,
Scitis, et in quo me corruerit genere:
Cum tantum arderem, quantum Trinacria rupes,

aliis Codd. apud Santenium expleta est sic *Omnibus et triviis vulgetur fabula passim:* in octo aliis Codd. cæterisque editionibus omnibus *Omnibus inque locis celebretur fama sepulti.*

49. *Nec* reposuit Santenius, multorum librorum MSS. et editt. antiquarum auctoritate commotus; mihi oratio postulare videtur *ne;* cf. ad. v. 43.

50. *In deserto Aulii* ex conjectura Marcilii, quam amplexus est Vulp.—in nomine *Manli* mirum in modum discrepant MSS.—vid. Santenium.

51. *Amatutia* in Cod. Saibantis, Vallieriano et secunda Veneta.—*Amatuntia* in primo Mediceo et editt. antiquioribus. sed formam *Amathusia* præfert *Heinsius* ad Ovid. Amor. III. 15. 15.—et sic est in omnibus fere editt. Santenii.

52. *Torruerit* Palatinus membranaceus et Commelinianus apud Santenium, quam lectionem probant Statius, Vulpius et alii. Sed *corruerit* exstat in sex et viginti Codicibus Santenii et omnibus editionibus antiquis, quod sumendum est active pro "prostraverit, pessumdederit;" quod quamvis paulo insolentius a Catullo dictum videri possit, idem tamen vim amoris, cui quis succumbit, vel quo quis prosternitur, graviter describit; huc pertinet locus Horatii Od. I. 19. 9. *In me tota ruens Venus.* quid? si ad hoc exemplum una transposita vocula versus legatur sic *Scitis et in me quo corruerit genere.* Quodsi autem ex norma Criticorum lectio difficilior præferri debet faciliori, jam ex hac ratione verior habenda est lectio *corruerit;* nec me movet, quod *torruerit* magis conveniat verbi sequenti, ut observat Turnebus in Advers. XVI. cap. 1, cum et nostra lectione bene nexus constet.—*corpuerit* pro *corripuerit* conjecit *Marklandus* in notis ineditis apud Santenium.—*torruerit ciuere* vult Heinsius.—*in qua me torruerit Venere* ingeniose emendat Schraderus, modo in versu majori *Amathusia* non præcederet.

49, 50. *Ne tenuem texens sublimis aranea* cet. Nota imago de rebus neglectis et in situ et squalore jacentibus. cf. *Brouckhus.* ad Propert. III. 4. 33. et supra ad Carm. XIII. 8.—*aranea sublimis,* telam suam in sublimioribus locis suspendens.—*Des. in Manli nom. opus faciat:* neglectum Manlii nomen, ubi illud scriptum est, textura obducat.

51. *Duplex Amathusia.* Multiplicem duplex Venus ab interpretibus ad hunc locum experta est explicationem, quam ita a Catullo vocatam putant, vel, quod sit fallax et dolosa, ut dicitur *duplex Ulysses* apud Horat. Od. I. 6. 7. vel quod amatoribus modo propitiam, modo iratam, se præbeat; vel quod Catullum ad duas puellas amandas pellexerit: vel quod Catullus utriusque sexus amore flagraverit: vel quod gemina sit Venus; *vulgaris, πάνδημος,* et *cœlestis, οὐρανία*: vel quod Veneris tam maris quam fœminæ effigies barbata in Amathunte culta fuerit, ad quam poëta respexisse videri possit.—Mihi quidem ideo jam Amathusia dicta a Catullo videtur *duplex,* quod dea in puellæ, quam deperibat Noster, amore, non ipsi uni tantum, sed alii simul favebat, h. e. quod eandem, quam amabat, cum alio conjunxerat; cf. v. 135 et 146. et sic *duplex* habet fere notionem fallaciæ.

52. *In quo genere,* in quam gravi amoris genere; quale est illud, ubi ab alio simul amatur puella.—*me corruerit:* vid. *Var. Lect.*

53. *Trinacria rupes,* Ætna in *Sicilia,* quam antiquis a tribus promontoriis, (quæ Græcis ἄκρα,) Peloro, Pachyno et Lilybæo dictam esse *Trinacriam,* in vulgus notum est. *Trinacria Ætna* Vir-

Lymphaque in Œtæis Malia Thermopylis;
Mœsta neque assiduo tabescere lumina fletu
Cessarent, tristique imbre madere genæ.
Qualis in aërii pellucens vertice montis
Rivus muscoso prosilit e lapide:
Qui cum de prona præceps est valle volutus,
Per medium densi transit iter populi,
Dulce viatori lasso in sudore levamen,
Cum gravis exustos æstus hiulcat agros:

54. Pro *Lympha* in uno Vaticano *Unda* haud dubie ex interpretatione.—pro *Œtæis* varia in variis libris offeruntur lectionum monstra; vid. Santen. Eodem modo libri variant in *Malia*, quæ lectio certe post Parthenium non impugnari debebat. vid. not.—*Lamia* tentabat Taurellus. Sed Vossius importavit *Daulia*, merito hoc nomine jam reprehensus ab *Hemsterhusio* ad Lucian. T. I. p. 112.

55. *Nec* in tribus libris Santenii.

58. *A lapide* in Datii codice; sed nemo non præferet *e lapide*.

59. *De prono colle* suspicabatur olim Santenius.

61. *Basso viatori*, quod vitiose in Codd. legitur, non dubitavit in fidem suam recipere Vossius.

gil. Æn. III. 554. cæterum luxurians poëtarum ingenium sæpius flammam amoris cum ignibus Ætnæis comparat. Sic Ovid. Rem. Amor. v. 491.

Quamvis infelix media torreberis Ætna,
Frigidior glacie fac videare tuæ.

alia exempla dant Statius et Vulpius.

54. Sensus: et quantum ardent thermæ s. aquæ calidæ in Thermopylis.—Hujus aquæ calidæ fontes Herculi dicati fuerunt in ipsis Thermopylarum, inde sic dictarum, faucibus sive ingressu, quæ a superimpendente illis monte Œta vocantur *Œtææ*; ipsa aqua autem dicitur *Malia* ab adjacente regione *Maliensi*, quæ *sinum Maliacum* ad Orientem habet. Fuse et erudite hanc rem examinavit Santenius, quem vide.

57 seqq. Hanc elegantissimam cum rivo comparationem male ad lacrymarum imbrem trahit Muretus, quem cum aliis secuti sunt Vulpius et Santenius, qui loca plane huc non pertinentia in hanc rem ex Homero laudant; nexus institutæ comparationis aperte est hic: "quale levamen æstatis tempore lasso et sudanti viatori est dulcis rivus, et quale solatium venti secundi afflatus nautis tempestate jactatis præbet, tale mihi in amore meo Manlii fuit auxilium."—*pellucens*, limpidus. Vulpius in hac voce argutatur.

60. *Per medium densi transit iter pop.*, per mediam viam, quam celebrat et frequentat populus.

61. *Eldickius* bene cum Nostro comparat locum *Anytæ* VII. 3. in Analectis Vett. Poët. Græc. Brunckii Tom. I. p. 198.

Πῖδακα τ' ἐκ παγᾶς ψυχρὸν πίε· δὴ γὰρ ὁδίταις
Ἄμπαυμ' ἐν θερμῷ καύματι τοῦτο φίλον.

Similiter quoque Oppianus Cyneg. II. 39:

Ψυχρὸν δ' ἐξ ἄντροιο προχεύμενον ἄργυφον ὕδωρ
Οἷον κεκμηκῶσι ποτὸν, γλυκερόν τε λοετρόν.

Inprimis huc pertinet Epigramma Asclepiadis XX. in Analectis Vett. Poëtt. Græc. Brunckii Tom. I. p. 205.

Ac veluti nigro jactatis turbine nautis
  Lenius adspirans aura secunda venit,
Jam prece Pollucis, jam Castoris implorata:
  Tale fuit nobis Manlius auxilium.
Is clausum lato patefecit limite campum,
  Isque domum nobis, isque dedit dominam:
Ad quam communes exerceremus amores,
  Quo mea se molli candida Diva pede
Intulit, et trito fulgentem in limine plantam
  Innixa, arguta constitit in solea:

63. *Hic* in omnibus fere MSS. Santenii; in tribus *hæc;* sed res ipsa flagitat *Ac.*
64. *Leniter* in Datii Cod. m. pr. et Riccard. apud Sant.
65. In hoc emendando versu valde laborarunt interpretes, sed sine necessitate. vid. not. *Jam prece Polluces, jam Castoras implorante* refinxit Vossius.—*Jam face Pollucis, jam Castoris implorata* Anonymus apud Santenium. *Jamque ope* Eldickius.
67. Quam turpiter librarii aberraverint in voce *clausum,* vid. apud Santenium.
72. *Constituit solea* in Codicibus fere omnibus et editt. antiquis. Sed dignior

64. Præivit in hac comparatione, ut Santenius monuit, Hom. Iliad. VII. 4-7.

Ὡς δὲ θεὸς ναύτῃσιν ἐελδομένοισιν ἔδωκεν
Οὖρον, ἐπὴν κεκάμωσιν ἐϋξέστῃσ' ἐλάτῃσι
Πόντον ἐλαύνοντες, καμάτῳ δ' ὑπὸ γυῖα λέλυνται·
Ὡς ἄρα τὼ (Hector et Paris) Τρώεσσιν ἐελδομένοισι φανήτην.

65. *Jam prece P. jam C. implor.*: *Durch das Gebet zum Castor und Pollux endlich erfleht.*—*implorata* sc. aura secunda, in casu primo. Turbæ, quas in hoc loco excitaverunt interpretes, (vid. *Var. Lect.*) natæ sunt ex male intellecta voce *implorata,* quam perperam in casu sexto ad *prece* retulerunt. Nec vidit hanc fraudem Santenius.—*prece Pollucis,* h. e. ad Pollucem. Castor et Pollux navigantibus sunt dii σωτῆρες, ut notum. cf. supra ad Carm. IV. 27.—*jam,* in summo periculi discrimine; quo sensu eleganter hæc particula a poëtis repeti solet.

66. Similiter Euripides, quem laudat Vulpius, Orest. v. 725:

——πιστὸς ἐν κακοῖς ἀνὴρ,
Κρείσσων γαλήνης ναυτίλοισιν εἰσορᾷν.

67. Sensus: "Is viam, qua libere et sine impedimento percipere nunc possum amoris fructum hucusque mihi interceptum, patefecit." Elegans imago ab iis translata, qui ex locis angustis et interseptis in apertam planitiem deferuntur.

69. *Ad quam,* in cujus amplexibus. Santenius *quam* ad *domum* refert, sed tum haud dubie Catullus scripsisset *in qua.*—*communes,* mutuos.

70. *Quo* refer ad *domum.*—*molli pede,* molliter et delicate posito. Sic *mollia brachia* (apud Ovid. Arte Am. I. 595.) in re saltatoria de iis, quæ cum arte et gratia moventur.—*molliter ire* est apud Propert. II. 12. 24. ubi Vulpio laudatur Incertus poëta ex Anthol. I. c. 67.

Λεσβίδες, ἁβρὰ ποδῶν βήματ' ἐρεισάμεναι.

Haud exigua autem apud veteres pulchritudinis laus in molliori incessu ponebatur. cf. Vulp.

71. *Fulgentem,* ab externo ornatu; intelligere cum Vulpio possumus *aurea vincula.*

72. *Innixa.* Similis est, quem laudant, locus Propertii II. 22. 4:

Prosilit in laxa nixa pedem solea.

Conjugis ut quondam flagrans advenit amore,
Protesilaëam Laodamia domum
Inceptam frustra, nondum cum sanguine sacro
Hostia cœlestes pacificasset heros.
Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo,

Catullo est nostra lectio, ab Aldo jam revocata et auctoritate aliquot præstantissimorum Codd. apud Santenium probata,—pro *arguta* Lipsius in Cod. aliquo deprehendit *angusta*.

73. *Amorem* male in decem MSS. Sant.

75. Pro *Inceptam* Codd. apud Sant. offerunt vel *Incepta et* vel *Incepta ut* vel *Accepta et*, et unus Vossii *Inceptum*. Eldickius conjiciebat *Insessam*.

76. *Conciliasset* in nonnullis Codd. et editt., sed in plurimis *pacificasset*.

77. *Jam* pro *tum* in Excerptis Perreii ex solemni harum particularum confusione. vid. *Heins.* ad Ovid. Heroid. III. 67. et *Brouckhus.* ad Propert. II. 7. 1. et 37.—*valide* pro *valde* in nonnullis Codd.

cf. Ovid. Amor. III. 1. 31. et ibi *Burmannum*.—*arguta*, h. e. exigua et concinna (*nett, neidlich*). Commode in hanc rem laudat Vulpius (Virg. Georg. III. 80.) *argutum* equi *caput*, h. e. exiguum et venustum.—Alii *argutam soleam* explicant de stridula, crepitum et stridorem inter ambulandum edente: sed displicet jam hæc subjecta notio, nec apud veteres solearum stridor ad deliciarum genus pertinuisse videtur. *Soleæ* autem mulierum et hominum delicatorum sunt *calcei*, unde *soleæ muliebres* apud Ciceronem Clodio et Verri objiciuntur. Har. Resp. 21. Plura de *soleis* vid. apud *Balduinum de calceo antiquo* c. XI.

74. *Laodamia.* " *Ea uxor Protesilai fuit, quæ cum maritum suum primum ex omnibus Græcis in bello Trojano ab Hectore interfectum esse audisset, nimio illius desiderio contabuit. Sunt, qui dicant, viri umbram ei se in somnis obtulisse, inque illius complexibus ipsam emortuam. Alii, obtinuisse Protesilaum, ut ex inferis, ad visendam uxorem, reverteretur : cumque eam reperisset adjacentem imagunculæ, qua viri mortui vultum exprimendum curaverat, petiisse, ut ne sibi amplius superstes esse vellet : tum ipsam, acta per pectus hasta, sibi mortem attulisse. Quod autem tam brevi tempore, marito suo frui ipsi licuerit, Catullus deorum iram in causa fuisse dicit, quibus ante nuptias sacra rite perpetrata non forent.*" Muret. cf. Lucian. DD. M. XXIII. Ovid. Epist. XIII. et Hygin. Fab. CIII. et CIV.

75. *Inceptam frustra*, inchoatam frustra, h. e. *imperfectam*, ut vocat Val. Flaccus VI. 659. ubi nimirum nova nupta mox post nuptias fit vidua. δόμον ἡμιτελῆ vocat Homerus, de hac ipsa Protesilai domo loquens Il. v. 701. vid. inprimis *Hemsterhus.* ad Lucian. Tom. I. p. 410. adde *Potteri* Archæol. Græc. T. II. lib. IV. c. 11. Huc pertinet Diodori Jun. Epigramma IX. in Analectis Vett. Poëtt. Græc. Brunckii Tom. II. p. 187.

Ἡμιτελῆ θάλαμόν τε, καὶ ἐγγύθι νυμφικὰ λέκτρα,
Κοῦρε, λιπὼν, ὀλοὸν οἶμον ἔβης Ἀΐδου.

Sic *incepti Hymenæi* de primo conjugii tempore dicuntur Virg. Æn. IV. 316.

76. *Hostia* intellige sacra (προγάμεια, γαμήλια, προτέλεια) quæ ante nuptias rite institui solebant; vid. *Potteri* Archæol. Gr. T. II. lib. IV. c. 11. inprimis, quem laudat Santenius, *Ruhnkenium* ad Timæum sub voce προτέλεια.

77. 78. *Rhamnusia virgo.* cf. supra ad Carm. LXIV. 396. et ad Carmen L. 20.—*invitis heris*, ἀέκητι θεῶν.—*heri*, *dii*, paulo ante plenius dicuntur *cœlestes*. Sententiæ respondet notissimus ille locus Virgil. Æn. II. 402 :

Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!

ubi cf. *Cerdanus.*

Quod temere invitis suscipiatur heris.
Quam jejuna pium desideret ara cruorem,
Docta est amisso Laodamia viro;
Conjugis ante coacta novi dimittere collum,
Quam veniens una atque altera rursus hiems
Noctibus in longis avidum saturasset amorem,
Posset ut abrupto vivere conjugio:
Quod scibant Parcæ non longo tempore abesse,
Si miles muros isset ad Iliacos.
Nam tum Helenæ raptu primores Argivorum
Cœperat ad sese Troja ciere viros:
Troja nefas, commune sepulcrum Europæ Asiæque,
Troja virum et virtutum omnium acerba cinis;
Quæ nempe et nostro letum miserabile fratri

79. *Deficeret* male in multis.—*desideret* in uno Voss. et edit. Rheg.—sic particulæ *Quod* et *Quam* in hoc et superiori versu mirum in modum turbatæ sunt. vid. Santen.

81. *Novum* in tredecim Codd. apud Santenium.

84. *Posset et* in Cod. Datiano. Sic in quovis scriptore confusarum particularum *ut* et *et*, exempla exstant. Liviana collegit *Drackenborch*. ad Liv. Tom. III. p. 409. cf. VV. DD. quos laudat Idem ad Sil. Ital. V. 217. *Posset ab innupto* ex uno Cod. protulit, et pro ingenio suo probavit Vossius.

85. *Abisse* in sexdecim Codicibus et duabus primis Venett. apud Santenium. in aliis *abesse*, quod pleræque editt. tenent; sæpissime enim inter se confusa sunt a librariis *abesse* et *abisse*, ut multis exemplis docet *Drackenborch*. ad Liv. XXVII. 44. §. 3. Tom. IV. p. 130.—cf. et alios ibi laudatos poëtarum interpretes.—*adesse* pro *adfuturum* æquo pæne jure legi posse putat Santenius.—*Quod scibant Parcæ non longe tempus abesse* conjecit Schraderus.

89. *Asiæ Europæque* prætulit Santenius, plurimorum Codd. auctoritate commotus; sed in novem MSS. apud eundem et omnibus fere editionibus antiquis est *Europæ Asiæque*.

91. Mira est, quibus in variis libris hic versus incedit, formarum varietas, quæ

79. *Quam. jej. p. desid. ara cruorem*, pro vulgari " quam sitiens sit ara hostiarum sanguinis."

81. *Conjugis novi collum* significanter atque ornate pro *novum conjugem*.

82. *Veniens rursus*, rediens.

85. 86. Sensus est: " Quod quidem triste fatum novi Laodamiæ disrumpendi conjugii brevi tempore, cum Protesilaus ad bellum Trojanum profectus esset, impletum iri, Parcæ non ignorabant."

87. *Primores Argivor.* cf. supra ad Carm. LXIV. 4.

88. *Troja nefas.* Sustuli parenthesin, qua vox *nefas*, quæ cum *Troja* jungi debet, in plurimis editionibus exhiberi solet. *Troja nefas* est *nefaria, nefanda*. Plane ita *nefas Helena* pro *nefaria* dicitur a Virgilio Æn. II. 585. et sic Cleopatra *nefas* Æn. VIII. 688. —*Europæ Asiæque* cf. Stat.

90. *Acerba cinis* genere feminino passim apud optimos scriptores. exempla vid. apud. *Burmannum Sec.* ad Anthol. T. II. p. 32.

91. Fraternæ mortis recordatione, quam refricabat Trojæ cogitatio, ite-

Attulit: hei misero frater ademte mihi!
Hei misero fratri jucundum lumen ademtum:
Tecum una tota est nostra sepulta domus:
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra,
Nec prope cognatos compositum cineres,
Sed Troja obscena, Troja infelice sepultum
Detinet extremo terra aliena solo.
Ad quam tum properans fertur simul undique pubes

omnes ac singulæ nec appingi sine molestia, nec lustrari sine tædio possunt; en harum potiores: *Quæ nuper nostro* Passeratius; *Quæ nunc et nostro* Marcilius; *Quæ, ve, ter nostro* Scaliger in priore recensione; *Quæ (ve te), nostro* in posteriore; *Quæ, væ, væ, et nostro* commodissime Raphelengius; *Quæmet et id nostro* Vossius, cui adhæret Vulpius; *Væ mihi, quæ et*, vel *Quæne etiam id* Heinsius, cujus posteriorem emendationem recepit Santenius. Varios librariorum errores, e quibus vix elici potest sana lectio, vide apud Santenium. Ego dedi vulgatam lectionem in plurimis editt. post Aldum repetitam, et facilitate sua se commendantem.

94. *Tecum una nostra est tota* in uno libro MS. Vossii, unde ille: *Tecum cum nostra est tota sepulta domus.*

97. Pro *Quem* in plerisque Codd. *Que*, unde in nonnullis factum est *Quæ*.

98. *Non* in uno Voss.

99. *Sepulcrum* male in quibusdam Codd. et editt.

100. *Externo* in quibusdam Santenii; sed recte idem vindicat *extremo*. De confusione vocum *externus* et *extremus* præter *Brouckhusium* ad Propert. II. 13. 40. quem laudavit Santenius, vide, quibus testimonium denunciat *Drackenborch.* ad Sil. Ital. IX. 209.

101. *Fertur unde undique pubes* primus Raphelengius, ex Lipsii, ut putat Santenius, conjectura, quem secuti sunt alii; sed multorum Codd. auctoritate *simul undique* tuetur Santenius, quem vide, qui et alias corruptas lectiones recenset. *fertur lecta undique pubes* non male tentat Eldickius.

rum poëta abripitur. cf. supra ad Carm. LV. 5 sqq.

93. Dilogiam in hoc versu animadvertit Passeratius, cum *jucundum lumen ademtum* tam ad mortuum quam ad superstitem fratrem referri liceat. nimis acute!

97. *Nota sepulcra*, patria, avita, πατρῷα μνήματα. vid. Santen.

98. *Compositum*. componi (συντίθεσθαι) proprie dicuntur cineres atque ossa, cum, vasculis suis inclusa, in monumentum condebantur; deinde de toto funebri apparatu singulisque ejus partibus hoc verbum usurpatur. vid. *Heyne* ad Tibull. III. 2. 26. et *Kirchmannus de Funeribus Romanorum* III. c. 8.

99. *Troja obscena*, abominanda, detestabilis. sic *fames obscena* apud Virg. Æn. III. 367. *omina obscena* apud Cic. Pro Domo c. 55. *ostentum obscenum* Sueton. Galba c. 4. *obscenæ flammæ* Ovid. Met. IX. 508.—nimirum res dicuntur *obscenæ*, quas non sine horrore quodam cogitare possumus. Qui *Trojam obscenam* de inauspicato condita interpretantur, paulo altius rem repetunt.

100. *Detinet*, κατέχει, vide de hac voce Observatt. Miscell. Tom. I. p. 15.—*extremo*, longe remoto, nisi de littore, quo frater Catulli sepultus fuit, (cf. supra Carm. XLV. 7.) cum Vulpio cogitare malis.

Græca penetrales deseruisse focos:
Ne Paris abducta gavisus libera mœcha
Otia pacato degeret in thalamo.
Quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia,
Ereptum est vita dulcius atque anima
Conjugium; tanto te absorbens vortice amoris
Æstus in abruptum detulerat barathrum;
Quale ferunt Graii Pheneum prope Cylleneum
Siccare emulsa pingue palude solum;

102. *Deos* pro *focos* probat Vossius et *Davisius* ad Cic. Nat. Deor. II. 27. sed plurimi Codd. stant pro *focos*.

103. *Nec* vitiose in tredecim Codd. Santenii; *Neu* in Commeliniano et Balusiano, quod ferri potest.

108. *Depulerat* ingeniose Heinsius.

109. In plurimis Codd. sine aspiratione *Peneium* vel *Peneum*.—errores librariorum in voce *Cylleneum* vide apud Sant.: multi tamen libri MSS. genuinam lectionem *Cylleneum* servant. *Peneum propter amœnum* tentabat Parthenius, quem nonnulli secuti sunt.

110. *Siccari* in omnibus Codd. et editt. pro quo olim jam *siccare* legendum esse suspicabar; barathrum enim non siccatur, sed siccat paludosa loca. vid. not.—nunc video ex nota Santenii, idem in mentem venisse *Schradero* Emendat. p. 17.—non dubitavi autem apertum vitium tollere et lectionem, quam ipsa res flagitat, in textum recipere.—Pro *pingue* idem Schraderus malebat *putre*.

102. *Penetrales*, quia foci in interiore ædium parte erant. *Eldickius* cum hoc loco comparat Bionem Idyll. XV. 9 sqq.

107—112. *Conjugium* pro *conjuge*, et apud Virgil. Æn. II. 579. Propert. III, 13. 20. et passim. Sic *servitium* pro *servo* et *latrocinium* pro *latrone* apud Ciceronem.—*tanto te absorbens* cet. Sensus et nexus totius loci est hic: "Amor enim tuus erga Protesilaum tam profundus fuit, quam profundum fuisse dicitur illud barathrum, quod ab Hercule olim in imo monte excisum agros prope urbem Pheneum aquis paludosis purgasse Græci perhibent."—Graphice igitur describit poëta, quem Græci dicunt *βαθὺν ἔρανα*. jam videamus de singulis. *tanto te* refer eo, quod conjux ei vita et anima dulcior fuit.—*barathrum* proprie de profundo illo apud Athenas loco subterraneo, in quem præcipitabantur scelerati; deinde de qualibet immensa voragine.—Opportune cum hac amoris in altam voraginem detrudentis miseros descriptione comparat Vulpius Fragmentum Anacreontis, quod exstat apud Hephæst. p. 40. et in edit. Fischeri p. 269. μ' Ἔρως—χειμερίῃ Ἔλουσεν ἐν χαράδρῃ.—*Quale* sc. barathrum *Graii ferunt siccare* h. e. exsiccare, purgare, (non *siccari*, vide *Var. Lect.* nam sic scribi quoque debebat *Quali*) *pingue solum* (lutosum) *emulsa palude* (exhausta et derivata palude in barathrum) *Pheneum prope Cylleneum*. Erat *Pheneum* vel *Pheneus* prisca urbs Arcadiæ (Homeri Ilias. II. 605.) in monte Cyllene sita.—*Audit*, fertur (vid. *Var. Lect.*) *falsiparens* (ψευδοπάτωρ) quia falso Amphitryonis proles habebatur Hercules, cum verus ejus pater esset Jupiter.—Omnem rem illustrat locus Pausaniæ in Arcadicis VIII. c. 14, qui tradit *Herculem Tirynthe ab Eurystheo pulsum Pheneum se recepisse: cumque Olbius amnis immodica eluvione Pheneaticum agrum obsidione teneret, fossam duxisse stadiorum LX sub vicinos montes excurrentem, in quam paludes defluerent.* Vulp.

Quod quondam cæsis montis fodisse medullis
Audit falsiparens Amphitryoniades:
Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
Perculit, imperio deterioris heri:
Pluribus ut cœli tereretur janua Divis,
Hebe nec longa virginitate foret.
Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
Qui tunc indomitam ferre jugum docuit.

111. *Fudisse* perperam in Leidensi et uno Saibantis.

112. *Audet* in omnibus fere MSS. et editionibus antiquioribus, quod explicant *audebat, ausus est.*—*fodisse* autem in versu majori pro *fodere* sumunt; quod quam durum sit, quilibet facile sentit.—*ausus* exhibent editt. Gryph. Muret. et aliæ. Equidem juvenis adhuc, cum primum in hunc locum incidissem, jam tum pro *Audet* reponendum esse conjeceram *audit;* quamvis hic verbi usus non satis poëta dignus mihi videbatur; sed nunc eo minus de hujus emendationis necessitate dubito, cum eandem a tribus aliis, a Palmerio in Spicil. p. 716. ab Anonymo quodam in exemplari Gronoviano, et nuperrime a Santenio propositam videam; qua quidem in textum recepta consulere latinitati, quæ illam flagitat, malui, quam superstitiose librariorum erroribus adhærere.

114. *Pertulit* in plurimis Codd.—sic sæpe apud Livium *perculi* et *pertuli* commutarunt librarii. vid. *Drackenborch.* ad Liv. Tom. IV. p. 949.

118. Mirum, quantum libri veteres in hoc versu variant. *Qui divum domitum* in plurimis codicibus apud Santenium.—*Qui divum dominæ* in Vatican.—*Qui tuum domitum* in septemdecim Codd. Santenii et editione Rheg.—*Qui divum do-*

113. *Stymphalia monstra.* De monstris illis volucribus, ab Hercule in Arcadia occisis, locus classicus est apud Pausaniam in Arcadicis lib. VIII. 22. e quo, quæ huc præcipue spectant, adscribam: Ἐπὶ δὲ τῷ ὕδατι ἐν Στυμφάλῳ κατέχει λόγος ὄρνιθάς ποτε ἀνδροφάγους ἐπ' αὐτῷ τραφῆναι. ταύτας κατατοξεῦσαι τὰς ὄρνιθας Ἡρακλῆς λέγεται. cet. cf. Santen.—*certa,* non aberrante a scopo. Sic passim *certus* de *arcu, nervo, ictu, hasta, dextra* cet.

114. *Deterioris heri,* Eurysthei, qui ab ipso Hercule apud Homerum Odyss. XI. 620. dicitur χείρων φώς.—De fatali necessitate, ex qua Hercules Eurysthei imperio subjectus fuit, lege Hom. Il. XIX. 98 sqq.

115. *Pluribus ut cœli* cet.: ut ob facta præclara in numerum deorum reciperetur, ut *interesset* (Horat. Od. IV. 8. 30.) *optatis Jovis epulis.*—*janua cœli* ut *limen* vel *limes cœli.* cf. supra ad Carm. LXVI. 59.

116. *Hebe nec longa virg. foret,* et cum Hebe, ne vetula virgo fieret, iniret conjugium; quo quidem ipso recepti inter deos herois vita designari solet. cf. Virg. Ecl. IV. v. ult. Homer. Odyss. XI. 601, 2:

—αὐτὸς (Hercules) δὲ μετ' ἀθανάτοισι
θεοῖσι
τέρπεται, ἐν θαλίῃς, καὶ ἔχει καλλίσφυρον
Ἥβην.

117, 118. Sensus est: "Imo profundus tuus amor, qui te tum adhuc indomitam (virum nondum expertam) maritale jugum ferre docuit, barathro illo adhuc fuit profundior." Sic, puto, egregie omnia cohærent. Quantum pulveris in versu minori tam explicando quam emendando commotum sit, vide in *Var. Lect.*—*indomita,* innupta, intacta, παρθένος ἀδμής Hom. Odyss. VI. 109 et 228, cujus *cervix,* ut cum Horatio loquar, *nondum subacta* et domita est. *jugum ferunt* domitæ, h. e. nuptæ, virum passæ. cf. Horat. Od. II. 5. 1 sqq. et ibi Interpretes.

Nam neque tam carum confecto ætate parenti
Una caput seri gnata nepotis alit:
Qui, cum divitiis vix tandem inventus avitis
Nomen testatas intulit in tabulas,
Impia derisi gentilis gaudia tollens,
Suscitat a cano vulturium capite.
Nec tantum niveo gavisa est ulla columbo

minum in Codice Corv. et Lambin. et editt. Vicent. et Brix.—*Qui tum* in Bodleiano et Hamb.—*Quique divum* in Commeliniano et Baluz.—*Quique tuum dominum* in altero Sant.—*Quin* in Leid.—*Quod divum dominum* Ald.—*Quod divum domitum* Scalig. et Rapheleng.—explicant nimirum interpretes *divum* de Hercule, qui, ut Vulpius ex Athenæo l. XIII. p. 603. docet, Eurysthei amore irretitus atque ita domitus sit. *Qui te non domitum* exhibent Guarinus et Excerpta Ruhnkenii.—*Quod domini dominum* in Variantibus Latini Latinii.—*Qui tunc te indomitum* in margine Cod. Dat. Hæc igitur lectionis varietas incitavit emendandi studium; Franc. Puccius quidem tentabat *Qui dirum:* Achilles Statius *Qui tantum indomitam:* Fruterius *Qui nondum domitam:* Vossius *Qui in vita indomitum:* Heinsius *Qui te adeo dominum:* Anonymus quidam (quem Dorvillium esse suspicatur Santenius) *Qui invitam dominam:* Schraderus *Qui tauri indomitam:* Eldickius tandem totum versum sic refingit *Qui vivam in domini te ire rogum docuit.*—pro *docuit* in Mediolanensi est *decuit*, ex solemni librariorum in his verbis aberratione. vid. *Burmann.* ad Ovid. Metam. III. 10. 48. et Trist. I. 6. 26. in Vossiano *domuit*, in Baluziano et Palatino *potuit.*—nos dedimus lectionem, quæ videbatur accommodatissima, a Corradino propositam et in editt. Gotting. et Bipont. exhibitam.

121. *Qui cum in divitiis* male conjecit Scaliger.

122. *Curatas* vult Schraderus.—*detulit* edidit Parthenius.

123. *Irrita* pro *impia* male præfert Heinsius.

124. *Suscitat ab* perperam Scaliger.—*capiti* ex Codd. et editionibus princip. revocavit Santenius, ut sit antiqua ablativi forma, in quam rem laudat ille Sanctii Minerv. I. 2. c. 7. p. 197. et ibi Perizon. n. 4.

125. Pro *ulla* Vossius in libro suo scriptum invenerat *vulla*, unde fecit *pulla*,

119, 120. Venustissima mollissimi Laodamiæ erga maritum amoris comparatio! Vix quisquam enim molliori amoris sensu potest affici, quam senex capularis, cui, diu speratus divitiarum heres, dulcissimus nepos ab unica filia natus tandem obtigit.—Statius comparat cum Nostro Pind. Olymp. X. 102. sqq. *caput* inservit periphrasi ut passim. *nepotis seri* (τηλυγέτου) avo in extrema vitæ ætate demum nati.—*una gnata*, unica filia. *alit*, educat. Commode laudat Vulpius Hom. Il. IX. 478, 79:

Καί με φίλησ', ὡσεί τε πατὴρ ὃν παῖδα φιλήσῃ
Μοῦνον, τηλύγετον, πολλοῖσιν ἐπὶ κτεάτεσσι.

122. *Testatas in tabulas*, in tabulas testamenti rite confirmati.

123. *Impia gaudia*, quæ ex impia cupiditate alieni boni, cui quis inhiat, oriuntur.—*derisi*, elusi, decepti.—*gentilis*, oriundi ex gente ejusdem nominis. Sic apud Ciceronem (Brut. 28.) M. Pennus Bruti *gentilis* dicitur, quia uterque e Juniis. Disertius, qui sint *gentiles*, docet Cicero Top. 6.—*tollens*, auferens, irrita faciens.

124. *Suscitat*, abigit, *verscheucht.*—*vulturium*, rapacem heredipetam. Sic passim *vulturius* de homine rapaci et alieni cupido apud optimos scriptores v. c. Plauto *Trinumm.* I. 2. 63. *Turpilucricupidum te vocant cives tui. Tum autem sunt alii, qui te vulturium vocant.* ubi cf. *Taubmann.*—*cano capite* sc. avi sui.

125. *Niveo*, albo, vel, in universum, *pulchro;* est enim epitheton ornans

Compar: quæ multo dicitur improbius
Oscula mordenti semper decerpere rostro;
Quamquam præcipue multivola est mulier.
Sed tu horum magnos vicisti sola furores,
Ut semel es flavo conciliata viro:
Aut nihil, aut paulo quoi tum concedere digna,

quia, ut ridicule addit, *pulla columba niveo conjuncta improbiora oscula decerpat, quam faciant ejusdem coloris columbæ.*—lectionem Vossii amplectitur et confirmat adeo ejus interpretationem exemplo, male in hanc rem advocato ex Ovid. Her. XV. 37, Vulpius.

128. *Quantum præcipue* Venet. Ald. Gryph. Muret.—*Quam quæ* Vossius ex conjectura, accedente Marklando et Schradero; sed nostram lectionem tuetur optimorum Codd. auctoritas. vid. Sant.—*vulgivola* pro ingenio suo offert Heinsius.

129. *Sed tu harum* Muretus, Rapheleng.—*Sed tu olim* jungens *olim magnos* (τοὺς πάλαι μεγάλους) primus ex codice suo dedit Scaliger; sed in nullo codice apud Santenium comparet hæc lectio, imo in plurimis deprehendit ille *horum*, quod dedimus, vel *tuorum*, quod aperte ex *tu* et *horum* confluxit.—*tu eorum* in Commeliniano.—*Sed tu Chaonios* conjiciebat Eldickius.

131. *Paulum* in quibusdam.—*tu* pro *tum* in omnibus libris MSS. apud Sant.—Eandem lectionem in libris suis invenit Vossius, nec temere illam rejiciendam putat. Sed quis hanc barbaram loquendi rationem *tu contulit* admittat et Catullo obtrudat? *tum* recte jam in uno Cod. apud Stat.—*nunc* in exemplari bibliothecæ Leid. adscriptum invenit Santenius.

Vulpius cum Vossio suo argutatur (vid. *Var. Lect.*).—*gavisa est*, gaudere solet.

126. *Compar* columba, conjux, σύζυγος.—*improbius*, ardentius, cupidius. Sic *improbius amare* dicuntur *pauperes* apud Quinctil. Decl. XV. sub fine.

127. *Oscula mordenti semper dec. rostro*: hinc *columbatim osculari* de dulcissimo osculorum genere. Martialis XII. Epigr. 66, 7:

Amplexa collum, basioque tam longo
Blandita, quam sunt nuptiæ columbarum.

et libro XI. 105. 9:

Basia me capiunt blandas imitata columbas.

hinc columbari, columbarum more oscula decerpere, apud Senec. Epist. 114. et sic *decerpere* pro *osculari* est apud Auctorem Copæ v. 38:

Candida formosæ decerpens ora puellæ.

128. *Multivola*, uno columbo vel marito non contenta. Sed fidelis Laodamia in uno suo Protesilao faciebat delicias. Ergo nec hæc comparatio magnitudinem amoris Laodamiæ satis exprimit.

129. *Sed tu horum m. vic.* "Imo tu sola horum maximum amorem superasti." *horum*, avi et columbæ.—*sola*, incomparabili plane amoris genere, præ ceteris mulieribus omnibus.

130. *Flavo*, pulchro. cf. supra ad Carm. LXIV. 98.

131, 132. Redit tandem poëta, unde digressus fuerat. Respondere igitur debet hic versus versui 73 et 74, sed, quamvis nullum interpretem hic hæsisse video, parum ille respondet ob omissam, quæ desideratur, particulam *sic*; cohærere enim debebat oratio ita: "ut olim flagrans amore in domum Protesilai venit Laodamia, sic meis quoque amplexibus se obtulit puella mea." Est igitur vel anacoluthon; vel versus rescribendus est ita:

Sic, nihil aut paulo quoi tum concedere digna.

"Sic puella mea, digna, quæ ei (*Laodamiæ*) tum nihil aut parum certe cederet,

Lux mea se nostrum contulit in gremium.
Quam circumcursans hinc illinc sæpe Cupido
Fulgebat crocina candidus in tunica.
Quæ tamen etsi uno non est contenta Catullo,
Rara verecundæ furta feremus heræ:
Ne nimium simus stultorum more molesti.
Sæpe etiam Juno, maxima Cœlicolum,
Conjugis in culpa flagravit quotidiana,

132. *Cum tulit* emendat Corradinus, ut habeat, quo referatur *tum*.

133. *Qua circumcursans* in nonnullis Codd. apud Sant.—*circumversans* in quibusdam apud eundem.—*huc illuc* in duodecim MSS. Santen.—*hinc atque hinc* Vatic.—*hic illic* Leid.

134. *Crocea* in Vaticano et Gudiano, male ex sententia Santenii, cum *crocinus* forma sit rarior.

135. *Tamenetsi*, de his particulis conjunctim scribendis vide, quos laudat Santenius.

136. *Rara verecunde furta feremus heri* profert Guarinus.

138. 139. Pro *sæpe* malebat Schraderus *Ipsa*; vel totum locum ita refingendum putabat, *Passa etiam Juno, maxima Cœlicolum, Conjux in culpa flagrantem quotidiana.*—*flagrabat* ex unico Corvini Codice, Vallieriani marg. et editt. Calpurn. et Parthen. recepit Santenius.—*flagrantem* in plurimis Codd. et editt. Venett. et Rheg.—*flagrante* Cod. Palatinus.—*flagrantis* manus secunda Datiani.—nostra lectio *flagravit* debetur Aldo, et Baluziani MS. auctoritate confirmatur. Aliam difficultatem movet nova metri ratio in voce *quotidiana*, quam præter Catullum nemo veterum secutus est; succurrere quidem plerique student scribendo *cottidiana*; sed haud scio, an hoc modo res satis expedita sit, nam Codd. Catulli, teste Santenio, servant *quotidiana*. nisi totus hic locus corruptus sit, equidem in hujus vocis ratione metrica Catullum licentius potius quam recte versatum esse, affirmare malim; difficultatem removere studebant fortiori remedio, quo indigere hic locus videbatur, Eldickius et Santenius, ille proposita emendatione, *Conjugis in culpa flagrante reconciliata*; hic, *Conjugis in culpa flagrantem continet iram.*

in gremium meum se contulit." Formulam *aut nihil aut paulo* illustrat *Dorville* ad Charit. p. 581. (ed. Lips.) formula græca est, ὀλίγον ἢ οὐδὲν, ad quam abesse sane potest *aut* priori loco positum. Sed malo nunc post tam longam interjectam orationem agnoscere anacoluthon; nam alias versus minor corrigi quoque possit hoc modo:

Lux mea s i c *nostrum* s e *tulit in gremium.*

133. *Quam circ. hinc illinc sæpe Cup.* Sic Venus apud Quint. Calabr. V. 71:

Κύπρις ἐϋστέφανος, τὴν δ' ἵμερος ἀμφεποτᾶτο.

Sic Anacreon pictorem Gratias puellæ collum circumvolitantes exhibere jubet Od. XXVIII. 28.—*Statius* comparat Horat. Od. I. 2. 34.

134. *Fulgebat candidus*, enitebat divino suo splendore.—*in crocina tunica*: *croceus* vel *crocinus* color imitatur aurum.—Totus versus mihi describere videtur *Cupidinem aureum*, de quo vide *Heinsium* ad Ovid. Amor. I. 2. 14.

137. *Ne nimium simus stult. more mol.*: Sic sentientem Phædriam apud Terent. Eunuch. Act. III. Sc. 2. 27. sqq. puellæ commendat Parmeno:

Atque hæc qui misit, non sibi soli postulat
Te vivere, et sua causa excludi ceteros:—
Verum, ubi m o l e s t u m *non erit, ubi tu voles,*
Ubi tempus erit, sat habet, si tum recipitur.

139. *Flagravit*. Etiam Juno quoti-

Noscens omnivoli plurima furta Jovis.
Atqui nec Divis homines componier æquum est:
Ingratum tremuli tolle parentis onus.
Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna
Fragrantem Assyrio venit odore domum:

140. *Omnivoli ignoscens* conjectat Heinsius.

141. *Atque* in nonnullis Codd.—*Atque nec o divis* in uno MS. Santenii.—*Atq.* unus Mediol.—*At quia* alter Dalianus cum Gudiano et Riccard.—*At quæ* duo Saibantis. *componere justum* vel *fas* pro *æquum* male edebatur ante Calpurnium.

142. *Queruli* pro *tremuli* tentabat Schraderus. Hunc versum, cum ejus nexus cum vicinis esset obscurior, spurium putarunt Muretus et Brouckhusius, sed in Codd. apud Sant. et editt. antiquissimis nulla hic conspicitur litura. vid. not.

143. Vossius, cum in Mediolanensi invenisset *vete*, exsculpsit inde et edidit *Vesta*.

144. *Flagrantem* male in quibusdam.—*Fragrans* in Commeliniano et Baluziano. sæpissime autem *flagrare* et *fragrare* permutata sunt. vide nos supra in *Var. Lect.* Carm. VI. 8.

diana fere conjugis furta experta est, et tamen *flagravit*, h. e. ardenter eum amavit, amore ejus flagravit.—Vult nimirum Junonis exemplo ostendere, furta quoque in amore locum habere posse, nec amoris fructum ideo tolli.—Alii *flagravit* explicant "ira excanduit, graviter indignata est." Sed sic poëta in versu antecedenti non *Sæpe etiam*, sed *Sæpe quidem*, scripsisset. Ferre nimirum in posterum Catullus volebat modesta puellæ furta, nec amplius obtrectatione ei molestus esse, additque in suum quasi solatium, *Sæpe etiam* cet.—Sed, ut fatear, integritatem hujus loci, qui nescio quid scabri et salebrosi habet, equidem præstare nolim. Vulpius *flagravit* exponit "infamia laboravit;" sed hanc notionem sine addito nomine *infamia* vix habere potest verbum *flagrare*. vid. *Var. Lect.*

140. *Omnivoli*, appetentis, quicquid est formosarum puellarum.

141. *Atqui nec Divis* cet. non raro tamen a poëtis, inprimis comicis, homines cum diis comparari solent. Sic Chærea apud Terentium Eunuch. III. 5. 42. spectata tabula picta, *ubi inerat pictura hæc, Jovem quo pacto Danaæ misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum*, subjicit hæc:

At quem deum! qui templa cœli summa sonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem?

cf. *Schraderum* ad Musæum p. 151-3. et p. 358. 359.

142. *Ingr. tr. tolle p. onus:* " tollatur et abeat omnis a me ingrata molestia, qualem tremuli et severi parentes puellis creare solent." vid. *Var. Lect.*

143, 144. *Nec tamen illa mihi* cet. " Huc accedit, quod illa mihi non est uxor legitima."—*dextra deducta paterna:* Difficultatem movet hæc loquendi ratio, quia non a patribus deducebantur sponsæ ad mariti domum, sed a paranymphis. Hinc Vulpius *deducere* pro *abducere* sumit; at Santenius respici putat ad ritum nuptiarum maxime solemnem, cum virgo in manum viri conveniebat, sive a patre de manu in manum tradebatur: in quam rem laudat Terent. Andr. I. 5. 65. *Hanc mi in manum dat;* sed valde vereor, ut sic dicatur *deducere*. Tolles hanc difficultatem, si pro *paterna* mecum legeris *paternam*.—*Assyrio odore*, liquoribus odoratis et unguentis Syrorum (v. *Brouckhus*. ad Tibull. I. 3. 7.), quibus die nuptiarum domus mariti permulcebatur.

Sed furtiva dedit mira munuscula nocte,
 Ipsius ex ipso demta viri gremio.
Quare illud satis est, si nobis is datur unus,
 Quem lapide illa diem candidiore notat.
Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus
 Pro multis, Manli, redditur officiis:
Ne vostrum scabra tangat robigine nomen
 Hæc atque illa dies, atque alia, atque alia.
Huc addent Divi quam plurima, quæ Themis olim
 Antiquis solita est munera ferre piis.
Sitis felices et tu simul et tua vita,
 Et domus ipsa, in qua lusimus, et domina:
Et qui principio nobis te tradidit, a quo

145. Pro *mira* in quibusdam *nigra*, sed omnes MSS. Stat. et plurimi Codd. apud Santenium tuentur nostram lectionem.—*prima* volebat Heinsius, *nivea* Schraderus.

147. 148. In Codice Corvini, teste Santenio, legitur hoc distichon sic: *Quare illud satis est, si nobis id datur unis, Quod lapide illa dies candidiore notat.* sed in nullo alio libro MS. apud Santenium hæc lectio exstat.—pro *unis*, quod plurimi libri scripti et excusi offerunt, recepimus cum Santenio genuinam, ut nobis videtur, lectionem *unus*, auctoritate MSS. Datii, duorum Mediolanensium, Palatin. Commelinian. Lipsii, duorum Gudian. Riccard. Excerpt. Anonym. satis confirmatam.—cæteras corruptas lectiones, quas enotare piget, vide apud Sant.—*is datur imus* edidit Scaliger in prima editione, quod placebat Lipsio.—*quis datur unus* legit Dukerus.

149. *Quo potui* Muretus.—*quem* male Mediolanens.

151. *Nec* in quibusdam Codd. ex solemni confusione.—*nostrum* Muretus et bona pars MSS.

155. *Felices satis et* in uno Santenii.—*tua virtus* Mediceus quartus.

156. *Ipsi* in Naniano.—tota vox abest in sexdecim MSS. apud Santenium.—*ipse* volebat Scaliger.—*Et domus, in qua nos lusimus, et domina* correctum erat in Vallicriano.—*ipsi in qua lusimus in domina* conjecit Schraderus.—*ipsa* est in multis MSS. apud Santenium.

157.—160. *Præcipue* male in quibusdam apud Santenium.—*terram dedit* in omnibus Codd. apud eundem, quod referunt Interpretes ad v. 67.—*dominam dedit*

145. *Mira nocte*, mirum in modum libidini satisfaciente.

146. *Ipsius ex ipso d. viri gremio*, surrepta ipsi viro legitimo.

147—148. *Quare illud satis est* cet. Sensus: "Itaque feliciter mecum actum esse puto, si vel unum diem, quo mecum consuevit, dignum, qui albo lapillo insigniatur, habuerit."

151. *Vostrum nomen*, quia *Manlius*, notante Vulpio, nomen est gentile, et ad plures ex eadem gente pertinet.—*scabra robigine*, Ovid. Epist. ex Ponto I. 1. 71.

Roditur ut scabra positum robigine ferrum.

155. *Sitis felices*. vid. de hac formula *Brouckhus*. ad Tibull. III. 6. 30.

157. *Et qui principio nobis te tradidit:* et ille, qui primus amicitiam tuam mihi conciliavit, qui proxeneta fuit amicitiæ tuæ, cui omnem felicitatem meam acceptam refero. vid. *Var. Lect.*

Sunt primo nobis omnia nata bona:
Et longe ante omnes mihi quæ me carior ipso est,
Lux mea; qua viva vivere dulce mihi est.

primus supposuit Aldus, quem secuti sunt alii. *teneram dedit* conjecit Statius.—*te trandedit* Scal.—Ego dedi lectionem vulgatam *te tradidit*, quæ certe nexum quendam orationi conciliat, cum *et et* aperte personas inter se distinguat. vid. not.—*a quo Sunt primo nobis* sola auctoritate Codicis Corvini nititur.—pro *a quo* in triginta MSS. et duabus primis Venett. et Rhegiensi apud Santenium est *aufert*, quod tenent etiam nonnullæ editt. recentiores.—*atque* conjecit Parthenius.—margo Codicis Leid. exhibet tres glossas *autore, augure, auspice*, quarum primam cum Vossio arripuit Vulpius. sed Lipsius inde volebat *te trandedit auspex*.—Wetstenius denique tentabat *Et qui principio nobis terram dedit* ubertim *A quo sunt primo*. versus minor in omnibus Codd. incipit *A quo sunt primo*: nisi quod duo Saibantis, Vallierianus et Mediceus primus post *primo* addunt *jam*, haud dubie ad hiatum explendum; et sic duæ Venett. et Rhegiensis; sed in Cod. Corviniano *a quo*, ut jam notavimus, trahitur ad versum majorem. *A quo primo sunt* liber Scaligeri. —pro *nata* in Bodleiano *nota*.—pro *bona* in duobus et viginti MSS. apud Santen. secunda Veneta cum Rhegiensi *bono*.—in uno Vossiano et Mediolanensi totus versus abest.—In v. 159 pro *Et longe* Latinus Latinius *Sed longe*.—pro *ipso* offert Cod. Dat. et Riccardianus *ipse*, et tres Saibantis, Medic. Vall. Corvin. et editt. ante Aldum *ipsa*.

160. *Est* in Codice Datii et Riccardiano deest. Nobis olim totus locus, mirum in modum impeditus, hoc modo expediri fortasse et constitui posse videbatur, si pro *et tu* in v. 155 *ut tu*, et in v. 157 *Det qui* pro *Et qui* legeretur; ultimum autem distichon antecedenti præponeretur sic *Sitis felices* ut tu simul, *et tua vita, Et domus ipsa, in qua lusimus, et domina; Et longe ante omnes mihi quæ me carior ipso est, Lux mea, qua viva vivere dulce mihi est; Det, qui principio nobis terram dedit, a quo Sunt primo nobis omnia nata bona*. Sed nunc vix dubito, quin totum distichon v. 157-58 a sciolo quodam appictum sit.

CARMEN LXIX.

AD RUFUM.

Noli admirari, quare tibi femina nulla,
Rufe, velit tenerum supposuisse femur:
Non ullam raræ labefactes munere vestis,

3. *Nos illa raræ* vel *Nos illa aræ* corrupte in MSS. Stat.—*Non, si illam* in editi-

Rufo cuipiam, ne esset nescius, cur a feminis fugeretur, causam a tetro ejus alarum odore repetitam petulanter exponit.—Cave hoc carmen ad M. Cœlium Rufum, insignem iis temporibus oratorem, cum Achille Statio referas. cf. Vulp.

2. *Supposuisse femur:* a palæstra Veneris deducta loquendi ratio. cf. Ovid. Am. III. 7. 10.

3. *Non ullam* (vide Var. Lect.), *raræ vestis*, intelligo vestem tenuissimam, bombycinam, nempe Coam aut Sericam. vid. *Heinsius* ad Ovid. Amor.

Aut pelluciduli deliciis lapidis.
Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.
Hunc metuunt omnes: neque mirum; nam mala valde est
Bestia, nec quicum bella puella cubet.
Quare aut crudelem nasorum interfice pestem:
Aut admirari desine, cur fugiunt.

omnibus vulgg.—sed quænam? *Non illam* Voss.—Mihi unice vera visa est lectio *Non ullam*, quam, ut magis latinitati et versui antecedenti respondentem, ex ed. Gryph. (1537.) revocavi.—*labefactas* perperam in edit. Parthen.

10. *Aut te admirari desine cur fugiant* conjecit Heinsius.

I. 5. 13. cf. Vulpius. Pertinebant autem ejusmodi vestes inter præcipua, quæ puellis offerri solebant, munera. Sic Tibullus II. 3. 51. sqq.

Ut mea luxuria Nemesis fluat, utque per urbem
Incedat donis conspicienda meis.
Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias.

Ubi cf. *Heyne.*—*labefactes*, in amorem tuum inducas, capias. *labefactari* dicuntur, qui crebris vel precibus vel muneribus vel aliis artibus victi tandem alteri cedunt. Sic Terent. Eunuch. III. 3. 3.

Ita me video ab ea astute labefactarier.

4. *Lapidis*, unionis, gemmæ.—vid. *Brouckhus.* ad Tibull. I. 9. 39. et *Dorville* ad Chariton. p. 531. 2. (edit. Lips.)

5. *Lædit te quædam mala fabula*, "nocet tibi in hac re mala quædam fama, malus quidam et fœdus de te dispersus rumor."—Achilles Statius parum ad rem comparat Euripid. Hippol. v. 1313. Δάκνει σε μῦθος.

6. *Valle sub alarum*, ornate et eleganter pro "sub cavis alis." *trux hab.* c.: *caper* vel *hircus*: (Carm. sequ. v. 1.) (τράγος) ab hujus animalis graveolentia dicitur teter ille odor, quem alæ hominum exhalant. Ovidio obversatus Noster videtur in Arte Am. III. 193.

Quam pæne admonui, ne trux caper iret in alas;

Idem Arte Am. I. 522:

Nec mala odorati sit tristis anhelitus oris,
Nec lædant nares virque paterque gregis.

cf. Horat. Epod. XII. 5.—Græcis vocatur iste fœtor κινάβρα. Luc. DD.M. I. sub fin. κινάβρας ἀπόζων ὥσπερ ὁ τράγος. ubi vid. *Brodæus.*—cf. Pollux II. 4. Sect. 77. Huc pertinet Epigramma Luciani LXXXIX. in Analectis Vett. Poëtt. Græc. Brunckii Tom. II. p. 336.

Οὐ μόνον αὐτὴ πνεῖ Δημοστρατίς, ἀλλὰ καὶ αὐτῆς
Τοὺς ὀσμησαμένους πνεῖν πεποίηκε τράγου.

9. *Quare aut crudelem* cet. "tollendum cura hunc pestiferum nasorum odorem." *interfice*, facete, quia intolerabilis iste odor *caper* et *bestia* vocatur.

CARMEN LXX.

DE INCONSTANTIA FEMINEI AMORIS.

Nulli se dicit mulier mea nubere malle,
Quam mihi: non si se Juppiter ipse petat.
Dicit: sed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento, et rapida scribere oportet aqua.

4. Pro *In vento* legendum censet *Burmannus* Sec. ad Anthol. Tom. I. p. 541. *In vino*, quam quidem lectionem, jam a Gifanio in Ind. Lucret. p. 450. propositam, confirmare studet loco ex Xenarchi *πεντάθλῳ* apud Athenæum l. X. p. 441. *Ὅρκον δ' ἐγὼ γυναικὸς εἰς οἶνον γράφω.*—sed *In vento* mihi rem significantius exprimere videtur.

Mulierum levitatem et perfidiam, quam vulgo illæ viris exprobrare solent, (cf. supra ad Carm. LXIV. 143.) Lesbiæ suæ exemplo breviter et graphice adumbrat. cf. Tibull. III. 6. 47. sqq.

1. *Dicit. dicere* pro "affirmare et asseverare aliquid vero vultu" passim. Sic Cicero Pro Rabirio Post. 12. *ut, quibus creditum non sit negantibus, iisdem credatur dicentibus?* et sic infra Carmine LXXII.

Dicebas quondam, solum te nosse Catullum.

2. *Petat.*—*petere* (*αἰτεῖν*) proprie de procis. exempla utriusque linguæ collegit *Cerda* ad Virg. Æn. VII. 55.

3. *Dicit: sed mulier* cet. Muretus expressisse Catullum putat Epigramma Callimachi XXVI. 2. 3. sed hic locus fere est communis.

4. *In vento, et rapida* cet. ubi eodem, quo scribitur, tempore, deletur et confunditur impressa litera. dixit hæc *παροιμιακῶς*. cf. Erasmus in Chiliad. p. 149. Huc pertinet Epigramma Meleagri CIV. 5. (edit. Mans.)

Νῦν δ' ὁ μὲν ὅρκιά φησιν ἐν ὕδατι κεῖνα φέρεσθαι.

CARMEN LXXI.

AD VIRRONEM.

Si quoi, Virro, bono sacer alarum obstitit hircus,
Aut si quem merito tarda podagra secat:
Æmulus iste tuus, qui vostrum exercet amorem,
Mirifice est a te nactus utrumque malum.
Nam quoties futuit, toties ulciscitur ambos:
Illam affligit odore, ipse perit podagra.

1. *Si quoi jure bono* primus edidit Aldus, quem nonnulli, qui eandem lectionem se reperisse testantur, secuti sunt. Scaliger veterem scripturam esse ait *Si qua, viro, bono sacrorum obstitit hircus:* et sic quoque hic versus exaratus est in libris Vossii, in librr. MSS. quos laudat editor Cantabr. et ed. Rheg. Egregie igitur hæc vetusta lectio favet lectioni, quam dedimus, vulgatæ, a Parthenio jam exhibitæ, *Si quoi, Virro, bono sacer alarum;* confluxit enim *sacer alarum* in *sacrorum*, et pro *Virro*, quia nondum geminare solebant literas, scribebatur *viro*.—Vossius quidem invenerat quoque hunc versum in Cod. Mediolanensi ita scriptum, *Si qua viro - - - se - - - obstitit hircus:* unde primum legendum fortasse suspicabatur, *Si quoi virosus* : sed deinde re diligentius pensitata lubenter in nostra lectione acquiescit.—*Si cui, virro, homini sacer alarum* Gryph. Muretus.—*Si quoi, Virro, domos sacer alarum obsidet hircus* tentabat, et satis lepide explicabat Janus Meleager.—*caper alarum obstitit hircus* ingeniose sed sine necessitate conjecit Heinsius in notis ad Cat.

4. *Mirifice est actu* Gryph. Muret. Stat.—*mirifico est astu* volebat Muretus.—*Mirifice est tactu* Turnebus.—*ac tu* Vossius, cui adhæret Vulp.: sed nostram lectionem tenent Parthenius, Ald. et eandem, ut testatur editor Cantabr., offerunt Maffei liber MS. et tres editt. antiquiss.

Argumentum hujus carminis est paulo obscurius, nec satis, opinor, ad liquidum perduci potest. Ex mea quidem sententia, ipsum Virronem ut hominem fœdum et podagrosum poëta notare voluit, cujus æmulum ideo fortasse alarum vitiis et podagra merito jam laborare ait, quod hominem, quem fugere debebat, æmulatus sit. Ad eundem Virronem pertinet fortasse infamia infra memorata Carm. LXXX. 7.—Sed Vulpius poëtam cum Virrone in sinu gaudere putat, quod ejus rivalis ob duo sibi contracta mala abominandus nunc redditus sit.

1—4. Sensus, ut mihi videtur, est fere hic: "Si quis unquam, Virro, homo insipidus exsecrabili alarum odore merito infectus fuit, aut gravi podagræ dolore merito corripitur, sane æmulus tuus, qui eandem puellam tecum subagitat, mirum in modum utrumque malum merito a te nactus est."—*bono*, insipido, stulto. sic sæpe *bonus* ironice, inprimis a Comicis, poni solet. vid. *Drackenborch*. ad Sil. Ital. II. 240.—Vulpius cum Vossio *bono* ridicule sumit pro adverbio, ut sit *commode*, apte.—*sacer*, abominandus, detestabilis. cf. supra ad Carm. XIV. 12.—*alarum hircus:* vid. supra ad Carmen LXIX. 6.—*obstitit*, obfuit, excitavit aliorum nauseam.

2. *Tarda*, lepide ab effectu. *secat*, pungit, lancinat; apposite de podagra.

3. *Æmulus iste tuus* tam in amore quam in corporis tui vitiis.

4. *Mirifice*, mira quadam contagione, mirum in modum, vel præter modum. *a te*, in tuo contubernio.

6. *Ipse perit podagra*, quia libidinis exercitio hoc malum crescit.

CARMEN LXXII.

AD LESBIAM.

Dicebas quondam, solum te nosse Catullum,
  Lesbia; nec præ me velle tenere Jovem.
Dilexi tum te, non tantum ut volgus amicam,
  Sed pater ut gnatos diligit et generos.
Nunc te cognovi. Quare, etsi impensius uror,
  Multo mi tamen es vilior et levior.
Quî potis est? inquis. Quod amantem injuria talis

6. *Multa ita tu nunc me* editio Veneta (1493); antique autem *me* pro *mihi* positum esse observat ibi Parthenius. *Multo ita ne mi tu* primus impresserat Aldus. *Multo ita nec me tu vilior* in quibusdam editionibus.—MSS. Stat. offerebant, *Multo ita me nec vilior*, vel *Multo ita nec me vilior;* sed hic deest vox monosyllaba, quam exigit metri ratio.—nostram lectionem plurimis jam probatam vulgavit Guarinus.

7. *Quis potis est* vel *qui potis es* in quibusdam.—Statius tentabat, *Quî pote sic* vel *qui potis hoc.*—*Quam amantem* in omnibus MSS. Statii, unde ille primum volebat, *quæ amantem*, deinde *quid amantem*.

Accusat perfidiam Lesbiæ, quam, donec sanctis ejus promissis fidem habuerit, non libidinoso tantum, sed etiam pio benevoloque animo amplexum esse testatur; nunc autem, perspecta ejus perfidia, libidinem quidem mansisse, imo incensam magis esse obtrectandi studio, sed pristinam pietatem et benevolentiam plane ex animo suo deletam et eradicatam esse libere fatetur.

1, 2. Compara Carm. LXX. 1. 2. et observa, quam eleganter eandem sententiam poëta variaverit.—*præ me*, me posthabito.—*tenere*: cf. supra ad Carm. LXIV. 28.

3. *Dilexi tum te*, consulto dixit *dilexi*, h. e. "non solum te amavi, sed etiam magni feci." *diligere* et *amare* proprie inter se differunt ita, ut illud dicatur de eo, qui alterum ob ejus cognitas virtutes magnifacit; hoc de eo, qui alterius forma, venustate cet. suaviter afficitur; *diligere* enim proficiscitur a judicio, *amare* a sensu; possumus igitur aliquem *amare*, nec eundem tamen *diligere*, et vice versa; quam quidem horum verborum differentiam sæpe secutus est Cicero.

5. *Te*, tuam perfidiam et levitatem.

6. *Levior*, levioris pretii.

7, 8. *Quod amantem - - - velle minus.* *injuria* (ὕβρις) offensio, perfidia.—*bene velle*, diligere. In hanc sententiam Phædria apud Terentium Eunuch. I. 1. 25:

—*O indignum facinus, nune ego et*
Illam scelestam esse, et me miserum sentio:
Et tædet: et amore ardeo.

et sic Claudianus Fescenn. v. 110:

Accenditque magis, quæ refugit, Venus.

Huc pertinet quoque Epigramma Pauli Silent. XXV. in Analectis Vett. Poëtt. Gr. Brunckii Tom. III. p. 79.

Ὕβρις ἔρωτας ἔλυσε. μάτην ὅδε μῦθος
  ἀλᾶται.
Ὕβρις ἐμὴν ἐρέθει μᾶλλον ἐρωμανίην.

Cogit amare magis, sed bene velle minus.

8. *Cogat* Gryph. Muret. Vossius et alii: sed nostra lectio est in omnibus MSS. apud Stat.—In edit. Gryph. (1537) cum hoc carmine conjungitur Epigramma *Odi et amo* LXXXV. At Achilles Statius putat, aut simul cum his, aut statim post hos, legendos esse versus ex Epigr. LXXV. 5. *Nunc est mens adducta* usque ad finem; et deinde illos, *Odi et amo.*—In edd. Venett. hoc cum sequenti carmine conjunctim exhibitum est.

CARMEN LXXIII.

IN INGRATUM.

Desine de quoquam quidquam bene velle mereri,
Aut aliquem fieri posse putare pium.
Omnia sunt ingrata: nihil fecisse benigne est:
Immo etiam tædet, tædet obestque magis:
Ut mihi, quem nemo gravius nec acerbius urget,
Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.

1. Pro *quidquam* in nonnullis MSS. Statii *quisquam* et *quemquam*: unde ille legendum fortasse putabat *quisquis.*

2. Pro *pium* Gryph. Muret. et alii *tuum.*—sic passim libri in *pius* et *tuus*, *meus* et *suus* variant. vid. *Heins.* ad Ovid. Met. VII. 172.

3. *Est* deest in MSS. Stat. editt. Venett. Gryph. et aliis.

4. *Imo etiam tædet, statque magisque magis* in omnibus fere MSS. Stat.: et sic hunc versum, nec sensus nec latinitatis ratione habita, multæ editt. vett. exhibent. in uno Stat. erat, *Stat magis atque magis.* Marcilius emendabat, *Imo etiam tædet, et magis atque magis.* Guietus, *Nihil fecisse benigne Prodest; imo etiam tædet obestque magis.* Ex libro Bibl. Bodleianæ editor Cantabrig. profert, *Prodest: sed tædet jam magis atque magis.*—nostram lectionem veterum librorum auctoritate confirmavit Guarinus. et sic est in libris MSS. apud editorem Cantabr.; cui accedunt Statius, Muretus, Vossius et alii.

5. *Væ mihi* Scaliger, Vulpius et alii.

Facta de perfidia cujusdam experientiâ, solemnem de ingratis hominibus querelam repetit.—Sunt, qui Alphenum Varum Jurisconsultum hoc epigrammate innui sibi persuadeant. cf. supra Carm. XXX.

3. *Omnia sunt ingrata* cet. *fecisse benigne*, beneficia in aliquem contulisse, *nihil est*, nihil pensi habetur; vetus autem hæc de ingratis hominibus cantilena jam apud Homerum Odyss. IV, 695:

—οὐδέ τις ἐστὶ χάρις μετόπισθ' εὐεργέων.

5. *Ut mihi*, sc. obfuit.—*urget*, vexat et persequitur.

CARMEN LXXIV.

IN GELLIUM.

GELLIUS audierat, patruum objurgare solere,
Si quis delicias diceret, aut faceret.
Hoc ne ipsi accideret, patrui perdepsuit ipsam
Uxorem, et patruum reddidit Harpocratem.
Quod voluit, fecit: nam, quamvis inrumet ipsum
Nunc patruum, verbum non faciet patruus.

3. *Perdespuit* male in libris antiquis, ut recte docuit Scaliger.
6. *Hunc patruum* ex uno Cod. protulit et probavit Statius.

Infame hujus epigrammatis argumentum versatur in describendo adultero infamissimo, Gellio, quem eundem esse putant, qui a Cicerone in Oratione Pro Sextio perstringitur.

1. *Patruum objurgare:* proverbiali fere locutione nota est patruorum in fratrum liberos severitas. Horat. Sat. II. 3. 88. *Ne sis patruus mihi*, et Od. III. 12. 3. *Patruæ verbera linguæ.* vide quos laudat *Ernesti* in Clave Cic. sub v. *patruus.*

2. *Si quis delicias* cet. si quis vel dictis vel factis paulo liberius in re amatoria luderet.

3. *Perdepsuit.* Qui notionem hujus verbi eruere cupit, adeat *Manut.* ad Cic. Epist. ad Div. IX. 22. p. 39. edit. Græv. et *Bochart.* Hieroz. I. p. 188.

4. *Patruum reddidit Harpocratem,* nimirum ut patruus, velut silentii deus Harpocrates, altum in hac re jam juberet silentium, nec amplius objurgando molestus esset.—Figura Harpocratis, summa olim religione ab Ægyptiis in templis Isidis et Serapidis inprimis culti, ita fere in monumentis veteribus expressa conspicitur, ut ad silentium indicandum unus digitorum ori admotus vel insertus sit.—Exstat peculiaris in hanc rem libellus, magna eruditionis copia conscriptus, *Gisb. Cuperi Harpocrates*, ubi præter perantiquam imagunculam argenteam singulari studio a Cupero explicitam, multæ aliæ ejusdem dei figuræ exhibitæ, et, quæ ad historiam hujus dei spectant, diligenter collecta et proposita sunt. Adde *Burmannum Sec.* ad Anthol. III. 88. T. I. p. 629. 30.

5. *Quod voluit, fecit:* hoc modo impetravit, quod impetrare voluit.

CARMEN LXXV.

AD LESBIAM.

NULLA potest mulier tantum se dicere amatam
  Vere, quantum a me, Lesbia, amata, mea, es.
Nulla fides ullo fuit unquam fœdere tanta,
  Quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.
Nunc est mens adducta tua, mea Lesbia, culpa,
  Atque ita se officio perdidit ipsa pio:
Ut jam nec bene velle queam tibi, si optima fias,
  Nec desistere amare, omnia si facias.

Hos quatuor versiculos priores, in antiqq. Codd. post Epigramma LXXXVI. collocatos, huc revocavit Scaliger, quem, quia egregie illi cum quatuor posterioribus conspirant, plerique recentiorum secuti sunt. Inprimis Vulpius mirifice hoc nomine extollit acumen Scaligeri, et hæc quatuor disticha vel ab ipso Catullo ita conjuncta et composita fuisse, vel certe poëtam, si ab inferis excitetur, hanc industriam Scaligeri non deprecaturum existimat.—Et sane quatuor posteriores recte integri poematii ἀποσπασμάτιον haberi poterant.

4. *Quanta in amore suo*, ut sit pro *ipsius*, Gryph. Muret. et all.—sed *tuo* est in omnibus MSS. Stat.

5. *Huc est mens deducta* Venett. Gryph. Muret. — nostram lectionem ex Cod. suo produxit Scaliger, et sic Vossius, editor Cantabr. Vulp. Gotting. Bipont.

Quod in Carmine LXXII. de amore suo erga Lesbiam et de ejus perfidia expresserat, idem in hoc carmine nova dictionis varietate et ornatu exprimit.

2. *Vere*, ex intimo pectore.

3. Num forte post *unquam* excidit *in?*

4. *Ex parte mea*, quod ad me attinet, *τοὐμὸν μέρος*.

5. *Mens*, pietas, benevolentia: *adducta* h. e. contracta; sed valde de lectione *adducta* dubito; mihi enim scripsisse potius Catullus videtur *abducta*, h. e. alienata, avocata. Sic *animus a corpore abductus* apud Cic. Tusc. I. 31. de eo, qui non amplius iis, quæ in sensus cadunt, turbatur et abripitur; et sic sæpius *abducere* ad animum refertur; sexcenties autem *adducere* et *abducere* a librariis confusa sunt. vid. quos laudat *Drackenborch* ad Sil. Ital. X. 18. et ad Liv. Tom. IV. p. 92.

6. *Atque ita se officio perd. ipsa pio:* Atque hoc modo ipsa se privavit pietatis, quam ei probabam, officio.

CARMEN LXXVI.

AD SE IPSUM.

Si qua recordanti benefacta priora voluptas
Est homini, cum se cogitat esse pium,
Nec sanctam violasse fidem, nec fœdere in ullo
Divum ad fallendos numine abusum homines:
Multa parata manent in longa ætate, Catulle,
Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.
Nam quæcunque homines bene quoiquam aut dicere possunt,
Aut facere, hæc a te dictaque factaque sunt;
Omnia quæ ingratæ perierunt credita menti.
Quare jam te cur amplius excrucies?
Quin te animo obfirmas, teque istinc usque reducis,

11. Mirum, quantum in hoc versu libri veteres discrepent. Statius ex MSS. profert, *Qui tu animo offirmas, atque instinctoque reducis:* unde ille rescribendum putat, *Quin tu animum offirmas, atque istinc usque reducis.*—Scaliger veterem scripturam esse ait, *Quin tu animo affirmas, atque instructoque reducis:* unde legendum suspicatur, *Quin tu animu'* (antique pro *animum*) *offirmas itaque, instructoque reducis.*—Theodoro Marcilio placebat *Quin tu animum obfirmas itaque, in gyrumque reducis?*—Jano Meleagro, *Quin tu animum obfirmans instructum atque atque reducis?* h. e. celerrime retrahis.—Vossio, *Quin tu animum offirmas, atque istinc te reducis?*—editt. Guarin. et Gryph. offerunt, *Quin te animo affirmas, teque instinctuque reducis?*—Muretus, *Quin te animo affirmas, teque astringisque reducisque.*—Sed jam hæc ad nauseam usque satis. Nostram lectionem, haud certe incommodam, exhibent editt. Rapheleng. Græv. Cantabr. Getting. Bipont., nisi quod *offirmas* (v. not.) pro *affirmas* dedimus; et sic in Sil. Ital. XII. 668. pro *affirmans* cum N. Heinsio legendum videtur *offirmans*.

Perspecto Lesbiæ suæ infido et ingrato animo, reputat secum, quam ei præstiterat, pietatem, firmumque in ea reputanda paratum sibi solatium esse videt. Deinde summopere animum suum impellere studet, ut longum, quem adhuc nutriverat, amorem repente nunc deponat et ejiciat; quod quidem cum longe difficillimum esse probe intelligeret, deorum ad hanc rem graviter pervincendam sibi expetit auxilium.

1—6. Vulgaris, quam exornavit poëta, sententia est fere hæc: "Si verum est, homines pios, integros et bene de aliis meritos, magnam vitæ anteactæ recordatione capere voluptatem, equidem senex olim capturus sum maximam, si, qualem me erga perfidam et ingratam præbuerim, recordatus fuero."—Ad vers. 5. commode laudatur a Statio illud Pindaricum apud Platon. de Republ. I. p. 574. (ed. Francof.) ὃς ἂν δικαίως καὶ ὁσίως τὸν βίον διαγάγῃ, γλυκεῖά οἱ καρδίαν ἀτιτάλλουσα γηροτρόφος ξυναορεῖ ἐλπὶς, ἃ μάλιστα θνατῶν πολύστροφον γνώμαν κυβερνᾷ.

9. *Perierunt credita* pro vulgari "frustra credita sive tributa sunt."

11. *Quin te animo obfirmas:* ob-

Et, Dis invitis, desinis esse miser?
Difficile est longum subito deponere amorem:
  Difficile est: verum hoc qualubet efficias.
Una salus hæc est, hoc est tibi pervincendum.
  Hoc facies, sive id non pote, sive pote.
O Di, si vostrum est misereri, aut si quibus unquam
  Extrema jam ipsa in morte tulistis opem;
Me miserum adspicite, et si vitam puriter egi,
  Eripite hanc pestem perniciemque mihi,
Quæ mihi subrepens imos, ut torpor, in artus,

14. *Verum hoc quod lubet efficies* Venett.
16. *Hoc facito* Vossius cum Vulpio.
18. *Ipsam* Venet.
21. *Seu mihi subrepens imos ut corpore in artus* omnes libri MSS. Stat.: unde ille tentat, *Hæc mihi subrepens imos in corporis artus.*—Janus Meleager volebat, *Heu mihi! subrepens imos, ut torpor, in artus.*—Vossii liber vetustus suppeditabat, *Quæ mihi subrepens imos velut anguis in artus*: sed nemo non in hac lectione manum interpolatoris agnoscet.—nostram lectionem vett. librorum tam scriptorum quam exaratorum auctoritate niti testatur editor Cantabr.

firmare se, vel plenius *obfirmare se animo*, est "in capto consilio ita se confirmare, ut ab eo exsequendo nullo modo nos avocari patiamur." Exempla ex Plauto et Terentio allata vide apud Vulpium. adde Terent. Hecyr. III. 5. 4. Eodem modo dicitur *obdurare* supra Carm. VIII. 11.—Imitatus est Nostrum, ut notat Vulpius, Ovid. Metam. IX. 744:

Quin animum firmas, teque ipsa recolligis, Iphi:
Consiliique inopes et stultos excutis ignes.

usque, in perpetuum, ut numquam illam revisas.

12. *Dis invitis*, licet contra deorum voluntatem hoc a te suscipiatur consilium; nam Venus et Amor dii sunt χαρίεντες. nisi quis *diis invitis* explicare malit: *miserum te esse nolentibus.*

13. *Diffic. est.—amor.*: Hanc sententiam expressit *Lotichius* sic lib. I. Eleg. 2. 64.

Ponere difficile est, quæ placuere diu.

14. *Verum hoc q. eff.*: Idem suadet Parmeno Phædriæ apud Terent. Eunuch. I. 1. 29:

Quid agas? nisi ut te redimas captum quam queas
Minimo: si nequeas paululo, at quanti queas:
Et ne te afflictes.

15. *Una salus hæc est*, in amore nimirum funditus exstirpando sita.—*pervincendum* graviter pertendendum, perdolendum, ut loquitur Terentius.

16. *Hoc—sive pote*, "tentabis hoc certe, sive eveniat, ut id ab animo tuo impetres, sive non eveniat." de usu *potis* et *pote* in utroque genere vid. Muret. ad h. l.

19. *Me miserum adsp.*: oculos, aures, vultum *advertunt* dii propitii, *avertunt* irati, inimici. vid. *Broukhus.* ad Tibull. III. 3. 28.

21. *Quæ mihi subrepens imos, ut torpor, in artus*: amoris enim venenum, sicut torpor, tacite et sensim sensimque per interiores ossium medullas serpit et dimanat.

Expulit ex omni pectore lætitias.
Non jam illud quæro, contra ut me diligat illa,
Aut, quod non potis est, esse pudica velit:
Ipse valere opto, et tetrum hunc deponere morbum.
O Dî, reddite mî hoc pro pietate mea.

22. *Expulit ex omnes* parum feliciter conjiciebat Statius. Pro *lætitiis* offerunt libri Voss. *delicias*.
23. *Contra me ut* MSS. Stat.

23. *Contra*, vicissim, ἀμοιβαίως; *contra diligere*, redamare, ἀντερᾶν.
25. *Morbum*: vid. supra ad Carm. XXXIX. 7.

26. *Reddite mî hoc pro pietate mea*, "hoc beneficium tanquam mercedem pietati debitam mihi retribuite."

CARMEN LXXVII.

AD RUFUM.

Rufe, mihi frustra ac nequidquam credite amice,
Frustra? immo magno cum pretio atque malo:
Siccine subrepsti mi, atque, intestina perurens,
Mi misero eripuisti omnia nostra bona?

1. *Cognite* pro *credite* in Gryph. et quibusdam veteribus.: sed MSS. Stat. constanter servant *credite*, quod recte jam vindicatum est a Mureto; nam quæ *cognoscimus*, sunt fere vera; at quæ *credimus*, non raro falsa.—*cognite amico* Ald. (ao. 1515.)
2. Hunc locum tacite Vossius ita constituit, *Siccine subrepsti; neque intestina perurens Mî misero eripuisti; omnia nostra bona Eripuisti.*
4. *Sic misero* Parthen. Gryph. Muret.

Fallaciam Rufi, qui, speciem amici præ se ferens, puellam, ut suspicari licet, Catullo eripuerat, graviter accusat.—Num idem Rufus, cujus graveolentiam Noster Carm. LXIX. notavit, an insignis iis temporibus orator, M. Cœlius vel potius Cæcilius Rufus, uno die (teste Plinio Hist. Nat. VII. 44.) cum C. Licinio Calvo natus, intelligendus sit, nemo facile pro certo affirmare ausit.

2. *Frustra?* Ἐπανόρθωσις seu correctio, ut appellatur a rhetoribus hoc concitatius dicendi genus. Nam ea demum, ut observat Muretus, proprie *frustra* esse dicuntur, quæ neque commodum neque detrimentum afferunt.—*magno cum pretio*, h. e. dispendio. sic passim in malam partem *pretium* et *merces* apud Latinos, ut μίσθος apud Græcos. cf. Vulp. adde *Interpretes* ad Callimach. Hymn. in Dian. v. 263.

Eripuisti. Heu, heu, nostræ crudele venenum
Vitæ, heu, heu, nostræ pestis amicitiæ!

6. *Pectus amicitiæ* ex libris antiquis profert Vossius, ut sit vel ironice sumendum, vel *olim* s. *quondam* subintelligendum; eandem lectionem exhibet edit. Parthenii; sed quis dubitet de vera lectione *pestis*, cum *venenum* præcesserit?

CARMEN LXXVIII.

DE GALLO.

GALLUS habet fratres, quorum est lepidissima conjux
Alterius, lepidus filius alterius.
Gallus homo est bellus: nam dulces jungit amores,
Cum puero ut bello bella puella cubet.
Gallus homo est stultus, nec se videt esse maritum,
Qui patruus patrui monstret adulterium.
Sed nunc id doleo, quod puræ impura puellæ

5. Pro *stultus* iterum in editione Parthenii legitur *bellus*, haud dubie ex operarum errore.

7. *Puræ pura puellæ* ex veteri scriptura reposuit Scaliger, et sic est in editione Parthen.

7—10. Hos quatuor versus Scaliger, cum eos dissimilis argumenti esse exis-

Indignabatur Catullus Gallo, quod ille delicias apud ejus amicam facere ausus fuerat, et hac indignatione lacessitus, turpe ejus, quod in fœdo jungendo amore præstiterat, profert et differt ministerium.

3. *Bellus* proprie, qui merum concinnitate, elegantia, urbanitate, comitate, blanditiis, vel quocunque obsequii genere placere studet, quo pertinet *belli hominis* descriptio, quam ex Martiale dedimus supra ad Carm. XXII. 9: sed Gallus in obsequii genere satis inhonesto nunc *bellus* dicitur.—*jungit*, consociat, conciliat, conjungit, est proxeneta amorum.—*dulces*, invidiose de fœdo amoris genere.

4. *Cum puero ut bello* cet. ut filius alterius fratris cum uxore patrui consuescat.

5. 6. Sensus: idem Gallus est homo insipiens, qui, dum fratris filio viam ad adulterium cum patrui uxore committendum aperit, non cogitat, se quoque habere conjugem, quæ a fratris filio constuprari possit.

7. 8. Nexus orationis est fere hic: Sed quamvis hæc omnia nihil morer, tamen id nunc vel maxime mihi bilem movere debet, quod impuro tuo ore puram meam puellam deosculatus es.—*conjunxerit*, h. e. commiscuit spurca saliva tua suavia impura cum puris puellæ suaviis.

Suavia conjunxit spurca saliva tua.
Verum id non impune feres: nam te omnia secla
Noscent, et, qui sis, fama loquetur anus.

timaret, invitis libris omnibus ab hoc epigrammate luxavit et cum superiore conjunxit. De iisdem, an loco suo positi essent, jam dubitaverat Achilles Statius. Hinc facile ab ingenio suo impetrare potuit Corradinus de Allio, ut eos Carmini XCI. assueret. Sed Vulpius egregie eos cum hoc carmine cohærere pulchre docuit.—pro *conjunxit* in versu 8. ex conjectura refinxit Scaliger *comminxit*, sed quis verbum inhonestius præferat honestiori? quisve novam Catulli carminibus obscœnitatem importare sustineat?

10. *Fama loquetur anus.* cf. supra ad Carmen LXVIII. 46.

CARMEN LXXIX.

IN LESBIUM.

Lesbius est pulcher: quidni? quem Lesbia malit,
Quam te cum tota gente, Catulle, tua.
Sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum,

1. Sunt, qui pro *Lesbius* in nonnullis libris *Gellius* reperiri scribant; at Scaliger in uno se deprehendisse *Cælius* affirmat. Sed omnes libri Statii et Vossii tuentur nostram lectionem, et sic est in editionibus Parthen. Gryph. Muret. Cantabr.

Lesbium quendam cum tanti faceret Lesbia, ut eum Catullo præferendum putaret, pulchrum illum quidem inde haberi posse concedit, sed eundem, ut hominem spurcum et impurum haud obscure describit.—Muretus, qui sub *Lesbiæ* nomine *Clodiam* intelligi debere jam supra ad Carm. LVIII. probare studuit, per hunc quoque *Lesbium* intelligendum esse censet *P. Clodium*, hujus *Clodiæ* fratrem, qui et hanc et ceteras sorores constuprasse dicitur. In qua quidem suspicione ille eo magis confirmatur, cum additum sit nomen *pulchri*, quod ipsum Clodii cognomen fuerit, ita, ut poëta in ambiguitate vocis jocari voluisse videatur.—Multum quidem apud me valet Mureti in explicandis locis obscurioribus subtilitas et sagacitas, sed in hac re nolim cum eo in tenebris micare.

3. 4. Sensus: "sed tamen hic pulcher me cum tota familia mea tanquam pignus positum habeat et pro lubitu vendat, si quisquam eorum, qui eum norunt, vel tria oscula impuro ejus ori (quod innuere poëta videtur) impresserit."—*vendat:* respicere poëtam putat Muretus ad veterem consuetudinem, qua interdum ob certa delicta totæ familiæ publice vendebantur.—*notorum:* *noti* sunt familiares, quibus aliquis notus est, nos *Bekannte*. Sic Livius III. 45. *Notos gratia eorum, turbam indignitas rei virgini conciliat.* alia exempla posuit Vulpius.

Si tria notorum suavia repererit.

4. *Natorum*, quod lepide Vossius de claris et nobilibus Romanis explicat, male in libris vett. recte igitur jam Scaliger revocavit *notorum*—in nonnullis, v. g. in edit. Gryph. Muret. legitur *amatorum*, quod haud dubie ex *natorum* confictum est. *Si tria amatorum savia surpuerit* legit Heinsius in not. ad Catull.

CARMEN LXXX.

AD GELLIUM.

Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella
Hiberna fiant candidiora nive,
Mane domo cum exis, et cum te octava quiete
E molli longo suscitat hora die?
Nescio quid certe est. An vere fama susurrat,
Grandia te medii tenta vorare viri?
Sic certe clamant Virronis rupta miselli
Ilia, et emulso labra notata sero.

4. *Et mollis* nimis argute corrigit Scaliger.
7. *Sic certe est* Gryph. Muret.—*Si certe est* Parth. Græv.—*Sed certe clamant* in libro Scaligeri.—*Sic certe* Scal. Voss. Vulp. Gotting. Bipont. quod, sublata tantum interpunctione, dedimus.—pro *Virronis* in multis editionibus *Victoris*, in nonnullis *Unctoris*, inepte, ut judicat Muretus.—*Varronis rupta Viselli* ex ingenio Scaligeri.
8. *Ilia, demulso* Venet. Gryph. Muret.—in MSS. Stat. erat, *Ille temulso* vel *Illa te mulso:* unde jam Pierius Valerianus et Gabriel Faernus recte fecerunt, *Ilia, et emulso.*—Achilles Statius suspicabatur, *Iliaque et mulso* vel *Iliaque et multo.*

Quærit de causa mutati in Gellii labellis coloris, eamque a nefando, qua ille se contaminabat, libidinis genere repetit.

3. 4. *Mane domo cum exis* cet. Tam mane, quam post meridiationem.—*octava hora* sub meridiem sive post prandium, ubi molliores meridiari solebant. cf. supra Carmen XXXII. 3.—*longo die*, æstivo.

5. *Nescio quid certe est*: est certe aliquid in causa, sed quid sit nescio. cf. quem laudat de hac formula Vulpius Virgil. Ecl. VIII. 107.

6. *Grandia te—viri?* te esse fellatorem.—*tenta medii viri*, *τὰ αἰδοῖα*. *tendere* in obscenis.—præter Statium et Muretum adeat, cui volupe est, disertum nequitiarum interpretem Scioppium in Lusibus V. 5.

7. *Clamant*, aperte testantur.—*clamare* de rebus inanimatis. vid. supra ad Carm. VI. 7.—*rupta ilia:* cf. supra ad Carm. XI. 20.

CARMEN LXXXI.

AD JUVENTIUM.

NEMONE in tanto potuit populo esse, Juventi,
Bellus homo, quem tu diligere inciperes:
Præterquam iste tuus moribunda a sede Pisauri
Hospes, inaurata pallidior statua?
Qui tibi nunc cordi est, quem tu præponere nobis
Audes. Ah! nescis, quod facinus facias.

3. Janus Meleager, cum pro *a sede* membranæ Palatin. haberent *ad sede* et Commelini *ab*, legendum censet *ah!* pro *sede* vero corrigit *sepe*, explicans *sepem moribundam* de dentibus senio cariosis et cadaverosis; nimis argute!

6. *At nescis* Gryph. Muret. Græv. haud minus commode, puto, quam *ah*, quod exhibent editt. recentiores Cantabr. Voss. Vulp. Gotting. Bipontin.

Miratur, quid sit, quod Juventius misere pallescentem quendam hominem Pisaurensem dignum habuerit, quem ipsi et aliis in amore præponeret.—De gente Juventia vide Vulpium supra ad Carm. XXIV.

1. *In tanto populo*, in tanta populi frequentia.

2. *Inciperes*, in animum induceres, vel, quod Scaliger animadvertit, *diligere inciperes* pro *diligeres*.

3. *Moribunda a sede Pisauri.* Fuit Pisaurum oppidum Umbriæ maritimum, quod præterlabitur fluvius cognominis *Pisaurus*; vocatur *sedes moribunda* haud dubie ob aëris, quo male afficiebantur incolarum corpora, vitium.

4. *Inaurata pallidior statua.* tribuitur auro *color pallidus*, ὠχρὸς, χλωρός. cf. supra ad Carmen LXIV. 100.

CARMEN LXXXII.

AD QUINTIUM.

QUINTI, si tibi vis oculos debere Catullum,
Aut aliud, si quid carius est oculis;

Quintium, sodalem suum, flectere studet precibus, ne, quod animo suo longe carissimum sit, (intellige puellam) sibi præripiat.—Eleganter hoc epigramma expressit *Joann. Nicol. Goetz Vermischte Gedichte* Tom. II. p. 215.

1. 2. Sensus: " si vis, mi Quinti, Catullum tibi aliquid acceptum referre, quod æque ac oculos suos amet, vel plus adeo oculis suis, si quid plus oculis amari potest, noli cet.—Per Quintium intelligendum esse nobilissimum illum adolescentem Veronensem, cujus mentio fit infra Carmine C., suspicatur Vulpius.

Eripere ei noli, multo quod carius illi
Est oculis, si quid carius est oculis.

4. *Seu quid* in omnibus editt. vett. et plurimis recentioribus, contra sensum et orationis nexum; nam si quid jam est multo carius oculis, qui, quæso, adjici potest *seu quid carius est oculis*; ut taceam, particulam *seu* non *quid*, sed *quod* in hoc orationis nexu postulare. Hinc recte Achilles Statius pro *seu quid* legendum auspicatus est *si quid*, quem præter Vossium et Vulpium neminem secutum esse mireris.

3. *Ei* monosyllabum per synæresin; exempla congessit Statius.

CARMEN LXXXIII.

IN MARITUM LESBIÆ.

LESBIA mi, præsente viro, mala plurima dicit:
Hoc illi fatuo maxima lætitia est.
Mule, nihil sentis. Si nostri oblita taceret,
Sana esset: quod nunc gannit et obloquitur,
Non solum meminit; sed, quæ multo acrior est res,

3. Pro *Mule* in Patavino exemplari apud Statium *Nulle*, quod rectius videtur Statio, *Nullum* de stupido, nihil audiente et sentiente, interpretanti.

4. Pro *Sana* in MSS. Statii *Samia* vel *Sannia*, unde legendum fortasse opinatur *Sanna*, h. e. irrisio, quasi dicat: " irrideri me amantem ab ea putarem, planeque contemni, si de me taceret."—*garrit* in editt. Parthen. Gryph. Muret. sed nemo non τὸ *gannit* præferet; et sic est in MSS. Statii: eodem modo in *garrit* et *gannit* variant libri apud Persium V. 95.

Ridet stolidum Lesbiæ maritum, qui, cum ejus uxor Catullum conviciis coram ipso proscinderet et causam rixandi cum eo quæreret, impense de ejus fide et castitate, quam inde colligebat, lætabatur. At Catullus, mulierum indolem melius perspectam habens, longe aliter de hoc Lesbiæ se gerendi more sentit ac judicat. Conferendum omnino cum hoc Epigramma XCII.

1. *Mala plurima dicit*, convicia. Tibull. I. 2. 11.

Et mala si qua tibi dixit dementia nostra.

3. 4. *Si nostri oblita taceret*: " Si me negligeret, nec dignum, quocum loquatur, haberet, *Sana esset*, recte illa videri posset amoris furore libera;" vel, neutiquam in illam caderet amoris insania. Infra Carmine XCII.

Lesbia mi dicit semper male, nec tacet unquam,
De me: Lesbia me, dispeream, nisi amat.

quod nunc, jam vere quod, νῦν δὴ.—*gannit*, canum more ringitur.—*obloquitur*, oblatrat.

5. *Non solum meminit* hoc non so-

Irata est: hoc est, uritur et loquitur.

6. *Uritur et coquitur* conjecit N. Heinsius, et sic legit jam Justus Lipsius apud Janum Dousam filium; sed quis hoc ferat ob versum primum et quartum?

lum probat, minime eam nostri oblitam esse, et nos negligere."

6. *Irata est*: nam ira apud amantes ferventissimi amoris est indicium; tritum et in vulgus notum est illud Terentianum, *Amantium iræ, amoris integratio est.*—cf. Vulp.—imprimis cum hoc loco comparandus est Propertius III. 8. 10. sqq. adde Plaut. Amphitr. III. 3. 60. sqq.

CARMEN LXXXIV.

DE ARRIO.

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, et hinsidias Arrius insidias:
Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
Cum, quantum poterat, dixerat hinsidias.
Credo sic mater, sic Liber avunculus ejus,

2. Libri veteres apud Vossium non *Arrius*, sed *Aretius* habent, unde ille *Actius* fortasse scribendum putat.

3. 4. Hoc distichon, nescio quo errore, in editione Parthenii post versum decimum, *Cum subito affertur* cet. transpositum est.

5. *Sic Cimber avunculus ejus* Heinsius in notis ad Cat.

Arrium quendam, qui mirifice sibi placebat vano et ridiculo verba nonnulla cum adspiratione pronuntiandi studio, festive in hoc epigrammate depictum, aliorum risui exponit.—Cum idoneis argumentis, quis fuerit hic Arrius, evinci nequeat, alius aliam conjecturam sequitur. Achilles Statius quidem intelligit. *Q. Arrium*, prætorem Siciliæ designatum, qui exorto bello servili missus est contra Crixum et Spartacum, quorum illum profligavit, ab hoc victus est. vid. Liv. Epit. 96. cf. Cic. Verr. II. 15. et IV. 20.—At Vulpius cogitat de *C. Arrio*, cujus mentionem injicit Cic. in Attic. I. 14. et 15.—Quidni cogitare quoque possumus de illo *Q. Arrio*, Q. Arrii Prætoris Siciliæ designati, (ut videtur *Ernestio* in Clave Cic. sub. h. n.) filio, qui in honorem patris magnificum illud, ut auram populi captaret, dedit epulum, de quo Horatius Satyr. II. 3. 7. cf. Cic. Orat. in Vatin. 12.—Sed quid interest, sciatur, quis fuerit hic Arrius, nec ne?

4. *Quantum poterat*, quanto poterat spiritu vel oris hiatu.

5. *Liber* haud dubie nomen viri proprium. Nam quod Passeratius existimat, *liberum* pro adjecto sumendum esse, quo tacite Catullus innuere voluerit, Arrium non ex justis nuptiis procreatum fuisse, utpote qui nec patrem nec patruum habuerit *liberum*, sed matrem et avunculum tantum, eorumque parentes; id anxie magis quæsitum quam probabile videtur.

Sic maternus avus dixerit, atque avia.
Hoc misso in Syriam, requierant omnibus aures,
Audibant eadem hæc leniter et leviter.
Nec sibi postilla metuebant talia verba,
Cum subito adfertur nuntius horribilis,
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Jam non Ionios esse, sed Hionios.

6. *Dixerat* in edit. Parthenii, Gryph. Muret.: sed recte Scaliger reposuit ex veteri scriptura *dixerit*, et videtur illud vel male ex versu quarto repetitum, vel hoc ob vim modi potentialis non satis intellectum esse. vid. not.—Janus Meleager male in hoc quoque disticho quærit adspirationem, illudque sic legendum opinatur, *Credo sic Mather, sic Liber havunculus eii est, Sic mathernus havus dixerit, atque havia.*

7. *Hic misso* in MSS. Statii, qui inde tentat, *Hinc misso.*

6. *Dixerit—sic, credo, dixerit*, eleganter, ex vi modi potentialis, pro *sic dixisse videtur*. Exemplum de hoc modi potentialis, quem vocant, usu, ponamus ex Liv. III. 47. *Quem decreto sermonem prætenderit, forsan aliquem verum auctores antiqui tradiderint*, pro *tradidisse videntur*.

7. *Hoc misso in Syriam*, haud dubie in munere quodam reipublicæ causa suscepto. *requ. omnibus aures*, nullius amplius aures ingratissimo male affectatæ adspirationis sono fatigabantur.

8. *Leniter et leviter* sine adspiratione.

9. *Postilla* h. e. *postea*; exempla dabunt Statius et Vulpius.

10. *Horribilis* nimirum auribus.

CARMEN LXXXV.

DE AMORE SUO.

Odi et amo. Quare id faciam, fortasse requiris.
Nescio: sed fieri sentio et excrucior.

Hoc distichon in editione Guarini et Ald. II. hic prætermissum, et epigrammati LXXII. annexum est.—vid. ibi Var. Lect.

Quærenti fortasse, cur unam eandemque puellam tam amore quam odio persequatur, quid respondeat, se nescire, ait.—

1. *Odi et amo.* Terent. Eunuch. I. 1. 27. *Et tædet, et amore ardeo.*

2. *Nescio*, formam nimirum puellæ amabat, at ejus mores detestabatur. cf. Epigr. LXXII. 7. 8.

CARMEN LXXXVI.

DE QUINTIA ET LESBIA.

QUINTIA formosa est multis: mihi candida, longa,
Recta est. Hoc ego: sic singula confiteor.
Totum illud, formosa, nego: nam nulla venustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis.
Lesbia formosa est: quæ cum pulcherrima tota est,
Tum omnibus una omnes surripuit Veneres.

1. *Quinctia* in vett. monumentis scribitur, teste Statio.

2. *Hæc ego sic* in plurimis editionibus vett.: sed Scaliger *Hoc ego* antiquam lectionem esse confirmat: et sic nunc exhibent editt. Cantabr. Voss. Vulp. Bipontin.

Quintiæ, quæ vulgo habebatur formosa, formositatis quidem partes quasdam concedit, sed cum ei deesset venustas et festivitas, absolute formosam, qualis sola Lesbia sit, eam dici posse negat.

1. *Est*, videtur, habetur.

2. *Recta*, apta forma et figura: cf. supra ad Carm. X. 20.—*hoc ego* scil. sentio vel judico.—*singula*, quod ad singulas formositatis partes attinet.

3. *Totum illud*, quod ad totum illud, in quo censetur formositas, attinet.—*venustas*, elegantia, nativus lepor et festivitas, quæ in dictis, factis, gestu et toto corporis habitu spectatur: Græcis, *κοσμιότης*, cui opponitur *ἀγροικία*.

4. *Nulla in—mica salis*: quanta est, insulsa et plena raris infacetiarumque est.—ἀνὴρ τρισκαιδεκάπηχυς de stupido magni vastique corporis homine apud Theocritum Idyll. XV. 17. ubi vide *Valckenarium*.

6. *Tum omnibus—Veneres*, omnes puellarum lepores ad se unam transtulit et inter se conjunxit.

CARMEN LXXXVII.

Vid. Var. Lect. ad Carmen LXXV.

CARMEN LXXXVIII.

IN GELLIUM.

Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore
  Prurit, et abjectis pervigilat tunicis?
Quid facit is, patruum qui non sinit esse maritum?
  Ecquid scis, quantum suscipiat sceleris?
Suscipit, o Gelli, quantum non ultima Tethys,
  Non genitor Nympharum abluit Oceanus.
Nam nihil est quidquam sceleris, quo prodeat ultra:
  Non si demisso se ipse voret capite.

6. *Nec genitor* in MSS. Stat. sed gravius repetitur *Non.*—pro *abluit* in editt. Gryph. Muret. Græv. et all. *abluat;* sed illud ex veteri scriptura defendunt Scaliger et Vossius; utrumque, puto, recte dicitur.

7. *Quod prodeat ultra* Voss. Bipont.: sed *quo* est in editt. Parthen. Gryph. Muret. Cantabr. Græv. Vulp. Gotting.

Flagitia, quibus se suosque polluebat Gellius, tanta esse ait, ut ne mari quidem possint ablui et expiari.

1. *Quid facit is;* Quid tibi statuendum videtur de ejusmodi hominis libidine, qui eet.

2. *Prurit,* pruriendo libidinem exercet. cf. Lusus 25. 4.—*adjectis,* rejectis, positis.

3. *Patruum qui—maritum.* cf. supra Epigramma LXXIV. 3.

5. *Suscipit* scil. *tantum,* quod ante *quantum* non raro omitti solet. cf. Liv. IX. 36. §. 2. et ibi *Drackenborch.*—*ultima Tethys,* totum mare, ad extremos usque fines: ut bene Stat.

6. *Non genitor Nympharum abluit Oceanus:* hic aqua marina sive fluviali scelera apud veteres expiandi mos vel ex Cicerone notus est. Pro Roscio Amer. 26. *ne, cum delati* (parricidæ) *essent in mare, ipsum polluerent, quo cetera, quæ violata sunt, expiari putantur.* cf. ibi *Hottomannum* et *Manutium* et Interpretes ad h. l. Laudant in hanc rem illud Euripidis Iphigen. in Taur. 1193. *θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά:* ubi vid. *Barnes.* et *Musgrav.*—Locum Sophoclis Œdip. Tyr. v. 1251, comparavit jam Achilles Statius.—*Dorville* ad Chariton. p. 238 (ed. Lips.) Catullum ante oculos habuisse putat vetus epigramma, quod legitur in Analectis Vett. Poët. Græcor. *Brunckii* Ἀδεσπ. CCXL. Tom. III. p. 199.

Ἁγνῶς ἐς τέμενος καθαροῦ, ξένε, δαίμονος ἔρχου,
Ψυχὴν νυμφαίου νάματος ἀψάμενος.
Ὡς ἀγαθοῖς κεῖται βαιὴ λιβάς· ἄνδρα δὲ φαῦλον
Οὐδ' ἂν ὁ πᾶς νίψαι νάμασιν Ὠκεανός.

7. *Quo prodeat ultra,* quo progrediatur iste ulterius, quo magis contaminetur.

8. *Demisso,* inclinato.—*voret* cf. Epigr. LXXX. 6.

CARMEN LXXXIX.

DE GELLIO.

Gellius est tenuis: quidni? quoi tam bona mater
Tamque valens vivat, tamque venusta soror,
Tamque bonus patruus, tamque omnia plena puellis
Cognatis: quare is desinat esse macer?
Qui ut nihil attingat, nisi quod fas tangere non est,
Quantumvis quare sit macer, invenies.

5. *Attingit* legi jubet Scaliger; quod exhibent nunc editt. Voss. Cantabr. Gotting. Bipont.

Ne quis miretur, cur Gellius tenuis macerque sit, causam, unde ei contracta sit hæc corporis macies et tenuitas, ex insano ejus cum cognatis suis Veneris usu declarat.

1. *Tenuis.* Statius de amantium macie laudat Lucret. IV. 1160:

Ἰσχνὸν ἐρωμένιον tum fit, quom vivere non quit
Præ macie.

quoi, in cujus gratiam, ad cujus explendam libidinem. cf. supra ad Carm. LXI. 192.—*bona*, obsequiosa, facilis; eodem sensu patruus dicitur *bonus* v. 3.

2. *Valens*, valido robustoque corpore ad palæstram Veneris instructo. *vivat* exquisitius pro *sit*.

4. *Quare is desinat esse macer?* cur non sit macer, qui necessario in ejusmodi cum cognatis suis consuetudine esse et manere debet?

5. *Ut* cum *nihil attingat* cet. nullam aliam nisi cognatam;—observa in hoc versu leporem facete cum sale mixtum.

6. *Quantumvis*, satis superque.

CARMEN XC.

IN GELLIUM.

Nascatur Magus ex Gelli matrisque nefando

Hoc Epigramma conjunctim cum superiore exhibetur in editionibus Parthenii, Gryph. et aliis; sed sponte apparet, separatim illud a poëta in Gellium compositum esse.

Nova ratione et novo sale nefandam Gellii cum matre libidinem perfricat. Magum enim aliquem, si vera sit impia Persarum religio, ex hoc obsceno concubitu nasci oportere probat et pronunciat.

Conjugio, et discat Persicum haruspicium.
Nam Magus ex matre et gnato gignatur oportet,
Si vera est Persarum impia relligio,
Gnatus ut accepto veneretur carmine Divos,
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

4. *Impia rel.*: ex qua nimirum non solum matris cum filio concubitus, et in universum cognatorum commistiones licitæ fuerunt, sed boni magi adeo, h. e. Persarum sacerdotes, ex matre a filio compressa progigni debebant. Veterum de his incestis Persarum moribus testimonia vid. apud Vulpium. Inprimis ex utriusque linguæ scriptoribus, quæ huc spectant studiose collegit laudatus a Mureto *Cælius Rhediginus Antiqu. Lect.* X. cap. 17. Huc pertinet quoque Euripides Andromach. v. 173. sqq.

—Τοιοῦτον πᾶν τὸ βάρβαρον γένος·
Πατήρ τε θυγατρὶ, παῖς τε μητρὶ μίγνυται,
Κόρη τ' ἀδελφῷ——
——καὶ τῶνδ' οὐδὲν ἐξείργει νόμος.

ubi recte Scholiastes ταῦτα περσικὰ ἔθη.

5. *Accepto*, diis grato: sic sæpe *accepta munera*; nimis docte alii, *a majoribus per manus quasi tradito.*

6. *Omentum in flamma pingue liquefaciens*: minutas nimirum mactatæ victimæ partes et in his omentum diis adolebant; vid. *Casaubon.* ad Pers. II. 47. p. 208.—ex ipso autem omenti statu et situ multa conjectare solebant haruspices. vid. *Bochartum* Hieroz. III. p. 503.—Secunda syllaba in *liquefaciens* producitur. vid. Stat.

CARMEN XCI.

IN GELLIUM.

Non ideo, Gelli, sperabam te mihi fidum

Ut crescat et cumuletur, quam versibus suis famæ Gellii inurere studet, ignominia, usque adeo eum scelestum esse ostendit, ut iste nulla facile re, nisi in qua aliquid sceleris sit, oblectari posse videatur. Quod quidem ipse præter omnem opinionem in amore suo expertus fuerat. Nam quamvis probe noverat, eum pro indole sua ad quodvis designandum scelus paratum esse, tamen vel adeo puellam suam ab ejus libidine tutam fore putaverat, quod illa nec mater, nec soror esset, in quarum concubitu unice sibi placere videbatur homo iste nequissimus. Sed fefellerat sua in hac re Catullum opinio; nam secus, ac videbatur, satis causæ fuit Gellio, quæ ei cum Catullo intercedebat, amicitia, ut ejus puellam ad libidinem sollicitaret; adeo in perpetrandis facinoribus superare iste solebat hominum expectationem!—Præclarum est, ut recte judicat Muretus, hoc epigramma, et mirabili quodam artificio a poeta nostro compositum.

In misero hoc nostro, hoc perdito amore fore:
Quod te cognossem bene, constantemve putarem,
Aut posse a turpi mentem inhibere probro:
Sed quod nec matrem, nec germanam esse videbam
Hanc tibi, quojus me magnus edebat amor.
Et quamvis tecum multo conjungerer usu;
Non satis id causæ credideram esse tibi.
Tu satis id duxti: tantum tibi gaudium in omni
Culpa est, in quacunque est aliquid sceleris.

2. *Hoc*, quod cum vi ante *perdito* repetitur, male in nonnullis editionibus omissum, recte reposuit Statius.

3. *Quin te* Muret. *Qui te* Scaliger ex veteri scriptura. *constanterque putarem Haud posse* cet. in plurimis libris tam scriptis quam editis; sed multo aptior et orationi convenientior mihi visa est nostra lectio, quam Statius in nonnullis libris MSS. invenit; et sic hic versus jam in edit. Gryph. (1537.) legitur. Eandem lectionem recepit Vulpius.

5. *Sed neque quod* in editt. Parth. Voss. Græv. et aliis; sed multo concinniorem orationem reddit nostra lectio, a Guarino prolata, et a Statio aliisque probata.

9. *Induxti* pro *induxisti* vitiose in edit. Parthenii et MSS. Stat.

3. *Perdito*, ob perfidiam amicæ.

4. *Aut* scil. quod te putarem.

6. *Quojus me magnus edebat amor*: sic supra Carm. XXXV. 15:

Ignes interiorem edunt medullam.

ubi de hoc loquendi usu exempla collegit Muretus. vid. Stat. h. l.

8. *Non satis id causæ*, non gravem turpemque satis causam.

CARMEN XCII.

DE LESBIA.

Lesbia mi dicit semper male, nec tacet unquam
De me: Lesbia me, dispeream, nisi amat.

2. *Dispeream, me nisi Lesbia amat* in editt. plurimis; sed quem nos secuti sumus verborum ordinem, tam versus ultimus, quam omnes libri MSS. Stat. confirmant; mutatus ille in editionibus vett. verborum ordo haud dubie profectus est ab aliquo, qui vellet numerorum rhythmo consulere.

Mutuas inter se et Lesbiam rixas mutui amoris signum censet certissimum.—Ejusdem argumenti est Epigramma LXXXIII. quod confer.

Quo signo? quasi non totidem mox deprecor illi
Assidue: verum dispeream, nisi amo.

3. *Cui ego, quasi eadem* vitiose in libris MSS. et edit. Parthenii.—*Quo signo? quasi eadem* Gryph. Muret.—*Quo signo? eadem totidem* in aliis teste Mureto.—*Quo signo qua sin totidem* reperit Statius in veteri libro Gellii, apud quem (v. not.) locus noster legitur; unde ille conjiciebat *Quo signo? quasi enim:* sed rectius ex *qua sin*, ratione scripturæ compendii habita, refingas *quasi non*, et sic se reperisse in vetustis libris Gellii ait Scaliger, quem cum Vulpio et aliis recentioribus editoribus secuti sumus. Vossius ex Cod. Mediolanensi profert *Quo signo? quia sunt totidem mea* (scil. maledicta) *Deprecor illam Assidue: verum* cet.—Passeratius *Assidue* refert ad *amo.*—*deprecer* Vulpius, nescio unde, sed fortasse rectius.

3, 4. Sensus est: "Quærat fortasse aliquis, unde hoc colligam? quasi de ejus in me amore dubitari adhuc possit, cum semper, quod ipsa in me conjicere solet convicia, tot statim ego in illam rejiciam, et in hoc ipso rixarum genere ipse vel maxime vim amoris sentiam."—*Deprecari*, paulo insolentiore significatione cum casu tertio jam positum, Aulus Gellius (Noct. Att. VI. 6.) disputans contra aliquem, qui male hoc verbum ceperat, et frigidissimos inde hos Catulli versus judicaverat, explicat *detestari, exsecrari, depellere, abominari.* Quæ quidem Gellii explicatio nullo modo probari potuit Mureto. Sed Scaliger docte ostendit, *deprecari* proprie esse "precari, ne quid nobis accidat, adeoque, quæ quis nobis imprecatus est, in ejusdem caput rejicere et amoliri." Nec ego de Scaligeri interpretatione dubito; alias *deprecor* facile mutari posset in *imprecor*.

CARMEN XCIII.

IN CÆSAREM.

Nil nimium studeo, Cæsar, tibi velle placere,
Nec scire, utrum sis albus, an ater homo.

2. In editione Parthenii corruptissime hic versus legitur ita, *Nec si orem, utrum sis salvus an alter homo.* Vossius in libris antiquis deprehenderat *Nec si ore:* unde legendum fortasse alicui videri posse existimat *Nescio ore utrum sis albus an ater homo.* sed nemo facile ad has metri rationes poëtam in ordinem redigere tentabit. Ipse Vossius legit *Nescio utrum sis albus.*—*Ne si orem* ed. Rheg.—*Nec curo utrum* in margine L. Heins. apud editorem Cantabrig. et sic placet *Bondano* Var. Lect. p. 126. *Nec scio te,* e libro membran. Commelini probat Meleager.—Conjungitur hoc distichon cum sequenti in editt. Parthen. Gryph. probante Scaligero. Sed non video, quomodo inter se conciliari queat insignis sententiarum dissimilitudo.

Quam parum Noster Cæsarem curet, haud dissimulanter hoc disticho indicat.—Carpit quidem hoc nomine Catullum Quinctilianus Institut. Orat. XI. 1. ubi scribit: " *Negat se magni facere aliquis poëtarum, utrum Cæsar ater an albus homo sit: verte, ut idem Cæsar de illo dixerit, arrogantia est;*" sed ipse bonus Quinctilianus nimium placere studebat Domitiano, ejusque auram hac ipsa fortasse poëtæ nostri cavillatione captabat.

1. Pro *Nil* equidem ob vs. sequ. malim *Nec.*—*velle* abundat, ut sæpe: cf. *Heyne* ad Tibull. I. 2. 92.

2. *Utrum sis albus an ater homo:* proverbialis locutio in contemtum eorum, quos nec novimus, nec eos nosse curamus. vid. Vulp. adde Cicer. Philipp. II. 16. et ibi *Interpretes.*

CARMEN XCIV.

IN MENTULAM.

Mentula mœchatur: mœchatur mentula certe.

1, 2. *Mentula mœchatur.* per *Mentulam* designari putant Mamurram, quod maxime probabile fit ex Epigr. CXIV. ubi v. 1.

Formianus saltus non falso, Mentula, dives
Fertur—

natus est nimirum Mamurra Formiis; hinc *Formiana macula* supra Carm. LVII. 4. *Formianus decoctor* XLI. 4. Indidit autem poëta Mamurræ, ad insignem ejus libidinem insigniendam, nomen *Mentulæ,* in cujus significatione petulanter ludit.—*Ipsa olera olla legit:* h. e. sponte quærit mentula, quod ejus naturæ conveniens est. Dicta videtur hæc proverbialis locutio de rebus, quæ natura sua sibi conveniunt; ducta autem illa videtur Achilli Statio a fure quodam hortensi, qui manifesto in furto deprehensus culpam a se in ollam, qua olera exceperat, transtulerit.

Hoc est, quod dicunt: Ipsa olera olla legit.

2. *Ipsa olere olla facit* dedit ex aliis, ut ait, exemplaribus Vossius; sed cum nemo alius hanc lectionem commemoraverit, finxisse eam virum doctum doctrinæ ostentandæ causa, facile tibi persuadeas; nam translatum ille putat ab ollis Græcorum, quæ in Anthesteriis circumducebantur, in quas comportabantur omnis generis olera, quæ tamen nemo degustaret; ut breviter dicam, Vossius Catullum existimat Mamurram sub obscena imagine comparasse ollæ, quæ solo sacra faciat olere!!!

CARMEN XCV.

DE SMYRNA CINNÆ POETÆ.

SMYRNA mei Cinnæ nonam post denique messem,
Quam cœpta est, nonamque edita post hiemem:

1. *Zmyrna* rectius ex mente Vossii, ad librorum vetustatem, nummos et inscriptiones provocantis, scribitur; Græci tamen scribunt Σμύρνα. vide de scriptura hujus vocis *Verheyk* ad Ant. Lib. p. 299.

Smyrnam, h. e. poema *Smyrna* inscriptum, in quo perpoliendo atque exasciando Cinna, Catulli amicus, totos novem annos consumserat, etiam atque etiam commendat, illudque ut carmen ætatem laturum lateque per ora virûm volitaturum prolixis et nullo negotio conscriptis Hortensii, Volusii et Antimachi carminibus longe anteponit.

1. *Smyrna mei Cinnæ.* Honorificam ejusdem C. Helvii Cinnæ mentionem facit Virgil Eclog. IX. 35. ubi Servius: *Etiam Cinna poëta optimus fuit, qui scripsit Smyrnam, quem libellum decem elimavit annis.* conf. Ovid. Trist. II. 435. Quinctil. Instit. Orat. X. 4. obscurum tamen illud poema *Smyrnam* fuisse, credere nos jubet Martialis X. 21. hinc Lucius Crassitius Grammaticus, commentario luculento in Smyrnam edito, adeo inclaruit, ut Epigramma de eo scriberetur, quod exstat apud Suetonium in libro de Illustr. Grammat. XVIII.—Quod ad argumentum hujus Cinnæ poematis attinet, Parthenius quidem illud in rebus præclare gestis Amazonis cujusdam versatum esse existimat, sed probabilior sententia videtur eorum, qui fabulam incesti amoris *Myrrhæ* (quæ aliis *Smyrna* dicitur) erga parentem suum Cinyram hoc carmine Cinnam complexum esse arbitrantur. vid. inprimis *Burmannus* ad Ovid. Met. X. 298. *Muncker* ad Hygin. Fab. LVIII. et *Gifanii* Collect. in Lucret. sub v. *Smyrna.*

2. *Nonamque edita post hiemem.* Sic Panegyricus Isocratis decem annis elaboratus dicitur Quinctil. Institut. Orat. X. 4.—Respexit huc fortasse Horatius Arte poët. 388:

—— *Nonumque prematur in annum*
Membranis intus positis.——

Millia cum interea quingenta Hortensius uno
* * *
Smyrna cavas Atacis penitus mittetur ad undas,
Smyrnam incana diu secula pervolüent.
At Volusi annales * * *
Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.
Parva mei mihi sunt cordi monumenta ***

* * * Hic deest versus minor in omnibus librr. MSS. quem Parthenius pro ea, qua ducebatur adversus Catullum, popularem suum, caritate, ita supplere studuit: *In pede stans fixo carmina ructat hians.* Idem pro *Millia* in versu majori reposuit *Vilia.* Sed Muretus et alii recte deprecati sunt hæc Parthenii officia.

5. *Smyrna cavas Atracis* vulgo recepta lectio; sed, ut observat Heinsius in not. ad Catull. nec fluvius est *Atrax,* nec prima syllaba in *Atracis* corripitur; optime igitur jam Livineius defendebat *Atacis.*—*Smyrna albas Atacis* in vet. Cod. Heins. apud editorem Cantabr.—*Zmyrna cavas barathri* in libris vett. Vossii, unde ille reponit: * * * *cavas barathri;* nam, ut addit, non tantum quartus hujus Epigrammatis versiculus deest, sed etiam initium quinti, quem, ut ei succurrerent librarii aut intempestivi correctores, e sequenti versu supplere conati sunt.

6. *Smyrna incana diu secula pervoluit* in plerisque MSS. Stat.: unde ille primum tentat *pervolüet:* deinde vero in nostra lectione, quam ipsam in nonnullis libris invenerat, acquiescit; pro *incana* offerunt tamen ejusdem libri *cana,* quod Statio ob imitationem Martialis (Lib. IX. Epigr. 80. 2.) *Nec pateris, Cæsar, secula cana mori* præferendum videtur; sed licet Martialis Nostrum imitatus videatur, eum tamen in loco nostro *cana* pro *incana* legisse inde non sequitur. * * * Hujus quoque versus reliqua pars desideratur, ut Muretus et Statius testantur, in libris veteribus, nisi quod in MSS. Statii *Paduam* legitur, quæ vox aperte manum recentiorem prodit. *Patavi morientur ad urbem* edit. Parthenii et aliæ editiones veteres, quod placere sibi ait Muretus, modo veteris cujusdam libri testimonio niteretur. Scaliger in libro suo inveniebat *Paduam portentur;* unde ille exsculpebat, *apuam porgentur ad ipsam:* ut *apua* sit pisciculus, quem maria conditum chartis ineptis amicire solebant.—*Capuam morientur ad ipsam* conjiciebat Passeratius.—*Aduam morientur ad ipsum* proponit Vossius, quod probat et docte defendit *Nic. Heinsius* in notis ad Catull.: *Adua* enim, ut ibi observat, est fluvius Galliæ Cisalpinæ, qui ex Alpibus in Lacum Larium se exonerat, ubi Volusius aut natus, aut certe fundum ac secessum habuisse videtur, ita, ut extremus Galliæ fluvius cum extremo fluvio Italiæ componatur.—*Gadium portentur ad ipsam* mirifice commendat Corradinus de Allio. * * * Ultima hujus versus vox deest in MSS. testibus Mureto, Statio et Vossio, quam vario modo supplere studuerunt; alii legunt *laboris,* alii *sodalis,* alii *poëtæ,* alii *tribuni.* Equidem si veteris cujusdam libri accederet auctoritas, eligerem cum Mureto *sodalis.*

3. *Hortensius.* Eodem nomine Lucilium sale satyrico perfricat Horatius Sat. I. 4. 9. seqq.—Loca, ubi Q. Hortensii, nobilissimi illius oratoris, carminum mentio fit, notavit Vulpius.

5. *Cavas:* cf. supra ad Carmen XVII. 4. *Atacis* fluvius Galliæ Narbonensis.

6. *Incana,* sera, remotissima.

7. *Volusi annales:* cf. supra ad Carm. XXXVI. 1.

8. *Et laxas--tunicas,* inserviant, pro solito chartarum ineptarum usu, amiciendis et involvendis scombris.—*laxas* innuit laxa et ampla carminum ineptorum volumina.—*scomber* piscis marinus. Expressit Nostrum Martialis IV. 87. 8.:

Nec scombris tunicas dabis molestas.

At populus tumido gaudeat Antimacho.

10. *Tumido gaudeat Antimacho.* Scripsit Antimachus, poëta græcus, *Colophonius* (Ciceroni Brut. 51. et Ovid. Trist. I. 6. 1.) *Clarius*, magno volumine Thebaida, quod quidem poema tanto applausu a nonnullis exceptum fuit, ut secundas ei ab Homero partes deferre non dubitarent. vid. *Brouckhus.* ad Propert. I. 7. 3. alii tamen, qui rectius et acutius in his rebus vident, riserunt eum ut poëtam inflatum et tumidum, qui, ut cum Horatio loquar, projicit ampullas et sesquipedalia verba. vid. Voss.

CARMEN XCVI.

AD CALVUM DE QUINTILIA.

Si quidquam mutis gratum acceptumque sepulcris
Accidere a nostro, Calve, dolore potest,
Quo desiderio veteres renovamus amores,
Atque olim amissas flemus amicitias:
Certe non tanto mors immatura dolori est
Quintiliæ, quantum gaudet amore tuo.

3. *Quom* vel *Cum desiderio* Gryph. Muret. Græv. et all. sed teste Scaligero veteres libri tam scripti quam editi servant *Quo.*

4. *Atque olim missas* male, puto, in edit. Parthenii, Gryph. Muret. et aliis; *missæ* enim amicitiæ sunt, quas diutius alere nolumus. Secutus igitur sum Vossium, qui e veteribus libris reposuit *amissas*, et sic est in aliquot MSS. Stat.

Tantum esse sit Calvi ob mortem Quintiliæ suæ dolorem atque desiderium, ut illa, si dolor viventium ad sensus mortuorum permanare queat, de hoc luculento, quod Calvus ediderit, amoris testimonio gavisura potius, quam de præmatura sua morte dolitura sit.—De Calvo, oratore et poëta nobilissimo, qui, ut ex Propertio II. 34. 89. apparet, hujus ipsius Quintiliæ mortem carmine deflevit, cf. supra ad Carm. XIII.

1. 2. *Si quidquam* cet. Dubitatio, an sentiant, quæ a vivis fiunt, mortui, sæpius apud veteres est obvia. vid. Stat. et Vulpium. *accidere mutis sepulcris*, h. e. pervenire ad muta sepulcra. Eleganter Nostrum imitatus est *Lotichius* lib. III. Eleg. 5. 15:

Acceptum quodcunque potest, gratumque sepultis
Accidere, exsequiis contigit omne tuis.

3. *Quo* scil. dolore.—*desiderio* propter eorum desiderium.

4. *Olim amissas*, morte olim perditas. At Livineius ingeniose *olim* trahit ad amicitias, et eodem modo dictum putat, ut a Virgilio *ante malorum*; a Terentio *semper lenitas*; a Propertio *semper amicitia*; a Valerio Flacco *olim anni*, et a Græcis *αἱ πάλαι φιλίαι.*

CARMEN XCVII.

IN ÆMILIUM.

Non, ita me Dii ament, quidquam referre putavi,
  Utrumne os an culum olfacerem Æmilio.
Nil immundius hoc, nihiloque immundius illud.
  Verum etiam culus mundior et melior:
Nam sine dentibus est. Hoc dentes sesquipedales,
  Gingivas vero ploxemi habet veteris:
Præterea rictum, qualem diffissus in æstu

2. *Utrum os* MSS. Statii; hiatus certe, qui hac lectione oritur, offendere adeo lectores in epigrammate Catulliano non debet. Sed teste Mureto *Utrumne* vera est veterum librorum scriptura.

3. In MSS. Statii duplici modo hic versus scribitur; primum, *Nihilo mundius hoc nobisque immundius illud*; deinde, *Mundius hæc nihil est, nobisque immundius illud*. posterius probat Statius, modo *hæc* in *hoc* mutetur; et sic est in editione Rheg. et Parthenii.—*Nihil mundius hoc, nobisque immundius illud* Cod. Palatinus papyrac.—*illoc* pro *illud* Commelinian. membran.—*Nil immundius hoc, nihil est immundius illo* Gryph. Muret. Henricpetr. Græv. Vulp.—Nostram lectionem ex libris scriptis commendat Scaliger, quem secuti sunt Vossius, editor Cantabr. Corradinus de Allio, editt. Gotting. et Bipont. Totum distichon denique Vulpius ita constituit: *Nil immundius hoc, nihil ore immundius: illo Verum etiam culus mundior et melior*. Quam bene, viderint doctiores.

5. *Hic* in MSS. Statii.

6. *Ploxeni* vel *ploxini* rectius scribi ostendit Vossius.

7. *Qualem defessus in æstum*, hæc est lectio omnium librorum MSS. et editt. vett. quam equidem nunquam concoquere potui; *cunnus* enim desiderat adjectum, quod non mulæ sed cunni formæ convenit; hinc olim jam suspicatus sum, pro *defessus* legendum esse *diffissus*, et nunc video, idem jam Statio et Vossio in mentem venisse. *Cunnus diffissus* est *diductus*, qui graphice late diductum Æmilii rictum depingit. Non dubitavi igitur conjecturam in textum recipere, quæ loci *Æmilio* doctius pro *Æmilii*.

Os impurum et deforme Æmilii cujusdam, qui stulta, quam de corporis sui venustate fovebat, opinione ductus multas puellas sectari solebat, petulanter describit et exagitat.

1. *Quidquam referre*, aliquid discriminis interesse.

2. *Utrumne os an culum*. Scaliger jam comparavit Epigramma Nicarchi XXIV. in Analectis Vett. Poëtt. Gr. Brunckii Tom. II. p. 355.

Τὸ στόμα χὼ πρωκτὸς ταὐτὸν, Θεόδωρε, σου ὄζει,
Ὥστε διαγνῶναι τοῖς φυσικοῖς καλὸν ἦν.

6. *Gingivas vero ploxemi* cet. gingivas veteri ploximo similes, h. e. cariosas, exesas.—*ploxemus* est, Festo interprete, capsa vel capsus (h. e. pars rhedæ, ubi, qui vectantur, sedent), in cisio. Secundum Quinctilianum (Institut. Orat. I. 5.) invenit hanc vocem Catullus circa Padum. cf. *Salmas.* ad Capitolin. Anton. Pium c. 12. At Vossius Celticam omnino vocem esse contendit, et de *aratro* explicat.

7. 8. Vide *Var. Lect.*

Meientis mulæ cunnus habere solet.
Hic futuit multas, et se facit esse venustum;
Et non pistrino traditur atque asino?
Quem si qua attingit, non illam posse putemus
Ægroti culum lingere carnificis?

sensui videbatur accommodatissima. Pro *in æstum*, quod per ἀρχαϊσμὸν pro *in æstu* explicant, dedi ad exemplum editt. Gryph. Muret. Henriopetr. Græv. *in æstu*; sensus igitur est: Æmilius præterea habet rictum, qualem rictus formam diductus cunnus mulæ, in æstu solis, ubi illa sudat et interquiescit, meientis habere solet.

12. Pro *ægroti* nomen proprium *Agroti* aut *Argoti* fuisse conjectat Statius.

9. *Facit*, fingit. cf. supra ad Carm. X. 17.

10. *Asino*, versando molæ lapidi superiori, qui Græcis vocatur ὄνος, ὄνος μυλικός. vid. Vossius.

12. *Ægroti*, pallidi, luridi.

CARMEN XCVIII.

AD VETTIUM.

In te, si in quemquam, dici pote, putide Vetti,
Id quod verbosis dicitur et fatuis:
Ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis
Culos et crepidas lingere carbatinas.

1. *Vecti* in MSS. Stat.—et sic exhibent hoc nomen editt. Gryph. Muret. Henricpetr. Græv. Bipont.—*Victi* edit. Parthen.—Sed Statius ex antiquo marmore in hortis Rodulfi, Pii Cardinalis Carpensis, scribendum omnino esse ostendit *Vetti*. Nec dubitamus, si *Vettius* ille intelligendus sit, de quo dicimus in Argumento. Statium jam secuti sunt Vossius, editor Cantabrig. Vulp. Gotting.

4. Pro *carbatinas* in editt. Parthen. *carpotinas*.—Gryph. *carpatinas*.—Muretus totum versum ad fidem, ut ait, veterum exemplarium ita scribi jubet: *Culos et crepidas lingere cercolipas*. per *cercolipas* intelligit obscenas partes viriles, Vettii, hominis insulsi, vaniloquentiam notat.—*Lipsius* in Var. Lect. III. c. 5. proscindi in hoc epigrammate putat illum Vettium, qui a Cæsare, ut diceret se interficere principes voluisse, invidiæ inimicis Cæsarianis faciendæ causa, index in senatum inductus, deinde mendacii convictus et ipse denique de vi reus factus dicitur. Rem narrat Cicero in Ep. ad Att. II. 24. cf. Orat. Pro Sextio c. 63.—*Lipsio* adstipulatur *Torrentius* ad Sueton. Cæs. c. 17.

1. 2. *In te, si in quemquam* cet. In neminem magis, quam in te, putide Vetti, cadit illud, quod occentari solet hominibus loquacibus et fatuis.—*putidus*, loquacitate molestus. vid. supra ad Carm. XLII. 11.

3. *Ista*, tua tam immodica.

4. *Crepidas carbatinas*, genus rustici calceamenti, e crudo ac recenti corio

Si nos omnino vis omnes perdere, Vetti,
Dicas: omnino, quod cupis, efficies.

ficto ex cauda et pinguitudine vocabulo; *trepidas* explicat versu illo Persii VI. 72. *Cum morosa vago singultiet inguine vena.*—Sed nostræ lectionis integritatem defendit Politianus Miscell. c. 2.

6. Pro *Dicas* Vossius ex libris suis refinxit *Hiscas.*—in editione Parthenii exhibetur *Discas.*

confecti, vocati sic a Caribus populis. vide, quem laudat Vossius, Pollucem Onomast. VII. c. 22. §. 88. cf. *Mollium* et *Jungermannum* ad Longi Pastoral. p. 142. edit. Boden.

6. *Dicas*, loquere, linguam tuam exerce.

CARMEN XCIX.

AD JUVENTIUM.

Surripui tibi, dum ludis, mellite Juventi,
Suaviolum dulci dulcius ambrosia.
Verum id non impune tuli; namque amplius horam
Suffixum in summa me memini esse cruce:
Dum tibi me purgo, nec possum fletibus ullis
Tantillum vostræ demere sævitiæ.
Nam simul id factum est, multis diluta labella
Guttis abstersisti omnibus articulis:

8. *Abstersi* in libris vett. apud Statium, unde ille reposuit *abstersisti*, et sic est

Suaviter exponit dolorem, qui raptum ab ore Juventii, a quo spernebatur, suaviolum secutus sit.—*Ita venustum*, inquit Muretus, *hoc epigramma est, ut, ipsa si velit Venus, venustius eo efficere quicquam non queat.*

1. *Ludis*, in campo Martio puta, ubi armis exercebantur adolescentes Romani. *ludere* de hac juvenili armorum exercitatione passim. Sic Cicero de Oratore II. 20. *Sed videant, quid velint; ad ludendumne, an ad pugnandum arma sint sumturi. Aliud enim pugna et acies, aliud ludus campusque noster desiderat.* cf. *Barth.* ad Rutil. I. 257.

2. *Suaviolum d. dulcius ambrosia.* Nota est dulcissima dulcium osculorum descriptio Horatiana Od. I. 13. 15. *Quæ Venus quinta parte sui nectaris imbuit.*

4. *Suffixum in summa cruce.* Tanto adfectum dolore, quanto affici solent suspensi in cruce.—*summa* est epitheton ornans.

6. *Vestræ*, "vobis omnibus, qui formosi estis, innatæ," ut interpretatur Muretus; nisi *vestræ* simpliciter pro *tuæ* accipiendum sit.

8. *Omnibus articulis* digitorum. Muretus comparat Theocrit. Idyll. XXVII. 5.

Ne quidquam nostro contractum ex ore maneret,
Tanquam comminctæ spurca saliva lupæ.
Præterea infesto miserum me tradere amori
Non cessasti, omnique excruciare modo:
Ut mi ex ambrosio mutatum jam foret illud
Suaviolum tristi tristius helleboro.
Quam quoniam pœnam misero proponis amori,
Non unquam posthac basia surripiam.

jam in editione prima Mureti: at Vossius dedit *absterti*, ut hiatus post hanc vocem relinquatur; cujus vitandi causa aliæ editiones, ut Ald. Gryph. Henricpetr.—*Abstersti guttis*, præeunte jam edit. Parthenii, nisi quod ibi est *Absterxi*.

10. *Commistæ* vel *commixtæ* in editt. Parthen. Gryph. Muret.—*conjunctæ* in libris quibusdam apud Statium. Totus versus in Cod. Mediolanensi, ut testatur Vossius, legitur sic: *Tanquam committe spurca saliva guttæ*. Unde Vossius, *Tanquam commictæ spurca saliva gulæ*; lectionem nostram *comminctæ*, quam ipsam nonnulli libri Statii offerunt, defendit Scaliger.

13. *Ambrosia* editt. Parthenii, Gryph. Henricpetr. Cantabrig. Græv. Bipont.: sed multo convenientius *ambrosio*, quod est in MSS. Statii, editione Mureti et libris Vossii.

16. *Nunquam jam posthac* editt. Parthen. Gryph. Muret. Græv.

Τὸ *στόμα μου πλύνω, καὶ ἀποπτύω τὸ φίλαμα.*

10. *Tanquam comminctæ spurca saliva lupæ*, tanquam esset saliva mea æque spurca, ac est meretricis recentis a coitu.—*lupa*, meretrix; unde *lupanar*.

13. *Ambrosio* scil. suaviolo.

14. *Tristius helleboro*, ex proverbio πικρότερον ἐλλεβόρου.

CARMEN C.

DE CŒLIO ET QUINTIO.

Cœlius Aufilenum, et Quintius Aufilenam,
Flos Veronensium depereunt juvenum;

1. *Cœlius* et *Cælius* promiscue in vetustis monumentis teste Statio, et sic promiscue quoque exhibetur hoc nomen in editionibus.—pro *Cœlius* in libris Voss. *Gellius*.—pro *Aufilena* legendum fortasse putat Statius *Aufidena*, reclamante Vossio, qui *Aufilenorum* familiam satis notam olim Veronæ fuisse ex duabus inscriptionibus istic repertis probat.

Amores Cœlii et Quintii, quorum alter filium, alter filiam ejusdem familiæ Aufilenorum perdite amabat, commemorat, et Cœlio inprimis, ob spectatam sibi ejus amicitiam, amoris felicitatem apprecatur.—De Cœlio vide supra ad Carmen LVIII. 1.

2. *Flos*: cf. supra ad Carm. LXIII. 64. *Veronensium*, vox tetrasyllaba. vid. *Voss.* de Analog. II. c. 14.

Hic fratrem, ille sororem. Hoc est, quod dicitur, illud
Fraternum vere dulce sodalitium.
Quoi faveam potius? Cœli, tibi: nam tua nobis
Perspecta exigit hoc unica amicitia,
Cum vesana meas torreret flamma medullas:
Sis felix, Cœli, sis in amore potens.

5. 6. *Nam tua nobis Perspecta exigitur* lectio vulgata; parum, opinor, latine. *Perfecta est igitur* vel *Perfecta atque exigitur* in MSS. Stat. *Jam tua nobis Perfecta est igitur* in libris Vossii, qui *jam igitur* pro *jam tum* explicat. Equidem jam olim pro *exigitur* legendum esse suspicabar *exigit hoc*, quam quidem lectionem, cum sponte illa se commendet facilitate sua, et, ut nunc video, a Mureto jam exhibita sit, non dubitavi in textum recipere.

4. *Fraternum vere dulce sodalitium:* ubi nimirum, dum alter fratrem, alter sororem amat, nullum plane locum habet obtrectatio.

7. *Cum vesana meas torreret* cet. Ipse igitur Catulli quoque amori antea favisse videtur.

8. *Potens*, fortunatus, votorum compos. Sic supra (Carm. VIII. 9.) *impotens* de eo, qui a puella rejicitur.

CARMEN CI.

INFERIÆ AD FRATRIS TUMULUM.

Multas per gentes, et multa per æquora vectus
Adveni has miseras, frater, ad inferias,
Ut te postremo donarem munere mortis,
Et mutum nequidquam alloquerer cinerem:

2. *Advenio* in libris MSS. et editionibus vett.: sed Statius, quem cum Vulpio secuti sumus, correxit *adveni*, quia ad normam loquendi vix recte dicitur *Advenio, ut te donarem*; nisi quis dicat, quod *Cortius* ad Sallust. Cat. c. 44. et *Ruhnkenius* ad Vellei. Paterc. I. 9. 1. p. 32. monent, non esse omnia, præcipue apud poëtas, ad leges grammaticas revocanda.
4. *Mutam* in Achillis Maffei libro alteroque Patavino exemplari et libris scriptis Vossii: et sic supra Carm. LXVIII. 90. *acerba cinis*.

Justa solvit fratris ad Rhœteum sepulti manibus. cf. supra ad Carmen LXV et LXVIII.

3. *Munera mortis*. munus mortis est, quod mortuis offertur, γέρας θανόντων Hom. Iliad. XVI. 675.

4. *Mutum cinerem*. Antipater Sidon. in Analectis Vett. Poett. Græc. Brunckii Epigr. XC. 8. Tom. II. p. 37:

——————ἀντὶ δὲ σεῖο
Στάλα, καὶ κωφὰ κλαίοντι ἄμμι κόνις.

Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum:
  Heu miser indigne frater ademte mihi.
Nunc tamen interea prisco quæ more parentum
  Tradita sunt tristes munera ad inferias,
Accipe, fraterno multum manantia fletu:
  Atque in perpetuum, frater, have atque vale.

5. *Te abstulit* hiante syllaba in omnibus MSS. apud Statium et libris vett. Vossii.

6. *Heu misero*, ad versum supra in Elegia ad Manl. v. 92. *Heu misero frater ademte mihi* maluerunt Vossius et alii: sed *miser* constanter tuentur libri veteres. *Hæc tu interea* in Cod. Mediolanensi. *Hæc tamen* tres editt. antiquiss. apud editorem Cantabrig.

10. *Ave* sine adspiratione in editionibus plurimis; sed antiqui libri et lapides sistunt hanc vocem in hac formula adspirantem.

7, 8. Varia, quæ per inferias inferri solebant manibus, munera recenset *Kirchmannus* de Funeribus Romanor. IV. c. 2. præcipua erant lac, vinum, mel, aqua, sanguis, flores.

10. *Have atque vale.* sic ter corpus compositum affari solebant discedentes. Virg. Æn. XI. 97:

—Salve æternum mihi, maxime Palla,
Æternumque vale.—

ubi vid. *Cerda.* cf. Æn. III. 67. VI. 505. Hom. Odyss. IX. 65. adde *Kirchm.* de Funer. Rom. III. c. 9.

CARMEN CII.

AD CORNELIUM.

Si quidquam tacito commissum est fido ab amico,
  Quojus sit penitus nota fides animi;
Me unum esse invenies illorum jure sacratum,

1. *Tacite* in omnibus MSS. apud Statium, qui malebat *Si quidquam tacitum*, nempe ἀπόῤῥητον, arcanum, tacendum; vel, *Si quidquam taciti*: quod vult quoque Heinsius in notis ad Catull.: sed recte jam in editione Parthenii est *tacito*.

3. *Meque esse invenies* in MSS. Statii, membran. Scaligeri, edit. Parthen. et tribus antiquissimis editt. apud editorem Cantabrig.—*Atque esse juvenes* in aliis MSS. apud Statium; unde ille reponere tentabat vel *Me, quem ipse adjures*: vel *Aut, quem ipse adjures*: vel, *Me, quem ipse invenias.* Vossius corrigit *Me æque invenies*, parum, puto, ad orationem poëticam! secutus tamen eum est Vulpius. Equidem mallem *Me quoque*, ut hiatus relinquatur, vel *Me certe*. *Illo tibi jure sacratum* MSS. Italici apud Nic. Heins.: manet tamen, quamcunque lectionem sequaris, dura et inconcinna in hoc disticho oratio; sequi enim debebat *et putabis*;

Fidem de taciturnitate sua Cornelio cuidam facere studet.

1. *Tacito*, qui secretum reticere potest.

3. *Illorum jure sacratum*, eorum sacris initiatum.

Corneli, et factum me esse puta Harpocratem.

interim dedimus lectionem, quam editt. Muret. Gryph. Henricpetr. et aliæ exhibent.

4. *Esse* abest in quibusdam libris vetustis apud Vossium, cui nec hiatus nec correpta ultima in *puta* displicet.

4. *Harpocratem*, cf. supra ad Carm. LXXIV. 4.

CARMEN CIII.

AD SILONEM.

Aut, sodes, mihi redde decem sestertia, Silo,
  Deinde esto quamvis sævus et indomitus:
Aut, si te nummi delectant, desine, quæso,
  Leno esse, atque idem sævus et indomitus.

1. *Pro decem* in uno MS. Statii *tuo*, unde Faërnus faciebat *duo*.—in nonnullis Codd. Vossii *Syllo* vel *Sillo*.
3. *At, si te nummi* in Cod. Patavino. *Aut si te nimium* in nonnullis librr. MSS. apud Statium.

Silonem quendam, qui puellæ cujusdem copiam Catullo se facturum esse promisisse, nec his promissis stetisse videtur, vel reddere accepta a se decem sestertia, vel ferocientem in hac ipsa perfidia animum, si leno esse velit, deponere jubet.

2. *Quamvis* h. e. *quantumvis*. exempla collegit *Dukerus* ad Liv. I. 51. Tom. II. p. 474. edit. Drackenb.

CARMEN CIV.

AD QUENDAM DE LESBIA.

Credis, me potuisse meæ maledicere vitæ,
  Ambobus mihi quæ carior est oculis?
Nec potui; nec, si possem, tam perdite amarem:

Notat levitatem mendacis cujusdam, qui falsos de rixa, quæ sit Catullo cum ejus amica, rumores sparsisse videtur.

3. *Nec potui* scil. hoc a me impetrare.

Sed tu cum Tappone omnia monstra facis.

4. *Sed tu cum caupone* editt. Parthen. Gryph. Murét. Henriopetr. Græv. hoc sensu, ut, quisquis ille fuerit, sæpius in caupona versatus, cum ipso caupone perpotasse, et monstrosa cum illo mendacia finxisse et sparsisse videatur. Sed nostra lectio *cum Tappone* est in omnibus MSS. Statii et in libro Maffei, et eandem ut veterem defendit Scaliger; mentionem *Valerii Tapponis* facit Livius XXXVII. 46. §. 11. ubi vid. *Drackenborch.*—*cum Tapone* in Zanchi exemplo; *in tripone* in Cod. Patavino, unde Statius legendum putabat *Sed tu cum turpi ore*. Vossius in nonnullis libris sic scriptum invenit *Sed tu cuncta pone*: in aliis, *Sed tuta pone*: unde scriptum olim fuisse conjectat *Sed tua, Coponi, omina* (vel *crimina*) *nostra facis*. Vossii vestigia more suo legit Vulpius.

4. *Cum Tappone* (vid. *Var. Lect.*) *omnia monstra facis*, quælibet prodigiosa fingis, πάντα τερατολογεῖς, ut Scaliger explicat.

CARMEN CV.

IN MENTULAM.

MENTULA conatur Pimplæum scandere montem:
Musæ furcillis præcipitem ejiciunt.

1. *Scindere montem* solus Vossius in libris suis invenit, qui nescio in qua obscena significatione hoc verbum accipiendum esse docet.

Narrat de infelici Mentulæ (de quo cf. supra ad Carmen XCIV.) ad poëticæ facultatis laudem contendendi conatu.

2. *Furcillis ejiciunt.* De hac proverbiali locutione vid. *Lambin.* ad Ciceronem in Ep. ad Att. XVI. 2. ubi est *furcilla extrudi.*

CARMEN CVI.

DE PUERO ET PRÆCONE.

CUM puero bello præconem qui videt esse,

1. Pro *bello* in omnibus MSS. apud Statium *Obelio*, forte ut nomen pueri sit.

Formosum quendam puerum a consuetudine cum præcone quodam revocaturus, quemlibet, qui eum cum præcone versari videat, ipsum per præconem vendi velle, existimaturum esse sit.—Præcones apud Romanos in auctionibus munere, quo apud nos proclamatores, functos esse, satis notum est.—*discupere* sc. puerum.

Quid credat, nisi se vendere discupere?

2. *Qui videt ipse* in libro Maffei, pugnante pro hac lectione Vossio. Ingeniose Vulpius τὸ *ipse* mutat in *ipsum*, et refert ad *discupere*; qua mutatione omnis, quam sibi pepererunt interpretes, sublata est difficultas. Offerunt tamen omnes veteres libri tam scripti quam excusi *esse*.

CARMEN CVII.

AD LESBIAM.

Si quidquam cupido optantique obtigit unquam, et
Insperanti, hoc est gratum animo proprie:
Quare hoc est gratum, nobis quoque carius auro,
Quod te restituis, Lesbia, mi cupido.
Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te

1. *Si quidquid* in MSS. Statii.—*Si quicquam cupido optantique* tres editt. antiquiss. apud editorem Cantabrig. editio Parthenii, et aliæ.—pro *cupido* Vossius vult *cupide*, male! nam versus quartus nostræ lectionis veritatem vindicat.—pro *obtigit* in Patavino *obtulit*, et in libris melioris notæ apud Vossium *contigit*.—post *unquam* deest *et* in plurimis editionibus. Nos dedimus cum Vulpio lectionem, quæ est in editione Gryph.

2. *Insperati* emendat *Nic. Heinsius* in notis ad Catull. et sane, nisi *et* post *unquam* ponitur, necessaria est hæc emendatio.

3. Durius, inquit Statius, τὸ *nobis quoque* quam Catullianæ elegantiæ convenit; proinde legendum forte putat *nobisque hoc carius auro*.—vide not.

Lætitiam, quam de reconciliato sibi Lesbiæ animo percipit, eo majorem esse ait, quo minus eam se percepturum esse speraverat.

1. *Proprie*, ἰδίως, vere, vel maxime.

2. Vel aliqua inter hoc distichon et id, quod præcessit, desiderari, vel esse ἀνακόλουθον, perperam statuit Vulpius; est enim orationis nexus fere hic: "Si cui, quod maxime optaverat, præter omnem spem et opinionem obtigit, id sane ejus animo longe est gratissimum; quare mihi quoque id nunc longe est gratissimum, quod Lesbia mea, quam tanto ardore desideraveram, præter omnem spem et opinionem sponte mecum rediit in gratiam."—Sed id in hoc versu me male habet, quod nulla copula adest, qua *gratum* et *carius auro* inter se nectuntur: puto igitur legendum hunc versum esse vel,

Quare hoc est gratum nobis, quin carius auro:

vel,

Quare hoc est gratum nobis quoque, carior auro,

ut *carior* referatur ad *Lesbia* in versu minori. Sic Tibullus I. 8. 31:

Carior est auro juvenis, cui levia fulgent
Ora, nec amplexus aspera barba terit.

5. *Ipsa*, sponte. cf. supra ad Carm. LXIII. 56. *refers te*, offers te reconciliatam, redis. Propert. I. 18. 11:

Sic mihi te referas levis cet.

Nobis. O lucem candidiore nota!
Quis me uno vivit felicior, aut magis hac quid
Optandum vita, dicere quis poterit?

6. O *mihi cara magis candidiore nota* in edit. Parthen. et aliis quibusdam vett. —sed in MSS. Statii est *Nobis o luce* et *lucem.* ejusdem lectionis vetustatem dicat Scaliger.

7, 8. Tam varie hoc distichon legitur, ut veram a ficta lectione vix internoscas. Parthenius exhibet *Quis me uno vivit felicior, aut magis est me Optandus vita, dicere quis poterit?* nec repudiata est hæc lectio a Græv. Vossio, Vulpio et aliis. Sed indigna plane Catullo videtur mihi hæc latinitas.—Sensum certe commodum fundit nostra lectio ex editt. Gryph. et Muret. transcripta. Nec male emendabat Dousa P., *aut ista hac Optandam vitam dicere quis poterit?* Bene quoque ad sensum lectio editionis Cantabrigiensis, *aut mage nostra hac Optandam vitam ducere quis poterit?* Sed omnia recensere, quæ pro suo quisque ingenio commentus est, nimis longum est.

6. *Nobis* junge cum *insperanti* in versu majori, ex archaismo optimis scriptoribus frequentato. Sic Terentius Eunuch. IV. 3. 7. *absente nobis.*—Plaut. Amphitr. II. 2. 194. *nobis præsente.*—vid. *Voss.* de Analog. IV. c. 23. et *Brouckhus.* ad Tibull. III. 6. 55.

7, 8. Vide *Var. Lect.*

CARMEN CVIII.

IN COMINIUM.

Si, Comini, populi arbitrio tua cana senectus
Spurcata impuris moribus intereat;
Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum
Lingua exsecta avido sit data volturio:

1. *Sic homini* vel *Sic horum populari arbitrio* in MSS. Stat.: unde Avantius emendabat *Si, Comini, arbitrio populi;* et sic exhibent editt. Gryph. Muret. Henricpetr.—*Si, Comini, arbitrio populari cana senectus* reduxit, ut ait, vett. librorum auctoritate Vossius.—nostra lectio debetur Statio.

4. *Lingua exserta* in MSS. Statii et libris vett. Vossii.

Tantum esse ait, quod senex quidam Cominius tam morum pravitate quam maledicendo apud populum sibi conflaverat, odium, ut non dubitet, quin populus, si ab ejus stet arbitrio, frustatim eum bestiis devorandum objecturus sit.

1. Sensus est: "Si tu, o cane senex, impuris moribus inquinate, e medio tollaris pro populi arbitrio" cet. *senec-* pro *sene;* ut illa, *virtus Catonis, sapientia Læli.*

3. *Inimica bonorum,* (pro vulgari *bonis*) infesta famæ bonorum, bonos quosque verborum contumeliis lacerans.

4. *Sit data* pro *detur.* Satis autem constat, nihil visum esse veteribus

Effossos oculos voret atro gutture corvus,
Intestina canes, cetera membra lupi.

5. *Atro gurgite* Cod. Patav.: in qua quidem lectione, tanquam elegantiore, præferenda argutatur Vulpius.
6. *Extera membra* veterum librorum scriptura apud Vossium.

atrocius, quam si cadavera feris atque volucribus discerpenda et dilanianda darentur.—cf. supra ad Carm. LXIV. 152. et Stat. ad h. l.

CARMEN CIX.

AD LESBIAM.

Jucundum, mea vita, mihi proponis amorem
Hunc nostrum inter nos, perpetuumque fore.
Di magni, facite, ut vere promittere possit;
Atque id sincere dicat et ex animo:
Ut liceat nobis tota producere vita
Æternum hoc sanctæ fœdus amicitiæ.

6. *Tota perducere vita Alternum* editt. Parthenii, Gryph. Muret. Henricpetr. Voss. Græv. et aliæ; sed nostram lectionem tuentur omnes MSS. Statii. De errore librariorum in *perducere* et *producere* vid. *Drackenborch.* ad Liv. Tom. V. p. 265. et de sæpius commutatis vocibus *æternus* et *alternus* eundem ad Sil. Ital. XV. 229.

Lesbia Catullo reconciliata jucundi perpetuique amoris fructum promiserat; quibus quidem promissis ut vere eventus respondeat, ex animo optat, et deos ad hanc datam sibi confirmandam fidem implorat.

1. *Proponis*, declaras, persuadere mihi studes.
3. *Posit:* insit ei animus is, quo aliquid promitti debet.
5. *Producere*, protrahere, continuare.

CARMEN CX.

AD AUFILENAM.

Aufilena, bonæ semper laudantur amicæ:
  Accipiunt pretium, quæ facere instituunt.
Tu quod promisti mihi, quod mentita, inimica es,
  Quod nec das, et fers sæpe, facis facinus.
Aut facere ingenuæ est, aut non promisse pudicæ,
  Aufilena, fuit. Sed data corripere
Fraudando, efficitur plus quam meretricis avaræ,
  Quæ sese toto corpore prostituit.

3. *Mihi et quod* in libris vett. Passeratii: unde ille legit et interpungit *Tu quod promisti, mi et quod.*

4. *Nec das, nec fers* vitiose in MSS. Statii.

7. *Efficit* et *effecit* in MSS. Statii.—*efferit* in libris scriptis Vossii, unde ille reposuit *effexti*; sed recte defendit Statius *efficitur*, quod exhibuit jam Parthenius; et sic est in editt. Gryph. Muret. Henricpetr. Cantabrig. Vulp.—*Fraudando, est facinus* ingeniose, sed præter necessitatem *Tollius* ad Auson. p. 270.

Aufilenam, quæ, accepta in noctis promissæ gratiam mercede, duxerat Catullum et eluserat, ut sordide et abjecte sentientem meretricem describit et insectatur.

1. *Bonæ*, quæ stant promissis, fidæ, honestæ.

2. *Quæ facere instituunt*, h. e. eæ, quæ vere corporis sui copiam facturæ sunt.—*facere*, ἀφροδισιάζειν. *vid. Burmannum* ad Petron. c. IX.—sic ῥέζειν et ἐνεργεῖν apud Græcos. vid. *Bergler.* ad Alciphr. III. Ep. 55. p. 413.

3. Junge: *Tu es inimica* (haud *bona amica*) *quod mentita es* id, *quod mihi promisti*, h. e. noctem.

4. *Das*: intellige promissa Veneris munuscula. Sic *dare* passim in re Venerea. Lus. II. 3.

Da mihi, quod cupies frustra dare forsitan olim,
Dum tenet obsessas invida barba genas.

cf. *Burmann.* ad Ovid. Arte Am. I. 448. et sic παρέχειν et χαρίζεσθαι apud Græcos.—*fers*, aufers munera.

5. *Ingenuæ*, fidem, quam dedit, præstantis.

6. *Data corripere*, munera eripere, corradere.—*data* pro *donis* passim. Ovid. Metam. VI. 463:

—nec non ingentibus ipsam
Sollicitare datis.

7. *Efficitur*, supple ex versu quarto *facinus*; nec infrequens est locutio *efficere* pro *facere facinora*.

CARMEN CXI.

AD AUFILENAM.

Aufilena, viro contentas vivere solo,
Nuptarum laus e laudibus eximiis.
Sed quoivis quamvis potius succumbere fas est,
Quam matrem fratres efficere ex patruo.

1. *Contentam* in editt. Parthen. Gryph. Muret. Henricpetr. Græv. et aliis. Sed Scaliger, qui in libro suo inveniebat *contenta est*, uti est quoque in editione Rheg., fecit inde *contentas*, quod recte ab editoribus recentioribus receptum est.

2. *Nuptarum laus est laudibus eximiis* in MSS. Statii, editt. Parthen. Gryph. et aliis, unde Statius *Nuptarum est laus e laudibus eximiis:* Scaliger *Nuptarum laus e laud. ex.* quam lectionem omnes nunc exhibent editiones recentiores. Muretus sine indicio auctoritatis dedit *Nuptarum una est e laud. exim.*

3. Vossius, cujus libri veteres soli habent *Sed cuivis potius*, supplet versum ita; *Sed cuivis cuivis potius:* nec defuit, qui hanc lectionem Vossianam probaret, Vulpius.

Aufilenæ, cum patruo consuescenti, nihil ejusmodi illicito et incesto amore turpius et detestabilius esse, ante oculos ponit.—Expressit hoc carmen *Joann. Nic. Goetz* in *Vermischte Gedichte* Tom. III. p. 130.

1—4. Sensus: " Ad eximias, Aufilena, quæ nuptas mulieres ornant, virtutes pertinet inprimis ea, ut solo marito contentæ vivant; at, si omnino iis cum alio libido exercenda sit, quævis cum quovis potius concumbat licebit, quam ut mater patruelium fiat ex patruo."—*matrem fratres efficere ex patruo*, h. e. matrem fieri, et pueros ex patruo procreare, qui matri sint *fratres patrueles*; nam patruorum sive duorum fratrum filii vocari solent vel absolute *fratres*, vel *fratres patrueles*.

CARMEN CXII.

IN NASONEM.

Multus homo es, Naso; nam tecum multus
homo est, qui

1. *Multus homo es, Naso, neque tecum multus homo, sed Descendis, Naso, multus es et pathicus* editt. Parthenii, Muret. Henricpetr. Cantabr. Græv.—*Multus homo (es, Naso, nam tecum multus homo) est qui Descendit? Naso, multus es et pathicus* vetus scriptura apud Scaligerum.—*Multus homo es Naso: nec tecum multus homoque Descendit Naso multus es et Pathicus* in libris veteribus se reperisse testatur

Mirum, quantum hoc epigramma, quod a plurimis omnium in hoc poëta obscurissimum habitum, et a Mureto aliisque tanquam desperatum relictum est, interpretum ingenia exercuerit; quorum commenta omnia recensere ni-

Descendit: Naso, multus es et pathicus.

Meleager, qui inde tentat *Multus homo es, Naso, nec tecum multus homo: est qui Te ascendit: Naso multus es et Pathicus;* sed sapienter addit: "Quæ sit mens epigrammatis, meum non est explicare." *Multus homo est, Naso, neque secum multus homo qui Descendit* Vossius.—*Multus homo est, Naso (nam tecum multus homo es) qui Descendit?* Vulpius.—Nos dedimus lectionem Scaligeri, mutata tantum cum Daciero interpunctione; et sic exhibitum jam est hoc epigramma in edit. Gotting. et Bipont.

mis longum est.—Mihi quidem poëta lusisse videtur in *multus*, ita, ut ideo jam Nasonem *multum* vocaverit, quia *multi* homines libidinis causa cum eo versabantur; hoc fere sensu: "Multorum hominum homo es, Naso (h. e. multorum libidini inservis); nam multi homines tecum versantur, qui turpem in corpore tuo explent libidinem; iterum dico, Naso, multorum hominum homo es, et muliebria pateris."

2. *Descendere* est verbum nequitiæ.

CARMEN CXIII.

AD CINNAM.

Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant
Mœchi: illo facto Consule nunc iterum
Manserunt duo: sed creverunt millia in unum
Singula: fœcundum semen adulterio.

1. *Sedebant* pro *solebant* editt. Parth. Gryph. Muret. Henricpetr. Græv. et aliæ editt. vett.: sed MSS. Statii et Scaligeri tuentur *solebant.*

2. *Mæchalia, at facto* edit. Parthen.—*Mæchilia, facto* Gryph. Muret. Henricpetr.—*Mecilia, facto* MSS. Statii, unde ille reposuit *Mæchi: illo facto C. n. iterum;* quam ipsam lectionem cum Vulpio prætulimus.—*Mæchi, illi, ah facto* Scaliger, quem plures secuti sunt.—*Mæchilli, facto* edit. Græv.: sed auctor hujus lectionis est Turnebus.—*Mæchulei* Passeratius.—*Cæcilio facto* ex optimo exemplari produxit Vossius.

4. *Singulum* in Codice Patavino et libro Scaligeri, quod probat Scaliger, et allatis quibusdam exemplis docet, mediam vocalem recte in hac voce prisco more extrudi posse.

De insigniter aucto adulterorum numero queritur.

1. 2. *Solebant mæchi,* subintellige "sectari mulieres, matronarum pudicitiam expugnare," vel aliquid hoc obscenius;—sed ejusmodi aposiopesis, qua honestatis castitatisque studio usi sunt Terentius, Virgilius et alii, parum mihi convenire videtur ingenio Catulli, qui res vel obscenissimas nomine suo insignire solet; puto igitur vel legendum esse *sedebant* (vid. *Var. Lect.*), quod apposite de hominibus libidinosis dicitur; (cf. supra Carm. XXXVII. 6.) vel locum ita rescribendum esse: *C. P. p. d. C. solebant Mæchari; at facto C. n. i. Manserunt duo.*—*Consule primum* Anno ab Urbe Condita DCLXXXIV: *iterum* DCXCIX.

3. 4. *Sed creverunt—singula,* sed ita manserunt, ut singula millia in unum vel singulum succrescerent, h. e. ut ex duobus duo millia fierent.

CARMEN CXIV.

IN MENTULAM.

FORMIANO saltu non falso Mentula dives
Fertur; qui quot res in se habet egregias!
Aucupia omne genus, pisces, prata, arva ferasque.
Nequidquam: fructus sumtibus exsuperat.
Quare concedo sit dives, dum omnia desint.
Saltum laudemus, dum modo ipse egeat.

1. *Firmanus salius* vel *salvus* MSS. Statii.—*Firmanus salius* in editione Parthen.—*Firmani saltus* Gryph.—*Firmano saltu* Aldus, Muretus, Statius, Vossius, editor Cantabr. Græv. Sed Scaliger, quia vett. Codd. non *Firmano* sed *Firmanus* præ se ferunt, legendum omnino censet *Formianus saltus*.—Scaligeri sententiam cupide amplexus est Vulpius, nec ipse primum de ejus probabilitate dubitabam. Sed nunc succurrunt rationes, quæ ab illa me discedere jubent. Quamvis enim facile concesserim, *saltum divitem* recte dici posse de eo, qui sit amplus et fructuosus, tamen huic explicationi aperte repugnat versus quintus; *dives*, nisi vim verbis inferre vis, ad Mentulam referri debet; additur enim *dum omnia desint*, quod de saltu laudato valere non potest. Deinde, cum hæc lectio et explicatio impulerit Scaligerum, ut *exsuperat* in versu 4. et *egeat* in versu 6. contra omnium librorum auctoritatem mutaret in *exsuperas* et *egeas*, id eo magis hanc rationem mihi suspectam reddidit, quia poëta tam in sequenti, quam in antecedentibus epigrammatibus ad Mentulam, non nisi in tertia persona de Mentula loquitur. Dedi autem *Formiano saltu*, quod jam Muretus in nonnullis libris invenerat. Nam, cum admodum probabile sit, *Mamurram*, qui *Formiis* natus, et inde jam (supra Carm. XLI. 4.) *Formianus decoctor* dictus est, sub *Mentula* intelligendum esse, (cf. supra Carm. XCIV.) facile inde hujus lectionis quoque probabilitas evincitur. *Formiano* per synæresin est vox trisyllaba.

2. *Tot res* omnes libri impressi ante Statium et Scaligerum, sed MSS. Stat. et libr. vett. Scaligeri suggerunt *quot*, quod melius sane admirationi inservit.

3. *Aucupia, omne genus piscis* MSS. Stat.—*Aucupium omne genus* editt. Parthen. Gryph. Muret. Henricpetr. et aliæ.

4. *Ne quidquam fructus* MSS. Stat.—*Nec quicquam fructus* Gryph.—*exuperet* Voss.

6. *Dum tamen ipse* in editt. plurimis, haud dubie hiatus vitandi causa. Sed in MSS. Statii omnibus *dum modo*, et sic est in editione Parthenii.

Tantum abesse sit, ut Mentula dives sit, qui vulgo ob pulcherrimi cujusdam saltus Formiani possessionem, habebatur, ut potius summa, ad quam nimiis factis sumtibus redactus sit, laboret inopia. De *Mentula* vid. *Var. Lect.* ad v. 1.

1. *Formiano saltu*, h. e. propter Formiani saltus possessionem. vid. *Var. Lect.*

3. *Omne genus* pro *omnis generis*; exempla vide apud Vulpium, et plura in Thesauro Gesner.

4. *Nequidquam*, sed hæc omnia minime ei sufficiunt: *fructus sumtibus exsuperat*, excedit modum in faciendis sumtibus ita, ut isti longe superent reditus.

CARMEN CXV.

IN MENTULAM.

MENTULA habet instar triginta jugera prati,
Quadraginta arvi: cetera sunt maria.
Cur non divitiis Crœsum superare potis sit?
Uno qui in saltu tot bona possideat;
Prata, arva, ingentes silvas, saltusque, paludesque,
Usque ad Hyperboreos et mare ad Oceanum?
Omnia magna hæc sunt: tamen ipse est maximus ultor,
Non homo, sed vere Mentula magna minax.

Conjunctim hoc epigramma cum antecedenti exhibetur in editt. Parthen. et Gryph.

1. Pro *instar*, quod in omnibus libris veteribus, teste Statio, reperitur, alius aliam vocem substituendam putavit; Statius quidem *justi*, Scaliger *juxta*, Passeratius *nostra;* in editione Mureti est *noster*.

2. *Extera sunt maria* in libro Zanchi.

4. *Tot modo* in edit. Parthenii et nonnullis MSS. Statii.—*tot moda* in aliis MSS. apud Statium et Scaligerum, et in Cod. Patavino, quod probat Scaliger, et Vulpius tanquam compendio ab antiquis Latinis pronunciatum explicat pro *tot commoda*. Nos dedimus lectionem editt. Gryph. Muret. Henricpetr. Cantabrig. Græv.

6. *Et mare Oceanum* recte, ex judicio Vulpii, Codex Patavinus.

7. 8. *Omnia magna hæc sunt: tamen ut sint maxima, et ultra, Non homo, sed vere mentula magna nimis* Gryph. Muret. Henricpetr. et alii.—*Omnia m. h. s. t. ipsi maximus ultor N. h. s. vero m. m. minax* MSS. Statii, quam lectionem mutato τῳ *si* in *hic* probat quoque Statius; et sic fere hoc distichon in editione Parthenii legitur, nisi quod *est* pro *si* et *vere* pro *vero* ibi excusum est. Nec dubitavimus hanc ipsam lectionem cum aliis sequi.—*maximu' lustro* legi jubet Scaliger, probante Vulpio, ut *lustro* sit, "qui sectatur meretrices in lustris prostantes."—*maximus, ultro* Voss.

Similiter, ut in epigrammate antecedenti, Mentulæ, hominis prodigi et impuri, speciosas ridet et sugillat divitias.

2. *Cetera sunt maria*, h. e. infinita; nam *mare*, *Oceanus*, *flumen*, πόντος, passim de cujusdam rei magnitudine et abundantia. vid. Scaliger ad h. l. et *Dorville* ad Charit. p. 636. (ed. Lips.) *Ernesti* ad Callimach. Hymn. in Apollin. v. 106. et *Cortius* ad Sallust. Cat. XXIII. §. 3.—nisi quis *maria* simpliciter de ingentibus *stagnis* et *paludibus* sumere malit.

6. *Usque ad Hyp. et mare ad Oceanum*, h. e. latissime patentes.

7. *Maximus ultor* in libidine, qua urget et punit quasi feminas. Supra Carm. LXXI. 5.

Nam quoties futuit, toties ulciscitur ambos.

8. *Minax*, libidinem minans.

CARMEN CXVI.

AD GELLIUM.

Sæpe tibi studioso animo venanda requirens
Carmina uti possem mittere Battiadæ,
Queis te lenirem nobis, neu conarere
Infestum telis icere, musca, caput:
Hunc video mihi nunc frustra sumtum esse laborem,
Gelli, nec nostras hinc valuisse preces.
Contra nos tela ista tua evitamus amictu:

1. *Venante requiris* Venet. Gryph.: in libris Mureti desideratur vox extrema. *requires* MSS. Statii et editt. antiquissimæ apud editorem Cantabrig.—*venanda requirens* reposuit Scaliger ex veteri scriptura *veniam dare quæres.*

3. *Quæ te lenirent* Parthenius.—*Queis te lenirem nobis neu con.* Gryph. Muret. et sic omnes editt. recentiores, nisi quod recte post *lenirem* sublata est interpunctio.—*Qui te lenirem nobis* Statius.

4. Ex mira lectionum hujus versus varietate selegimus eam, quæ nobis commodissima videbatur, et in editionibus Parthen. Gryph. et all. exhibita est.—*Tela infesta meum mittere in usque caput* defendit Muretus.—*Telis infestans mi icere musca caput* legebat Statius, in cujus MSS. exaratus fuit hic versiculus sic, *Telis infesta mi tenemusque caput.* favere certe hæc scriptura videtur lectioni Mureti.—*Telis infesto mi icere, musca, caput,* refinxit ad veterem scripturam *Telis infestum jicere,* Scaliger, quem plurimi recentiores secuti sunt.—*Infesta in nostrum mittere tela caput* ex veteri libro laudat Vossius, et sane, nisi turbatus verborum ordo aperte correctoris manum proderet, lubenter in hac lectione acquiesceremus. *Infestum telis icere mi usque caput* ex libris scriptis legi jubet N. Heinsius in not. ad Catull.—Profecto in tanta varietate, quid verum sit, videre haud parum est difficile.

6. *Huc valuisse* Venet. Muret. Græv.—*hinc* est in editionibus Gryph. et aliis, et recentioribus omnibus.—*evaluisse* una voce legendum esse censet *Bondanus* Var. Lect. p. 124.—fortasse quoque *hoc* vel *id valuisse.*

7. *Quare nos* Muretus, nescio unde.—*evitabimus amica* meliorum librorum lec-

Gellium, cum illatas ille sibi contumeliosis Catulli carminibus injurias remuneratum ivisset, placare Noster studuerat dono ei mittendis, quæ ex Callimacho verterat, carminibus. Sed parum hac ratione apud eum effecerat. Acquiescit igitur in eo solatio, quod tela, a Gellio in ipsum conjecta, facilius vitari et retundi queant, quam quæ ipse in illum conjecerat.

1. 2. Junge: *Sæpe requirens* (mecum reputans), *uti possem tibi mittere carmina Battiadæ* (cf. supra ad Carm. LXV 16.) *studioso animo venanda,* h. e. diligenter investiganda et excutienda.

4. *Musca* in contemtum, quia leviter tantum pungere potest muscarum aculeus. De proverbiali locutione μυίας δηγμὸς vid. Stat.

5. *Laborem* vertendorum nimirum e Callimacho carminum.

6. *Hinc,* ad impetrandum id, quod speraveram, scil. ne amplius famam meam lacerares verborum contumeliis. (vid. *Var. Lect.*)

7. *Amictu.* Romanorum consuetudinem, sinistra manu, pallio obvolutâ,

At fixus nostris tu dabi' supplicium.

tionem esset estatur Vossius, unde ille tentabat *evitabimus hamis: At fixus nostris t. d. s.*

adversarium invadentium, et hoc modo impetum ejus sustinentium, egregie illustrarunt *Nic. Heinsius* ad Petron. c. 63. et *Burmannus* ad eundem c. 80. qui laudat *Ferrarium* de Re Vest. I. c. 5. Huc pertinet similis Græcorum pugnandi ratio, quam explanavit *Cuperus* Observ. I. c. 12.

Subjectis quibusdam in græcam linguam a Viris Doctis translatis Catulli carminibus gratiam inire putavimus apud eos, qui tam utilitatem quam voluptatem ex ejusmodi instituenda comparatione capere didicerunt. Dignus quoque, quem subjiciendum curaremus, visus nobis est Mureti Galliambus in Bacchum.

PHASELUS CATULLI

TOTIDEM IAMBIS PURIS GRÆCIS REDDITUS

A

JOSEPHO SCALIGERO.

EX EJUS CASTIG. IN CATULLUM DESCRIPTUS.

(CARMEN IV.)

Κέλης ἐκεῖνος, ὃν θεᾶσθ᾽ ὁδοιπόροι,
Τρέχειν νεῶν μὲν εὔχεται θοώτερος,
Σκάφους ὄπισθεν ὑστερεῖν δὲ μηδενὸς
Δρομηλατοῦντος, εἴτέ μιν χρεὼν ἐλᾷν
Πλάταισιν, εἴτε λαίφεσ᾽ ἐπτερωμένοις.
Τόδ᾽ οὔτέ φησιν ἀντερεῖν ἂν Ἀδρίου
Νεώρι᾽ οὔτε Κυκλάδας περιῤῥύτους,
Ῥόδον κλυτὴν, δυσήμερόν τε Θρῃκίαν,
Προποντίδ᾽ ἀγρίαν τε ποντίαν ἅλα,
Ἵν᾽ οὗτος, ὕστερον κέλης, πάροιθεν ἦν
Πίτυς τιναξίφυλλος, ἣ Κυτωρίῳ
Πάγῳ θάμ᾽ ὦρσεν εὐλάλῳ θρόον φόβῃ.
Κύτωρε πυξόδενδρ᾽, Ἀμάστρι ποντικὴ,
Τάδ᾽ εἰδέναι σ᾽ ἅπαντα νῦν τε καὶ πάλαι
Λέγοι κέλης ἄν. εὐθὺς ἐκ γενεθλίων

Τεαῖσί φησιν ἐν νάπαις πεφυκέναι,
Τεοῖσι κλῦσ' ἐν οἴδμασιν νέαν πλάτην,
Κλύδωσι δ' ἔνθεν ἐν πολυῤῥόθοις ἑὸν
Πορεῦσ' ἄνακτα, λαιὸς εἴτε δεξιὸς
Ὄρωρεν οὖρος· εἶτ' ἄημα πόμπιμον
Ἔτεινε πλησιλαιφὲς ἁρμένου πόδε.
Ἐπακτίοισι δ' οὔποτ' ἐξιτήρια
Θεοῖσιν ηὔξαθ', ὡς ἀπ' ἐσχάτης ἁλὸς
Ἀφῖκτο τήνδε λιμνέαν ἐς ᾔόνα.
Τὰ μὲν πάροιθε· νῦν δὲ πεμπέλου σχολῆς
Τέλος λέλογχε. σοὶ δὲ κεῖτ' ἀνειμένος,
Διός τε κοῦρε, καὶ Διοσκόρου κάσι.

CATULLI PRIAPEUM

TOTIDEM IAMBIS PURIS GRÆCIS REDDITUM

A

JOSEPHO SCALIGERO.

EX CATULLI EDITIONE JANI DOUSÆ LUGD. BAT. 1592. p. 263. DESCRIPTUM.

(CARMEN XX.)

Ἐγὼ τέχνημα φαυλοτέκτονος χερὸς,
Ἐγὼ δὲ φιτρὸς ἀζαλῆς, ὁδοιπόρε,
Ἰδοὺ τὸ γήδιον τόδ' ἐξ ἀριστερᾶς,
Ἔπαυλιν ἀνδρὸς ὄρχατόν τ' ἐπισκοπῶ
Πένητος, ἐκ δὲ φωρὸς ἁρπαγὰς τρέπω.
Ἐμοὶ μὲν ἦρ' ἄρηρεν ἄνθεμος πλόκος,
Ἐμοὶ δὲ πυρσόφλοιος ἄσταχυς θέρει,
Ὀπωρινῷ τε λαρὸς ἀμπέλου βότρυς,
Κακῷ τε χεῖματ' ὠμὸν ὄμφαλος στέφος.
Χίμαιρ' ἐμοῖσιν ἴξαλος νομεύμασι
Πόλινδ' ἀμολγὰς οὖθατ' εὐγλαγῆ φέρει.
Ἐμῶν ἀπ' ἀμνὸς εὐθαλὴς ἐπαύλεων

Δόμόνδε βριθυκέρματον χέρ' εἰσάγει·
Τέρεινα πόρτις αἰνομήτορος βοὸς
Χέει πρόναος αἱματοσφαγὲς λίβος
Θεοῖσι. τόνδε τὸν θεὸν σέβου, ξένε,
Χέρας δὲ χωρὶς ἴσχε, σοὶ τόδ' ἀσφαλές.
Ἕτοιμος ἀσκέπαρνον αἰκία πέος.
Λέγοις θέλοιμ' ἄν, ἀλλ' ἰδοὺ προσέρχεται
Ἀγροῖκος οὗτος. ᾧτ' ἀποσπαδὲς τόδε
Πέος τυλωτὸν ὅπλον ἐντρέπει χερί.

CATULLI EPITHALAMIUM

SEU

CARMEN NUPTIALE

A

Q. SEPT. FLORENTE CHRISTIANO

GRÆCIS VERSIBUS EXPRESSUM.

EX CATULL. EDIT. JANI DOUSÆ p. 265.

(CARMEN LXII.)

Σοῦσθε νέοι, ὁ γὰρ ἕσπερος ἔρχεται, ἕσπερος ἤδη
Οὐρανόθεν τριπόθητα μόλις δὴν φάεα τέλλει·
Ὥρη ἀναστῆναι, λιπαρὰς λείπειν τε θαλείας.
Παρθένος ἑρψεῖται, ὑμεναίου δ' ἕψετ' ἀοιδή.
  Ὑμὰν ὦ Ὑμέναιε, Ὑμὰν ἔλθ' ὦ Ὑμέναιε.
Ἀθρεῖτ' ἠϊθέους φιλοπαρθένοι, ἀντί' ἔγρεσθε,
Πανταχόσ' Οἰταίας φαίνει ὀρφνηφόρος αὐγάς·
Καὶ νύ τοι οὐχ ὁράας ὡς ὠκέες ἐξεθόρησαν;
Οὐκ εἰκῇ, τοὺς γὰρ νικᾷν θέμις ἀεισεῦντι.
  Ὑμὰν ὦ Ὑμέναιε, Ὑμὰν ἔλθ' ὦ Ὑμέναιε.
Ἁμῖν μὲν κεῖται οὐκ εὐχερὲς, ἥλικες, ἆθλον·
Σκέπτεσθ' ὡς δίζηντ' ἄγαμοι πεπονημένα κοῦραι.

Οὐχὶ μάτην μελετῶσιν, ἔχουσί τι ἀξιόμνηστον.
Ἄμμες δ' ὦτα φρένας τ' ἐμερίσσαμεν ἄλλυδις ἄλλῃ.
Οὐκ ἀμῇ δ' οὖν νίκη, ἐπεὶ φιλεῖ ἧγε μερίμνᾳν·
Τῷ νῦν ὑμετέρου ἶνας συμβάλλετε θυμοῦ·
Ἀρξομέναις οὐδῆς ἤδη πρέπει ἄμμες ἕπεσθαι.
Ὑμὰν ὦ Ὑμέναιε, Ὑμὰν ἔλθ' ὦ Ὑμέναιε.
Ἕσπερε, ποῖον ἔχει σέο φῶς νηλέστερον αἴθρῃ.
Δεινοῦ ἐπωλενίην κούρην τινὰ μητρὸς ἀποσπᾶν,
Μητρὸς ἀπ' ἀγκαλίδων ἀφελεῖν κούρην ἀέκουσαν,
Cœna rogo imposita a pauperioribus diripi solita A. 59, 3.
Colonia A. 17.
Commodus quid? V. L. 10, 26.
Comparatio amoris conjugalis cum vite arbori inhærente A. 61, 106. frigescentis cum flore succiso A. 11, 21. flammæ rutilantis cum crinibus A. 61, 76. magni numeri cum aristis A. 48, 5. puellæ cum hœdis A. 17, 15. myrto A. 61, 21. Venere A. 61, 98. cum uvis A. 17, 16.
Componi, verbum in re funebri usitatum A. 68, 98.
Concubinus nuptæ jusso tondetur A. 61, 138.
Consecutio temporum neglecta A. 64, 126.
Conturbare de decoctoribus dicitur A. 5, 11.
Cornu aduncum Phrygiæ tibiæ junctum A. 64, 264.
Corpus pro pectus a librariis substitutum V. L. 64, 221.
Corruere active pro prosternere dicitur V. L. 68, 52.
Credere et tradere perm. A. 67, 9.
Crepidæ carbatinæ A. 98, 4.
Cybelle A. 63. argum.
Cycnea arx. A. 67, 32.
Cyrene A. 7, 4.
Cytorus A. 4. 13.

Daulias Progne unde sic dicta A. 65, 14. dissensus in ejus fabula ibid.
De die pro multa adhuc die A. 47, 6.
De et Di in verbis compositis sæpissime perm. V. L. 64, 208.
Dedere A. 61, 59.
Deprecor casui tertio jungitur A. 103, 3.
Deprendi A. 56, 5.
Desiderium puellæ dicitur A. 2, 5.
Despuendi omen malum mos A. 50, 19.
Destinatus A. 8, 19.
Diana cur οὐρανία et ὀρεσκόμεος dicta? A. 34, 9. Trivia A. 34, 13. ei tribuitur cura frugum A. 34, 17. Sancta mater Σώτειρα et πολιοῦχος dicta A. 34, 21.
Dii littorales qui A. 4, 22.
Diligere et amare quomodo differant A. 72, 4.
Dindymus A. 63, 2.
Dixerit pro dixisse videtur A. 84, 6.
Dispicere A. 66, 1.
Dissidium et discidium quomodo differant V. L. 66, 22.
Dominæ vocantur puellæ et uxores A. 61, 31.
Ducere et dicere perm. V. L. 68, 8. ducebat et dicebat V. L. 8, 4.
Dum et cum perm. V. L. 64, 389.
Durrachium A. 36, 15.

Eoa unda A. 11, 3.
Epithalamium quid? A. 61, pag. 178.
Es et est perm. A. 67, 6.
Etrusci unde obesi A. 39, 11.
Expromere et exponere perm. V. L. 65, 3.
Externus et extremus perm. V. L. 68, 100.

Faces in pompa nuptiali prælatæ A. 61, 15.
Facta et fata perm. V. L. 65, 9.
Fescennina A. 61, 126.
Fides dea A. 30, 11.
Flagitare cum duobus casibus quartis A. 55, 8.
Flagrare et fragrare perm. V. L. 68, 144.
Flammeum A. 61, 8.
Flos de juvenili ætate A. 17, 14. A. 24, 1.
Fors et sors perm. V. L. 64, 367.
Fucus et succus perm. V. L. 64, 49.
Furiosorum cura a propinquis suscipienda A. 41, 5.
Furius A. 11, 1.

Galli fœminino genere inducuntur A. 63, 12.
Gallia comata A. 29, 3.
Galliambicum metrum A. 63, pag. 229.
Genæ fletu tumidæ A. 3. 18.
Gentiles qui? A. 68, 123.

Genus pro filius A. 61, 2.
Golgus A. 36, 14.

H. positionem efficit A. 62, 4. 64, 20.
Harpocrates, ejus fabula A. 74, 4.
Hecates cœna in triviis ad diripiendam proposita A. 47, 7.
Hellespontus ostreis abundans A. 13, 4.
Hiberi A. 9, 6.
Hippomenês, ei nupsit Atalanta A. 2, 11.
Hirceani A. 11, 5.
Horatii lectio vetus defensa A. 19, 4.
Horatio vetus lectio adserta V. L. 66, 55.
Hostia προγάμεια A. 68, 76.
Hostias majoribus tantum diis immolare licebat A. 19, 15.
Hymni in Apollinem et Dianam a pueris et puellis decantati A. 34. argum.

Jam et tam perm. V. L. 63, 77.
Idalium A. 36, 16.
Idomeneæ duæ A. 64, 178.
Idrus A. 64, 301.
In superfluum A. 55, 14.
Incessus meretricum turpis A. 42, 8.
Inchoare A. 35, 13.
Indomitus dicitur de fœminis intactis A. 58, 118.
Infinitivus gerundii loco substantivo jungitur A. 62, 3.
Insto inservit paraphrasi A. 66, 50.
Invictus et invitus perm. V. L. 64, 204.
Ipsulæ V. L. 17, 6.
Ira ad mare translata A. 4, 9.
Irredivivus pro irreparabilis A. 17, 3.
Itone A. 64, 228.
Itylus A. 65, 14.
Junctus et vinctus perm. V. L. 61, 68.
Jupiter unde οὔριος A. 4, 20.

Labans et labens perm. V. L. 63, 37.
Labor A. 31, 11.
Ladas A. 55, 25.
Lampsacum A. 18, 2.
Languor labans quid? V. L. 63, 37.
Lanuvium A. 39, 12.
Laodamia, ejus fabula A. 68, 74.
Larissa A. 64, 36.
Laserpicium A. 7, 4.
Latera usu Veneris exhausta A. 6, 13.
Levis et lenis perm. V. L. 64, 318.
Libelli pro tabernis librariis A. 55, 4.
Libido in bonam partem A. 17, 5.
Librorum partes et ornamenta A. 22, 5.
Librorum prælectio ante editionem A. 44, 21.
Liguri fossa A. 18, 19.
Limen tangere malum omen A. 61, 166.
Livius explicatus A. 80, 2. 31, 7.
Lucina A. 34, 13.
Ludi in Jovis honorem A. 64, 388.
Lumen et limen perm. V. L. 64, 272. A. 66, 7.
Lunæ amor in Endymionem A. 66, 5.
Luteum et lacteum perm. V. L. 19, 11.
Luteus quid? A. 61, 194. color lætitiæ index 61, 10.
Lympha et Nympha perm. V. L. 61, 29.

Maculæ animi in vita contractæ post mortem quoque conspiciendæ A. 57, 3.
Mænades pro Gallis A. 63, 23.
Magi ex concubitu matris cum filio procreandi A. 90, 4.
Magistri convivii A. 27, 3.
Malia lympha A. 68, 54.
Malum gratum puellis ab amatoribus munusculum A. 65, 19.
Mane, imper. ultima correpta V. L. 10, 24.
Manere cum casu tertio A. 8, 15.
Manlius (Aulus Torquatus) A. 61. pag. 177.
Mare pro abundantia rei cujusdam A. 115, 2.
Marrucinorum fides A. 12, 1.
Membranæ publicandorum librorum lævigantur A. 1, 2.
Memmius (C. Gemellus) ejus nequitia A. 10, 12.
Mihi superfluum A. 24, 4.
Millia facere A. 5, 10.
Minerva cur γλαυκῶπις? A. 45, 7. cur patrona virgo? A. 50, 8. πολιοῦχος A. 64, 8.
Minos cur injustus A. 64, 75.
Minotaurus, in eo depingendo et describendo variant nummi et auctores A. 64, 79.
Modus adversarium invadendi A. 116, 7.
Morbus pro vitio A. 39, 7.
Mos mortuos januam versus collocandi A. 67, 6.
Mucus et pituita quomodo differant A. 23, 17.
Mugiles A. 15, 19.
Munera Saturnalibus oblata A. 14, 4.
Musæ omnes fere sobolem produxere A. 61, 2.
Mutare et mulctare perm. V. L. 12, 8.
Myrtus Asia A. 61, 22.

Nam et enim, non verisimile ea verba permutata esse V. L. 10, 26.
Natorum cum patre similitudo maternæ castitatis specimen A. 61, 121.
Ne et nec perm. V. L. 64, 83. 68, 43.
Nefas adjective dicitur A. 58, 88.
Nemesis A. 50, 20.
Neptunus duplex A. 31, 3.
Nilus A. 11, 4.
Nomina deorum pro eorum templis A. 10, 26.
Non—sed pro non modo—sed etiam A. 44, 20.
Novum Comum A. 35, 3.
Nox et vox perm. V. L. 63, 21.
Nuces jactandi mos A. 61, 128.

Numen et nomen perm. V. L. 64, 134. 66, 7. numen et lumen ibid. numen et manus ibid.
Nunc et non perm A. 66, 21.
Nuptæ corollis cinctæ A. 61, 6.
Natare de arboribus cunctis, non tantum coniferis V. L. 64, 289.

Obscenus pro detestabilis A. 68, 99.
Oculi nigri pars pulchritudinis A. 43, 2. ebrii A. 45, 11. tumidi fletu A. 3, 18. eorum osculatio intimi amoris signum A. 9, 7.
Offirmare se A. 76, 11.
Olim adjectivo arcte jungitur A. 96, 4.
Omentum diis adoletum A. 90, 6.
Onyx vasculum interdum significat A. 66, 83.
Oraculum Jovis Hammonis A. 7, 5.
Orcus omnia bella devorat A. 3, 14.
Orgia unde sic dicta A. 64, 260.
Oris et aris perm. V. L. 64, 132.

Pallii usus in cœnis A. 25, 6.
Parthi A. 11, 6.
Pedes lavare mulieres viris solebant A. 64, 162.
Pegasus A. 55, 24.
Peliacus vertex A. 64, 1.
Perculi et pertuli perm. V. L. 68, 114.
Perducere et producere perm. V. L. 109, 6.
Persei alata talaria A. 55, 25.
Pes exiguus pars pulchritudinis A. 43, 2.
Pes in navigiis quid? A. 4. 21.
Petitor A. 44, 11.
Phædri locus explic. A. 54, 5.
Phaselus A. 4. 1.
Philoxenus Dionysii carminibus excruciatur A. 44. argum.
Pila cuilibet tabernæ apposita A. 37, 2.
Pisaura sedes moribunda cur? A. 81, 3.
Piso (Cn. vel L. Calpurn.) A. 28, 1.
Platanus in deliciis habita A. 64, 291.
Plauti locus explic. A. 55, 6.
Ploxemus A. 97, 6.
Plusquamperfectum et Imperfectum junguntur A. 66, 35.
Poëtæ impii A. 14, 7.
Polyxena A. 64, 369.
Pompeius simpliciter Magnus vocatur A. 55, 6. ej. theatrum ibid.
Pontica Cæsaris præda A. 29, 19.
Ponticus sinus A. 4, 9.
Pontus ob materiam navibus ædificandis aptam celebrata A. 4, 10.
Posthumia A. 27, 3.
Potens et impotens in amore A. 8, 9.
Præpositiones neglectæ V. L. 37, 10.
Prætextati nuptam domum deducentes A. 61, 81.
Prendere quid? A. 55, 7.
Pretium pro dispendio A. 77, 2.
Priapus navigationis præses A. 17, 2.
Pro et præ perm. V. L. 63, 383.
Propontis A. 4, 9.
Pueri, ita viri juvenesque vocantur A. 12, 9.
Pugillares A. 42, 5.

Quamvis pro valde, admodum A. 12, 5. pro quantumvis A. 103, 2.
Que—que pro tam—quam A. 57, 2.
Qui pro quo V. L. 62, 20.
Quid et quod perm.
Quisquis pro quisque A. 58, 28.
Quotidianus prim. producitur V. L. 68, 39.
Quum et quam perm. V. L. 66, 23.

Recoctus senis A. 54, 5.
Reddere pro dare A. 66, 37.
Rhamnusia virgo A. 66, 71.
Rhesi equi.
Rhodus A. 4, 8.
Romulus A. 29, 5.

Sacæ A. 11, 6.
Sætabis A. 12, 14.
Salaputium A. 53, 5.
Salinum a veteribus purissime conservatum A. 23, 19.
Salisubsuli A. 17, 6.
Sallustius emendatus V. L. 29, 2.
Saltatio pompa nuptiali instituta A. 61, 14.
Saturnalia A. 14, 15.
Scelerati a feris potissimum peti creduntur A. 45, 7.
Scyllæ duæ fuere, quarum μῦθοι confunduntur A. 60, 2.
Scyros A. 54, 35.
Sed et perm. V. L. 66, 22.
Sedere in malam partem V. L. 66, 22.
Sensit et sanxit perm. V. L. 64, 21.
Serapidis templum A. 10, 25.
Sestiana dicta A. 64, 10.
Sidera supra montes orientia et occidentia A. 62, 7.
Sileni Nysigenæ A. 64, 253.
Sinistræ usus in furando A. 12, 1.
Sirmio A. 31, 1.
Smyrna poema Cinnæ, ejus argumentum A. 95, 1.
Solea mulierum A. 68, 72. Soleæ equorum ungulis non clavis adfixæ, sed tantum alligatæ A. 17, 26.
Sperare pro timere A. 64, 140.
Sponsæ invitæ raptæ A. 61, 3.
Sternutamenta omina fausta et infausta A. 45, 8.
Struma Nonius A. 52, 2.
Stymphalia monstra A. 68, 113.
Suetonii locus expl. A. 29. argum.
Sulla (Corn. Epicadus) A. 14, 9.
Syri A. 36, 12.

Tacitus et clamare de rebus inanimatis A. 6, 7.
Tamen post voces etsi vel quanquam omitti solet A. 66, 75.
Tempe unde Phthiotica A. 64, 35.
Tempus (pars capitis) singulari numero A. 61, 162.
Tener fœminino genere V. L. 20, 14.
Terentius explic. A. 23, 5.
Terra corporibus defunctorum injicienda A. 64, 153.
Texere de navibus A. 64, 10.
Thallus A. 25. argum.
Theocriti locus expl. A. 11. 21.
Thetis num lubens nupta sit Peleo A. 64, 20. Thetis et Tethys quomodo differant A. 66, 20.
Thracia A. 4, 8.
Thyonianus cur Bacchus dictus A. 27, 6.
Tibullus emend. et expl. A. 59, 3.
Tiburtinus ager A. 44, 1.
Tortus et totus perm. V. L. 64, 13.
Trinacria unde Sicilia A. 68, 53.
Tuba pro tibia A. 63, 9.
Tum et cum perm. V. L. 64, 19—20.
Tunc et nunc perm. V. L. 66, 24.

Ululare de querentibus pariter ac de gaudentibus dicitur A. 63, 24.
Unanimus et unanimis, iexanimus et exanimis, inermus et inermis sæpe perm. V. L. 10, 4.
Unguentis lectuli inungi soliti A. 6, 8. eorum usus in conviviis A. 13, 10.
Unus et imus perm. V. L. 61, 171. Unus pro totus plane is qui esse debet V. L. 61, 171. A. 22, 10. cf. Cicero de Leg. 1, 2.
Uria V. L. 36, 12.
Urina dentes defricant Celtiberi A. 39. argum. et 18.
Ustor 59, 5.
Ut et ad perm. A. 66, 21, V. L. 68, 84.

Varrus A. 10, 1.
Vatinius A. 52, 3. omnium bonorum in eum odium A. 14, 3.
Velle abundat A. 64, 138.
Veneres Cupidinesque cur ad exequias citentur? A. 3. 2.
Venti compar. cum equis equitantes et alati finguntur A. 66, 54.
Venus Appia V. L. 36, 12. ποντογενὴς et ἀπόσπορος θαλάσσης A. 36, 11. ad ejus aram sanguinem fundere nefas habitum A. 66, 91. ejus tactu omnia fiunt immortalia A. 66, 56.
Venustas A. 87, 3.
Versiculi a librariis ob repetitionem verbi omissi V. L. 49, 6.
Vestes raræ muneri puellis datæ A. 69, 3.
Vexare et versari perm. V. L. 64, 99.
Vibennii A. 23. argum.
Victus et vinctus perm. V. L. 64, 125.
Vinciendi notio ad amorem translata A. 61, 32.
Virgilius expl. et emend. A. 66, 54. ejusd. locus expl. 50, 6. 66, 54. Virgilio vetus lectio adseritur A. 37, 1.
Visere ad aliquem A. 10, 1.
Volusii annales A. 36, 1.

Zonam quam ob causam virgines gerant A. 2, 13. soluta 61, 53.

*** In recudendâ Catulli editione, quam Lipsiæ (1788—92) Fridericus Doering emisit, a nobis enixe allaboratum est, ut prodiret Veronensis poëta, vitiorum typographicorum immunis. Sed ne mera sit librarii repetitio, subjunctas damus HANDII in Catullum observationes criticas; "*quæ desiderium excitant, ut mox editionem absolvere docto editori contingat.*" Vid. Klügling. Supplem. ad Harles. Not. Lit. Rom. p. 171. Carminum, quæ sibi explicanda selegit Handius, adjicimus conspectum.

Carm. Catull.	Hand. pag.	Carm. Catull.	Hand. pag.
1	10, 15	27	14
2	25	30	51
4	10, 26	33	52
5	11	37	53
8	27	51	21
9	28	63	10
10	28-36	64	12
12	36	66	14
13	37	67	11
14	38	68	18, 21
17	39, 40	71	55
18	11	72	23
19	41-3	73	11
20	43-5	76	12, 13
21	45-8	77	13
22	48-51	97	10, 13
25	22	98	13, 29

I. R. P.

OBSERVATIONUM CRITICARUM

IN

CATULLI CARMINA

SPECIMEN

SCRIPSIT

FERDINANDUS HANDIUS.

PH. D.

HANDII

HANDII IN CATULLUM,

&c.

HABENT sua fata libelli. Inter eos veteres scriptores, qui longum per tempus neglecti jacuerunt, et in quibus, post curas singulis locis adhibitas, plurima adhuc leguntur obscura et depravata, Catulli carmina non ultimum locum obtinent. Etenim ex quo studia virorum doctorum Latinis poëtis occupari cœperunt, alia omnia majori diligentia et cautiori cura versata sunt, quàm nostri poëtæ carmina. Jamjam Parthenius, tantam, inquit, confusionem et conversionem in Catulli carminibus fuisse, ut si ab inferis auctor revocaretur, sua non esset agniturus. Nec tamen is dignus erat, qui tanta casuum varietate jactaretur, et sospitatorem diu desideraret. Equidem pro Catullo ejusque virtutibus dicere, aut eum flagitiosæ impuritatis specie, quâ suspectum habent, liberare, non apud me constitui; nec curo eos, qui in moribus poëtarum magis, quam in verbis hærent, et ingenium non nisi pudicum esse volunt. Qui, vereor, ne sæpissime fallantur; nam, quæ inter mores et orationem intercedit necessitudo, non in quocunque poëta ita valet, ut ad regulam, nescio quam, exigi possit. Placet Catullus, quia plurima in eo placent. Atque in magnis ingeniis multa reperiuntur, quibus eorum vitia expientur; nec culpa vitiorum, quæ sæculi sunt, in singulos homines, qui iis laborant, conjici debet.

Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum: versiculos nihil necesse est.

Elegantissima carmina conscripsit Catullus, mira simplicitate ac venustate; neque ipse destitutus erat ingenii vi, quæ neque artem nec laborem redolet. De negligentia et audacia ejus non unò modo potest disputari. Quæ vero viri docti de eà re dixerunt, vereor, ne maximam partem nimiâ sint atque iniqua. Melius consuluissent poëtæ, si carmina ejus ita restituissent, ut judicium firmum ac certum de iis haberi posset. Quamdiu enim de pluribus partibus dubitatur, non potest de universa re

judicari. Editiones autem Catulli, quæ recentioribus temporibus prodierunt, carmina non peræque exhibent, quemadmodum a poëta profecta sunt. Sunt enim ita comparatæ, ut lectionis vulgatæ rationes et causæ prorsus ignorentur. Ex iis non cognosces, unde ducta sit hæc et illa lectio, vel bona vel absurda, neque invenies nomina virorum doctorum, quorum studio plures singuli loci optime sanati; immo vana mendacia ac negligentiæ sordes tantum tibi tædium afferent, ut totum librum abjicias. Judicium ac censura, quam interpretes ante omnia instituere debebant, codicum et vett. editt. earumque auctoritatis nusquam exstat, et textus firmo fundamento plane destitutus est. Sine codicum et vett. librorum ope neque institui, neque effici potuit recensio textus. Nec sufficiebat, tantum inscriptiones editionum commemorare, hinc et illinc varietatem lectionis afferre et aliorum vestigia sine ulla dubitatione persequi. Quantum igitur dolorem omnes, quibus studia humanitatis et imprimis carmina Catulli curæ sunt, percipere debuerunt ex morte Santenii, cujus mentio tristior est lacrymis Simonideis.

Historia casuum, quibus jactatus est Catulli liber, satis mirabilis docet, paucissimos inveniri potuisse codices antiquiores, et variarum lectionum, quas illi exhibent, majorem partem e scribarum ignorantia atque monachorum lascivia, qua in scriptoribus veteribus grassati sint, ortam esse. Atque hoc jam Scaliger observavit, de exemplari, ex quo omnes codices propagati, loquutus. Variis ex argumentis et præcipue ex consensu omnium, quos hucusque cognitos habemus, codicum in locis corruptis et mutilatis demonstrari potest, unum librum fuisse fontem omnium aliorum, qui inde a sæculo quinto decimo scripti sunt. *Mathæus Palmerius* in codice, quem sua manu a. 1428. scripserat, et quo usus erat *Andreas Schottus* (Observ. lib. II. c. 16. p. 53.) hæc adnotavit: *anno 1425. primum repertum esse Catullum, pessimeque acceptum in manus hominum venisse.* Exstat etiam epigramma, commemoratione satis dignum, viri cujusdam docti Veronensis, quem Apostolus Zenus (in Ephemerid. Lit. Ital. Vol. XII. 11.) Guarinum patrem, Burmannus Guarinum filium esse voluit. In eo narratur librum Catulli, a Francisco quodam scriptum, ex horrei tenebris Veronam delatum esse. *Maffeius* (in libro *Verona illustrata* Vol. II. p. 7). ad decimum usque seculum Catullum plane ignotum fuisse suis civibus, confirmat inedità quadam scriptione: "In Verona aveasi Catullo fin del secol decimo, perchè io trovo in uno degl' inediti sermoni, che ho presso me di

Raterio, venuto d'oltra monti a questo Vescovado, com' egli lesse, qui Catullo, non avendol letto per l' avanti; e trovo che l' avea alle mani nel decimo quarto secolo Gugielmo Pastrengo, amico del Petrarca, il quale nell' opera sua versi ne cita in due luoghi."—Quis fuerit ille Francisci codex et an adhuc exstet, nihilo magis affirmare possum quam alii. *Maffeius* (l. i. p. 32.) de manuscriptis libris ita loquitur: "son tutti di poca età, e i più vecchi non paiono oltrepassar di molto la metà del decimo quinto secolo." Catulli vero librum, in Gallia repertum malas, in manus venisse, id est, quod omnes fere commentariorum antiquiorum auctores monuerunt ac questi sunt.

Sub seculi XV. exitum, typis excudi curarunt Catulli carmina unà cum Tibulli et Propertii elegiis. Primum prodierunt Venet. 1472. (Maffeius annum 1471. allegat.) Ex quonam vero codice hæc editio descripta sit, nondum potuit comperiri, quum neque Broukhusio ad Tibullum, neque Burmanno ad Propertium emendandum eo uti liceret. Cf. Santen. ad LXVIII. 49. Venetæ secundæ anni 1475. lectionem præbuit codex Palmerii, ut Maffeius refert l. 1.; editio vero Regiensis vel ad exemplar princ. expressa, vel ex alio codice descripta videtur; nam pluribus in locis lectionem exhibet a vulgata longe diversam. cf. LXVIII. 46. Tandem anno 1481. Joannes Calphurnius primus omnium majorem habuit curam Catulli, ejusque carmina Vicentiæ edidit. Venetam primam vel secundam iterum excudi curavit; sed eam, ut videtur, ipse bonis codicibus usus, (cf. Santen. ad LXVIII. 43.) multis in locis correxit (cf. lect. carm. 30 et 63. cum cod. Dresd.). In præfatione ad Hermolaum ita scribit: "cum percurrere cœpissem id opus, quod Venetiis impressum est,—tot mendis refertum esse deprehendi, ut longe plura essent vitiosa et depravata, quam quæ emendata. Nullus certe sensus ex his elici poterat. Confestim conveni nonnullos impressores et eos cohortatus sum, ut iterum id opus imprimerent ea correctione quam pollicitus sum. Possum igitur gloriari me non id emendasse, sed vere totum exscripsisse." Equidem totum hunc locum apposui, quoniam valde memorabilis est. Calphurnium sequutus est Parthenius, primus Catulli interpres, qui Brixiensem anni 1486. curavit, et non parum de poëta nostro promeritus est, quamquam ipse suam editionem festinatam appellat. In præfatione loquitur de iis, qui enarrationes discipulis dictatas inique interciperent, sed nihil magis queritur, quam id, quod Catulli liber, quo nullus omnium et in Græcis et in Latinis magis corruptus et mutilatus, a viris doctis obscuritati relictus fuerit. Commentarius pro temporis

ratione satis doctus, multa continet, quæ ad restituendam lectionem genuinam maxime considerari debent; nam auctor ante oculos habuit codices, e quibus pluribus in locis restituit, nisi semper optimam, tamen non plane improbabilem lectionem. Conjecturæ vero a Parthenio factæ postea in Venetas receptæ et a pluribus criticis pro Catullianis habitæ sunt.

Secundus poëtæ interpres fuit PALLADIUS FUSCUS, cujus commentarium edidit Io. Tacuinus, nescio utrum primum in edit. Venet. 1500, an antea seorsim. Opus est admiratione et cura dignissimum, cujus altera pars, quæ ad crisin pertinet, multo præstat alteri, in qua verba explicantur. Nam non solum emendationes exhibet partim ingeniosas, sed etiam codicum lectionem: Palladius enim usus est decem codicibus (vide eum ad 34. 3.). Tamen, quod valde miror, recentiores editores commentarium illum plane neglexerunt, immo ne dignum quidem cognitione existimarunt. Veneta autem anni 1500. ex Venetis 1486. 1491. 1493. descripta, ultima est ex editionibus iis, quæ, præter codices, auctoritatem, pro sua conditione majorem vel minorem, habent in recipienda vel repudianda carminum lectione. At quo diligentius commentariorum, quos commemoravi, auctores rem suam tractaverant, eo levius administrarunt alii, qui exinde Catulli editiones pararunt. Talis vir erat HIERONYMUS AVANTIUS, non mediocris ingenii, sed audax et nimis levis, Parthenii discipulus, et ut arbitror, unus eorum, a quibus Parthenius dicit enarrationes suas inique interceptas esse. Ipse vero Avantius fatetur, se per triennium sub Parthenio in hæc studia incubuisse. Conscripsit emendationes in Cat. carmina 1494. editas a Moravio, repetitas in edit. Venet. 1500; quas tamen non omnes sibi debuit auctor, sed partim Palladio (qui 1483, mortuus est), partim aliis surripuisse videtur. Quodsi sex vel septem locos excipias, reliquos omnes ex ingenio emendavit; in illis paucis codicis antiquioris mentionem facit; in his conjecturas suas notat signo l. vel verbis *quid si legeres*. Haud mirum mihi videtur conjecturas partim ineptas, partim non necessarias ab Avantio excogitatas esse; sed miserandum, eas ab editoribus, iisque recentioribus, tanquam codicis lectiones receptas vel probatas esse. Et ita factum est; nam Aldinam editionem primam codicis instar allegare solent. Hæc vero editio, nescio cujus cura, sed suspicor Aldi et Avantii, Venetiis 1502, edita, fundum habet in editionibus antiquis collatis (non in sola editione anni 1500, ut Heynius dixit); at in eam receptæ sunt interpolationes et correctiones Avantii, Joviani Pontani et aliorum, maximam

partem asteriscis notatæ. Codicem adhibitum esse, nullo loco potui intelligere; nec cognovi, quod Heynius de Tibullo affirmavit, Aldinam secundam prorsus novam esse recensionem. Ipsa quoque continet interpolationes (ut Pontani I. 9, aliorumque XXXVI. 9.) et textum prioris Aldinæ; vd. XVII. 3. XIV. XX. Aldinas vero editiones, quæ non magnam habent auctoritatem, viri docti recentioris ævi in pluribus sequuti sunt, alii auctoritatis specie decepti, alii nulla dubitatione commoti; unde maxime, opinor, negligentia exemplarium nata. Ut difficultatis explicationem evitarent, editores sæpe correctorum nugas recipere maluerunt, quam codices consulere, et investiganda vera lectione sudare. Non ignoro merita virorum doctorum de quibusdam Catulli locis; immo, si plures critici tales, quales eruditione Muretus, assidua diligentia Statius fuit, Catullum curassent, nos, puto, jamdudum legeremus carmina emendata ac correcta; nec me fugit, varietatem lectionis e codicibus bonæ notæ allatam apud Muretum, Scaligerum, Statium, Vossium et alios inveniri; tamen si editores collegissent omnes illas lectiones, una cum iis, quas Columna, Fruterius aliique commemorant, neque in verba magistri jurassent, plurima essent sanata atque ad sinceritatem suam reducta. At non ita illis placuit. Ex quo enim Scaliger Muretum laude, qua dignus erat, summa fraudare sustinuerat, et, sibi suoque ingenio confidens, Statii commentarios inspicere non operæ pretium putaverat, alii qui eum sequebantur, spem Catulli aliquando restituendi omnem amiserunt. Atqui Achilles Statius, quem præ nonnullis recentiorum admirari soleo, commentarium scripsit ex omnibus longe præstantissimum, et ob doctrinam atque eruditionem, qua plurimos locos vel carminibus aliorum collatis vel dicendi usu demonstrato illustravit, et maxime ob varietatem lectionis diligenter adnotatam e decem codicibus. Textum quod attinet, Statius Aldinam, quam sæpissime commemorat, (vd. 34, 3. 61, 23. all. ll.) non peræque ut poterat correxit, nonnullis tamen in locis codicum lectionem revocavit, et plurima aliorum curis reliquit. Ipse de se ita: "In optimis, ait (p. 232.) emendandis auctoribus sine veterum subsidio librorum mihi quidem non licet esse tam diserto (ut verba mutem), nec si liceat, libet." Causam, quapropter Mureti mentio nusquam ab eo facta est, equidem non intellexi; Palladii quoque commentarium non videtur in Statii notitiam venisse. Jam vero lucem obortam alii tenebris suis obscurare cœperunt. Scaliger enim, qui, nisi nimis ingenio suo indulsisset, pro hujus præstantia, plurimum proficere potuisset, invidia

insectatus, omnia, quæ Muretus vel codicis optimi auxilio, vel suo ex ingenio emendaverat et illustraverat, omnino repudiavit, una cum Statii commentaria (quamquam utriusque libros ante oculos habuisse videtur; vd. eum ad LXVIII. 6.); immo in lectione Aldinæ servanda sæpissime acquievit, et præter eos locos, in quibus codicem Cujacii sequebatur, poëtam novis sordibus conspurcavit. Ille non fuit, qui Catullum lepidum ac venustum poëtam emendaret; a gravitate et morositate ejus lepor et simplicitas Catulli plane abhorruerant. Nec opus est exemplis confirmem, quam insulsæ sint plurimæ Scaligeri correctiones, quam male abutatur doctrinæ suæ copia, et quam inepte codicis vitia sæpe defendat. At meliora non facile potuit dare pro spatio temporis, quo commentarium suum conscripsit. Nam deum testem advocans affirmat, ne integrum quidem mensem tribus poëtis, Catullo Tibullo et Propertio, recensendis se impendisse. Equidem non negaverim, a Scaligero codicis lectionem sæpe revocatam esse; sed, quæ ille emendando Catullo perfecit, alius quisque, puto, neque auxilio codicum nec sano judicio, quo interpolatorum nugæ dissipari debebant, prorsus destitutus, perfecisset. Recensionem autem, festinata opera Scaligeri factam et ex vitiosis ac importunis lectionibus Aldinæ primæ collectam, plerique præstantissimam putarunt, et in suas editiones recipere nullo pacto dubitarunt; quo factum est, ut ad nostra usque tempora textus perveniret interpolationibus cujusvis generis refertus, correctionibus ineptis contaminatus, nec firmo certoque fundamento nixus. Nec aliorum studiis Catullus, quem Scaliger nimis audacter oppressit, erectus ac restitutus videri potest. Nam editiones, quas Vossius et Vulpius paraverunt, non putaverim novæ recensionis nomine dignas. Vossius, quamquam optimos codices ad manus habebat, quum quosdam locos optime atque ingeniose emendaverit, tamen tanta audacia in ea re versatus est, et conjecturas tam ineptas adeoque obscœnas recepit, ut Catullus sæpe sibi redderetur plane dissimilis. Qua vero editio ejus aliis præstat, variarum lectionum adnotationi vereor, ut omnino fides sit habenda, quum nomine veterum librorum sæpe designentur editiones antiquæ. Omnino si de emendationibus et illustratione singulorum quorundam locorum dicere voluissem, præter Vossium commemoranda mihi essent nomina multorum, qui de iis bene meriti sunt, doctorum virorum. At loquor de integra, quam editores professi sunt, recensione textus, et mihi persuasum habeo, criticos munus suum, quod industriam ac diligentiam requirit, non nisi obiter et perfunctorie exsequutos esse.

Alii enim hæc tralatitia officia existimabant; alii poëtam turbe annotationum, quibus res et verba sententiarum nexui erepta illustrarentur, involvebant; alii, in constituenda carminum lectione nimis securi, nec metri rationem respicientes, utrum ita Catullus dixisset vel dicere potuisset, necne, plane non quærebant. De *recentissima Catulli editione* non feram sententiam, ne ego juvenis ea, quæ mihi de hoc opere dicenda essent, in virum, qui ipse juvenis illum edidit, doctissimum et munere suo gravissimum dixisse videar. Nec ea, quæ dixi, eo animo disputata sunt, ut virorum doctorum meritis in Catullum aliquid detraherem; sed præmittenda videbantur, ut appareret, quantum superesset in poëta nostro emendandum ac restituendum.

Editori enim Catulli futuro campus lato limite patet. Assiduum studium, magna cura, rerum antiquarum scientia, sermonis auctori proprii et metricæ rationis cognitio, hæc sunt, quæ ad hoc opus perficiendum requiruntur. Quod ad res, quas Catullus enarrat, illustrandas pertinet, eæ sunt maximam partem satis explicatæ, quod quidem facillimum erat. A sententiarum vero recta expositione interpretes sæpius aberrarunt. Nam in Catullo explicando non sufficit profunda eruditio ac doctrina; interpres esse debet ingenio, quale poëtæ nostro erat, venusto et lepido. Plurima reperiuntur in ejus carminibus, quæ magis sensus significatione, quam rationis investigatione probari possunt; quæ tamen non parvi momenti sunt, quum venustatem carminibus vel detrahant, vel restituant. Sed hæc amplius persequi, non mihi proposui.

Ad sententiarum illustrationem ne prius te accinxeris, quam genuinam carminum conditionem restitueris, ac verba auctori vindicaveris. Officium igitur gravissimum editoris positum erit in diligenti et accurata comparatione codicum manu scriptorum. Ac mirum, ne dicam miserabile, videtur, quod a recentioribus editoribus ne ea quidem, quæ in superioris sæculi libris leguntur, observata et collecta sunt. Quâ tamen opera magis subvenissent laboranti textui, quam explicationum ad verba corrupta adjectarum farragine. Interpretatio enim criticæ artis auxilio destituta ideoque incerta et vana non potest difficultates tollere. Adhuc accurate colligenda est lectionis varietas e codicibus Palladii, Guarini (cujus editio an. 1521. pluribus ignota) Mureti, Scaligeri, Vossii (inter quos eminet liber Commelin.), Columnæ, Meleagri (Balthas. Venatoris), Fruterii et aliorum, præter eos codices, qui, a viris doctis nondum descripti, in bibliothecis ex-

stant. Atque antiquissimæ quoque editiones huc pertinere, non opus est ut pluribus demonstrem.

Editorem Catulli porro oportet, fragmenta et verba poëtæ, quæ apud Grammaticos leguntur, et quorum numerus non parvus est, congerere. Grammaticorum enim auctoritate, sæpe codicum omnium graviori, plura loca restitui vel defendi possunt. Id quod editores recentiores plane neglexerunt. Lectionem defendere debebant e. g. LXIII. 88. e Festo LXVI. p. 419. Dac.; quærere utrum carm. I. 2. ex auctoritate Marii Victorini (p. 204. Commelin.) et Terentiani Mauri (de metris p. 2440. l. 24. Putsch) legendum sit *arido*, an secundum Servii (ad Æn. XII.) et Fortunatiani (p. 2676. Putsch.) testimonium *arida*; illustrare debebant e. gr. XCVII. 6. e Festi loco XIV. p. 353. Dac. et IV. 26. 27., genuinam lectionem firmare teste Charisio (instit. gram. III. p. 223. l. 41. Putsch), et sic alia.

Deinde metrorum, quibus usus est Catullus, numerorumque ratio non satis accurate habita est ab editoribus, et quæstiones huc spectantes in pluribus locis inepte institutæ. Inde vero patet, qui factum sit, ut versus non pauci adhuc legantur vel omni metri mensura expertes, vel nomine tantæ licentiæ excusati, cujus culpam nemo Latinorum poëtarum contraxerit. Habet noster quædam propria; ne tamen existima, negligenter eum conscripsisse plurima carmina. Quæ apud alios negligentiæ nomine alias ob causas suspecta sunt, apud nostrum sunt a voluntate profecta, nec a poëta inconsiderato commissa. Severioribus, ni totus fallor, metricis legibus semper se adstrinxit, et exempla Græcorum ita imitatus est, ut ex iis reciperet etiam licentias, quæ non ad seniorum poëtarum carmina exigi debent. Versus suos non conformavit ad leges, quas poëtæ postea, cum ars jam perfectior facta esset, sequuti sunt; attamen versibus non deest elegantia, quod adeo ex iis rebus, quæ minutiæ videntur, intelligitur. Ut pauca afferam, græca exempla sequutus, nusquam duritiem admittit, qua syllaba brevis ante literas *st* alius verbi ponatur. Elisionem in pentametri cæsura, et in fine vocabula trium syllabarum ponere solet, utrumque auctoritate Græcorum, qua multa hujus generis apud Catullum excusari possunt. Quantum vero relictum sit studio ac curæ sospitatoris, Catullo aliquando subventuri, ut etiam ad rhythmorum proprietatem revocetur poëta, id facile cognosci potest ex horrendis lectionibus, quæ in pluribus carminibus adhuc offendunt aures, ut Scaligeri *adsultantis* XVII. 3. *mehercule* XXXVIII.

2. *Ameana illa* XLI. 1. LXIV 178. et alibi. Vd. *Ahlwardt Attis des Cat.* ad vs. 35. et al.

Imitandorum Græcorum studium Catullo cum omnibus fere Latinis poëtis erat commune. Sunt carmina, quæ ad verbum e Græcis traducta esse, ipse fatetur poëta (LXVI. cf. CXVI. LI.); sunt alia in quibus poëtam, nisi Græcorum verba ac sententias expresserit, ita versatum fuisse argumenti ratio ostendit, ut coloribus alienis sua infecisse videatur. Quod tamen Catullus fecit ex more, quo omnes Romani scriptores Græcos habebant magistros, et ad Græca ingenia se prorsus componebant; quamquam nostro non deerant, quæ ad inventionem pertinent, ingenii vis ac celeritas. Liberior vero imitatio vereor, ut pluribus in locis unquam demonstrari possit, quum carmina, e quibus noster multa decerpsisse videtur, præcipue comicorum antiquorum, temporis invidia perierint. De singulis sententiis quæstio est difficilior; quod non sensisse videntur interpretes, facillime eo deducti, ut, quemadmodum apud Propertium, ita etiam apud Catullum comparatione similium sententiarum abuterentur, et poëtam ingenio suo nil debere putarent. Ac non solum Græcos imitatus est Catullus, sed etiam antiquiores Latinos poëtas, et ad horum exempla suam dicendi rationem conformavit. Si integros haberemus Ennii, Lucilii, Nævii aliorumque libros, certior esset res; nunc vero e fragmentis pauca tantum probari possunt. Interpretes vero hæc parum observarunt, et multa, quæ ex Græcorum et Latinorum imitatione explicari debebant, omiserunt. Ut paucis exemplis utar, c. LXVII. 6. defendi debet lectio:

Postquam est *porrecto* facta marita sene.

ubi antiquæ editiones Vicent. Brix. Venett. exhibent *projecto*, quod Parthenius explicat *excluso Balbo*. In codd. Statii et membr. Commelin. optime legitur *porrecto*. Ac ita loquutus est e Græcorum more. Homer. Il. XVIII. 26.

αὐτὸς δ᾽ ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωστὶ τανυσθεὶς κεῖτο.

Cum carmine V. comparandum est id, quod apud Athenæum VIII. 14. p. 239. Schweigh. exstat. *πίνε καὶ παῖζε, θνητὸς ὁ βίος etc.*; versus 18. carm. 68. cum Sapphus fragmento XII. et sic alia. Cf. Rhunkenii præf. ad hymn. in Cerer. p. XII. sq. Ad antiquos poëtas Latinos inter alia multa hæc spectant. Carmine LXXIII. exprimere volebat Ennii apud Cic. de offic. II. 18.

> Benefacta male locata, malefacta arbitror,

vel hoc antiqui poëtæ:

> Beneficia in vulgus cum largiri institueris,
> Perdenda sunt multa, ut semel ponas bene.

Carm. LXIV. 106. Recipi debebat lectio codicum duorum, quos Columna consuluit, et excerpt. Vatican. Ursini:

> Conigeram nutanti vertice pinum

firmata auctoritate Ennii, qui, apud Gellium (XIII. 20.) et Nonium s. v. *cupressus*, ita:

> Capitibu' nutanteis pinos rectosque cupressos;

quocum iterum conferendus est vs. 290.—Vs. 189—191. illustrantur Accii verbis apud Non. de var. sign. serm. p. 307. (in Epinausimach.): " Tamen haud fatiscar, quin tuam implorem fidem."—Carm. LXXVI. v. 20. comparari debet cum Lucilii fragmento apud Nonium s. v. *catax*. Alia infra.

At interpretem Catulli non solum demonstrare oportet, quid ipse suo ingenio debuerit poëta, quidve aliis, sed etiam ad consilium auctoris diligenter attendere, et cujusvis carminis indolem atque ingenium perscrutari, ut accurate cognoscat, quousque argumentum ejus pateat. Nam satis constat, in codicibus carmina legi ita consuta, ut singulis aliena admisceantur, nec partes ullo sensus vinculo inter se conjungantur. Neque ordo, quo se excipiunt carmina, a poëta profectus est. Plura fragmenta, quæ in Grammaticorum libris allegata deprehendebant, librarii carminibus integris adscripserunt vel ob sententiarum similitudinem, vel ob verborum repetitionem. Vd. XIV. 27 sq. cll. cum XVII. 14. L., et alia, quorum nonnulla infra proferemus. Ac quamvis pristina forma carminum ea ratione corruptorum non nisi conjectura erui possit, critici tamen est, indicia facere singularum partium. Quodsi Catulli interpres conjectandi necessitate non abusus fuerit, aliquando puto fore, ut plures tollantur difficultates, et carmina propius genuinam suam proprietatem reducantur. Nec de omnibus locis, quos codicum auxilio expedire nondum licuit, desperaverim; immo credibile est, aliquando libros nostris antiquiores et scribarum erroribus minus depravatos repertum iri.

Varietate lectionis, quam viri docti hucusque e codicibus attulerunt, diligenter explorata, non dubitamus, quin conditio, qua ad nos pervenit Catullus, uni debeatur codici, ex quo alii multi fluxerint, et vitia plurima antiquiora sint codicibus, qui adhuc in notitiam nostram venerint. Vd. infra ad LXVIII. 133. XXI, cf. LXVIII. 137. LV. 21. Carmina Catulli hominibus, qui post eum vivebant, in deliciis erant (ut vel ex æmulatione Propertii, Virgilii, Petronii et aliorum intelligi potest. vd. Statium ad LXVIII. 151.), atque assidue legebantur, cum ob argumenti venustatem, tum propter lepidam poëtæ lasciviam, quâ sæculum illud mirifice delectabatur. Exemplis sat multis hæc probari possunt. At, quod in his rebus fieri solet, non diu abfuerunt interpolationes vel ex imitatione, vel, quum lectores verba poëtæ amplius persequerentur, ex illustrandi arte ac supplendi libidine ortæ. Quæ cum ita sint, equidem vereor, ne nonnulla carmina tota ab aliis poëtis composita et ob simile argumentum Catullianis inserta sint, quod effici potuit eadem ratione, qua ordo carminum ita constitutus est, ut non modo eædem sententiæ in vicinis occurrant, vel res similes exponantur, sed vel sola quorumdam verborum similitudo spectetur. Sic, ut rem exemplis probem, carmen XCVII. sequitur XCVIII. ob verba *crepidas lingere carbatinas* et *culum lingere carnificis;* sic c. LXXVI. excipit LXXVII. ob verba *eripere* et *pestem,* XXIV. et sic alia. Sicuti vero interpolationis genus, quod in Catullo reperimus, aliud est atque in antiquissimis Græcis poëtis, ita via, quæ ad illud explorandum ducit, magis expedita et solida est, nec facile potest ad temerariam emendandi rationem aberrare. Non ignoti sunt illi homines, qui vel sua vel aliunde petita Catulli carminibus addiderunt. Pertinent vero cum ad antiquius, tum ad recentius ævum, quamvis in pluribus locis non accurate internosci possint. Inter illos retulerim Grammaticos, qui vel mutabant singula verba, vel versus novos adjiciebant suo ex ingenio; inter hos, homines sæculi XIV. et XV., qui in similibus aliorum sententiis deducendis et ad marginem adscribendis maxime laborabant, et monachi, qui ut aliorum, ita etiam Catulli carminibus, quæ rem amatoriam tractant, adnotationes, maximam partem libidinosas, addere solebant; unde sæpe mirabilis lectionis varietas. Quodsi ad editiones quoque respicias, tertio ordine commemorari possunt recentissimi interpolatores, ut erant Jov. Pontanus, Avantius et alii.

Catulli codices jam antiquioribus temporibus corruptos et a

grammaticis mutatos esse, luculenter apparet e loco Gellii, qui VII. noct. att. 20. ita: "Catullus quoque elegantissimus poëtarum in hisce versibus (XXVII. 1. sq.) *Minister—ut lex Posth. jubet magistræ ebriosa acina ebriosioris*, cum dicere *ebrioso* posset, &c.—Qui *ebrios* autem Catullum dixisse putant, aut *ebriosos* (nam id quoque temere scriptum invenitur) in libros scilicet de corruptis exemplaribus factos inciderunt." Ad eos vero, qui postea poëtas Latinos interpolabant, referri debet *Seneca*, cujus nomen adscriptum est in Dresdensi codice, de quo infra dicam, ad Tibull. I. 2. 26. II. 3. 17. et 74." Etiam Catullum ab eo interpolatum esse, Vossius ad LXVII. p. 284. e Mediolanensi exemplari demonstravit, ubi adscriptum legebatur *Seneca supplevit*. Quis autem fuerit ille homo, nec Vossius, nec Heynius (præf. ad Tibull. p. 28.) compertum habebat. Præterea Vossius librum manu scriptum Æneidis vidisse se dicit, in quo Seneca priorum quatuor versuum, qui Æneidi præmittuntur, auctor nominabatur, et Lucani codices, in quibus septem primos versus addidisse dicebatur: *Seneca, ut quidam volunt, avunculus Lucani*. Quisquis ille fuerit, vel Florus cognomine Senecæ vocatus, vel alius, ad id genus interpolatorum pertinet, qui serioribus temporibus versus integros inserere, vel ex aliis locis deducere solebant. Catulli vero carmina ampliorem occasionem præbebant interpolationi, quam aliorum omnia, et quidem ob argumenti varietatem. Grammaticos sequuti sunt homines seculi XIV. et XV., quorum operæ nos debemus codices. Interpolationes plures ab his profectæ sunt, ut ante me copiose et egregie probavit (loco LXVI. vs. 33 et 34.) Maffeius in l. l. T. II., nec opus est multa addi. Hujus quoque generis exemplum exhibet Cod. Voss. vs. 21. carm. LXXVI. Ac quem fugiat, monachos libidini suæ indulgentes, quum in viis publicis iis non liceret, grassatos esse in veterum libris tum in Græcis (ut Mosch. II. ult. vs.), tum in Latinis (ut lectio codd. Tibull. IV. 2. 24. correcta)? Catullum etiam conspurcarunt salacia illa ingenia, quibus poëtæ luxuries et lascivia vehementer placebant, ut memorabili exemplo infra explicabo.

Jam vero, quæ hucusque a me disputata sunt, observationibus quibusdam illustrabo, ad quas conscribendas mihi erant hæc subsidia. Præter antiquas editiones Brixiensem anni 1486. Venetas 1493. 1500. Aldinam utramque, Guarini et quæ post eas editæ, consulere mihi licuit Vincentinam anni 1481. Cujus usum mihi *Heynius* pro summa ejus in me benevolentia et pro

humanitate, quam non, ut plerique, specie profitetur, sed animo habet, concessit. In exemplari vero, quod apud me est, manu adscriptæ sunt variæ lectiones, quarum maxima pars litera P. notatur. Ex locis, in quibus plenum nomen exstat, collegi, lectiones ita, ut dixi, signatas, esse Francisci Puccii, et a docto quodam viro, qui et suas addidit, scriptas. Puccius partim e codicibus, quorum mentio in nonnullis locis fit, reposuit lectiones, partim conjecturas suas in margine notavit, quod satis expositum a Santenio in præf. ad Propert. Quis vero fuerit vir doctus, cujus manu hæ adnotationes scriptæ, non ausim affirmare; tamen suspicor fuisse Perreium, cujus emendationes et lectiones ex Aldino exemplari excerpsit Burmannus ad Prop.—Ad Tibulli enim locum II. 6. 45. in meo exemplo hæc adscripta leguntur: *Pontanus necat; forte legi potest: lena vetat miserum recipi furtimque tabellas*, et hæc Heynius ad Tib. ex excerpt. Perreii allegat. Sic etiam ad vs. 13. primæ eleg. Propertii (ad quem duæ tantum adnotationes pertinent) hæc: *Psillei vetustus c. sed lego hyllei;* et hoc e libro Ant. Perreii affert Burmannus ad h. l.—Lectiones Codicis manu scripti, qui in bibliotheca Regia asservatur, describi et mecum communicari jussit *Dassdorfius*, vir. cl., ad adjuvandas literas pro humanitate sua maxime paratus. Idem est liber, e quo lectiones adtulerunt Heynius ad Tibullum, Barthius ad Propertium. Quamquam sub exitum sæculi XIV. exaratus videtur, reperiuntur tamen in eo plures lectiones notatu dignæ et sæpe vestigia corruptionis; sæpius aliorum codicum lectiones sua auctoritate confirmat.

De carminis I. versibus 9 et 10. omnes Catulli interpretes loquuti sunt; at nemo omnium ita eos restituit, ut auctoritate librorum ac linguæ ratione probari possent. Antiquissimæ editiones Vicent. Brix. et Venett. ita exhibent vers. octavum:

Qualecunque quidem, o patroa virgo,

quam lectionem probarunt Puccius, Vossius et Vulpius, mutato verbo *quidem* in *quod*. Aliam lectionem *patrona*, jam a Parthenio commemoratam, Palladius recipiendam censuit. Utra antiquior sit, explorare non potui. Jovianus Pontanus, scriba regius et alii, teste Palladio et Perrei., emendarunt: *qualecunque per ora*

quod virorum; Aldinæ et cum iis aliæ receperunt hanc correctionem ita, *qualecunque quidem ora per virorum.* Lucas Fruterius (in Verisimil. II. c. ult.) eodem fere modo correxit, *per ora vulgi.* Utrumque quam ineptum sit, non opus est pluribus demonstrem. Statius vero, cum in MSS. libris se invenisse dixisset, *qualecunque quod patrona virgo* (ut legitur in cod. Dresdensi quoque), novam emendandi occasionem præbuit viris doctis. Ipse, aliorum correctionibus metri causa rejectis, emendavit, *q. quod est, patrona virgo;* Scaliger levi mutatione lites se componere ex more putavit, scribens, *patrima virgo,* quod a pluribus receptum. Meleager voluit, *quod o Peranna virgo.* Recentissimi editores, nimis securi, lectione *quod o patrona virgo* acquieverunt. *Patronam* vero *virginem* antiquiores interpretes explicarunt *compatriotam meam,* vel, *tuam* (Corneli) *civem.* Attamen aliis, puellæ patrocinio non contentis, deæ videbantur in scenam producendæ, quæ vereor ne machina admotæ sint. Parthenius et Palladius intelligunt *Musam,* poëtarum patronam; alii, inter quos Guarinus et Doeringius, *Minervam patronam;* Scaliger et Vulpius *Minervam patre natam;* Ant. Sabellicus (in annot. ad Plinium. vd. Gruteri Lampas I. p. 162.) *Dianam patroam,* i. e. a patre nominatam; Vossius *Vestam,* cui rerum omnium primitiæ offerantur, Munckerus (ad Antonin. Liberal. c. 40.) vulgatam lectionem defendens, Minervam putat dici patronam, quod opifices et docti sub ejus patrocinio sint, tamen addit emendationem, *perenna virgo.* Equidem hæc enarravi, ne incidam in negligentiæ suspicionem; ineptias pluribus illustrare non attinet. Minervam a poëta invocari posse, non erat, quod multis demonstrarent. At Catullus non potuit eam ita invocare, ut hoc loco fecisse eum putant. Quod unus omnium sensisse videtur Raphael. Eglinus Iconius (qui Catulli casta carmina edidit 1603.) hanc proferens emendationem, etsi non probandam, tamen memoratu dignam; *qualecunque quod est, patrone, per te plus uno* &c. Minerva quod a poëta non nisi incerto nomine virginis designatur, in suspicionem ipsum hoc verbum ducit, nec aliorum exemplis confirmatur. Nam verbum *patrona,* i. e. quæ mihi patrocinatur, ad quamcunque deam vel virginem referri potest. Quodsi enim Minervæ patrocinium impetrare voluisset poëta, certe aliis verbis et accuratiori descriptione usus fuisset. Recte igitur fecisse videntur critici, quum lectionem *patrona* repudiarunt. At epitheton, quod substitui volebant, *patroa,* quid significet, ipsi nondum explicarunt, quamquam Vulpius in lexicis Latinis reponendum pu-

tabat. Græcorum usu verbi πατρῷος probare non licet. Deinde nihil languidius dici potuit, quam versus illi cum antecedenti ita conjuncti:

> Quare habe tibi, quidquid hoc libelli est,
> Qualecunque, quod, o patrona virgo,
> Plus uno maneat perenne seclo.

quod Statium jure commovit, ut aliquid deesse censeret. Denique vero inepta adeo mihi videbatur oratio, ut hoc carmen, quotiescunque legerem, semper mihi excitaret risum. Et poëtam, antea de lepido suo libello nugisque suis satis facete cum Cornelio loquutum, qui aliam quamcunque deam sibi patronam pro ingenio suo electurus fuisset, quam severam illam Minervam, paulo post altius se efferre et Minervæ tutelam, qua libellus æternus servetur, implorare, quis videat sine risu? Verum non ita fecit noster, nec scripsit hos versus. Verba enim *patrona virgo* in codicibus antiquioribus non legi, testes sunt Muretus, qui codice optimæ notæ usus est, et Lucas Fruterius in Verisimil. l. 1, qui ita: *Lacuna in Mss. In Catullo meo (codice) ad marginem: patrona virgo.* Unde patet, Pontanum non voluisse codicis corrupta verba emendare, sed supplere. Quæ cum ita sint, recte cepisse mihi videtur Parthenius mentem interpolatoris, verba illa de puella, sive Lesbia, sive alia, explicans. Plures, ut videtur, in hoc loco interpolando elaborarunt, quorum alius, cum vel carmini aliquid deesse, vel in laudem auctoris aliquid addendum existimaret, ultimum versum adscripsit; qui quidem ad formularum genus pertinet, quod Grammatici in promptu habebant. Quomodo vero prior versus in textum receptus sit, e codicum vestigiis demonstrari potest. Alterum vestigium latet in verbo *quod*, ad vocabulum *quare* in nonnullis libris adpositum (ut testatur etiam excerpt. P.). Scripsisse videtur interpolator, *quod plus uno maneat perenne seclo.* Ut vero v. *quod* ab aliena manu profectum est, ita etiam tritum illud *qualecunque.* Tertius quidam hos sequutus videtur, qui, ut glossema et versus alienus quodammodo conjungerentur, vel in gratiam suæ puellæ, reliquam lacunam, metri ratione non habita, expleret, *quod patrona virgo.* Alterum antiquæ lectionis vestigium, non minimi momenti, cernitur in vs. octavo. Nam in omnibus Codicibus vel desideratur voc. *est* (ut in Dresdensi), vel legitur *quidquid est libelli:* et ita habent editiones Vicent. Brix. et Venett. Qua lectione reposita, et absona illa puellæ imploratione omissa, optime clauditur

carmen ad Cornelium scriptum. Ejusmodi vero carmina, quæ dedicationes vocant, et exordia a Grammaticis maxime declarationis causa turbata atque interpolata esse, jam alii monuerunt.

Alius locus, in quo interpolationem deprehendisse mihi videor, elegiæ est, quam Santenius præstantissimo commentario illustravit. Versus 135—142. male vexabant interpretes, nec Santenio videbantur expediti:

Quæ tamen etsi uno non est contenta Catullo,
  Rara verecundæ furta feremus heræ:
Ne nimium simus stultorum more molesti.
  Sæpe etiam Juno, maxima Cœlicolûm,
Conjugis in culpa flagravit quotidiana,
  Noscens omnivoli plurima furta Jovis.
Atqui nec Divis homines componier æquum est:
  Ingratum tremuli tolle parentis onus.

Quoquo me verti, nullum ab aliis prolatum argumentum inveni, quod meam sententiam de hoc loco everteret; namque incertis vestigiis eorum, qui, quæ explicare non possunt, negligentiæ poëtarum injungunt, minime insistendum duxi. Quæ autem me offendunt, enarrabo, et quidem primo de verbis.

Ea hæc est Catulli elegia, de qua Muretus non immerito ita scripserit: "Pulcherrima omnino hæc elegia atque haud scio, an ulla pulchrior in omni Latina lingua reperiri queat; nam et dictio purissima est et mira quadam affectuum varietate permista oratio,—ut ex hoc uno poëmate perspicere liceat, quantum Catullus ceteris in hoc genere omnibus præstare potuerit, si vim ingenii sui ad illud excolendum contulisset." Quo magis igitur aliis omnibus carminibus hoc præstat, eo gravius languida atque suo loco inepta in eo sensum offendere debent. Equidem vero dubitaverim, an in ullo Latino poëta defendi possit languida oratio, qualis horum verborum consequutione continetur: *Sæpe etiam—in culpa flagravit quotidiana—*, et *furta feremus—plurima furta Jovis—furtiva munuscula.* Pluribus hæc, quæ ad sensum pertinent, demonstrare nihil opus est. Ac poëta debebat scribere *sæpe quidem*, vel *sæpe*, omisso vocabulo *etiam*, ut antecedentibus congruerent verba. Nec minus obstant vocab. *atqui nec*, pro quibus, ut videtur, vel ponendum erat *atqui non* (ut Horat. carm. I. 23. 9.), vel aliquid addendum, quod illis responderet. Sequitur autem versus, qui copula, ob sententiarum diversitatem minime negligenda, non potuit carere. Etenim ea, quæ Santenius ad

confirmandam lectionem *tolle parentis onus* affert, loca aliorum scriptorum apud nostrum, ut quidem nunc legitur, nihil probant; in illis non difficile est intellectu, quo referendum sit verbum *tolle*; in nostro non patet, quibuscum conjungi possit. Pessima igitur verborum structura, quam negligentiæ nomine non excusaverim, inter argumenta suspicionis jure obtinet suum locum. Accedunt et alia. Verbum *quotidiana* metri ratione rejicitur; nam, quod jam Santenius, de significatione dubitans, monuit, prima hujus vocis syllaba semper corripitur, secunda producitur. Deinde vero mirabilis varietas in vs. 141. dubitationem afferre potest de genuina forma. Legitur enim in codd. fere omnibus *flagrantem*, in Datiano codice, qui optimæ notæ est, *hominem et componere.* Auctoritatem igitur codicum in bonis lectionibus hujus loci omnino desideramus. Jam videamus verborum sensum, quem non nisi in singulis percipere, ordine vero, quo se excipiunt sententiæ, et nexu verborum exponere nullo pacto licet. Catullus debebat ac volebat dicere: "quod Lesbia in amore mei unius non acquiescit, ne mihi curæ sit; nam ejusmodi sollicitudo stulti est atque parentis morosi. Immo ipse furtivo amore fruor." Quodsi exemplis et descriptione illustrare hæc volebat poëta, Junonia perfidia tolerata a conjuge erat depingenda. At conspicimus in nostro loco Junonis, ira (non, ut Doeringius vult, amore, ob vs. 141.) flagrantis, et amorem conjugis perfidum graviter ac moleste ferentis, imaginem, quæ quam inepta sit, cum vs. 128. dixisset

Quamquam præcipue multivola est mulier,

ad quod illa respicere debebat, omnino patet. Præterea etsi non ignoro Catullum interdum negligentiæ indulsisse, tamen nunquam adducar, ut putem, eum scripsisse *in culpa flagravit quotidiana noscens plurima furta;* quod sensit Heinsius, et correctione loco succurrere voluit. Ac quo pacto illa descriptio verbis *sæpe etiam* conjungatur cum antecedentibus, vix intelligitur; nec solatium, in quod Doeringius hæc dicta esse putat, cognovi, cum poëta adjiciat:

atqui nec Divis homines componier æquum est.

Omnia vero, quæ interpretes correctionibus expedita putaverunt, versus, quem attuli, rursus mirifice turbat. Nam, vulgarem lectionem sequutus, sententiam habebis verbis ante positis *sæpe etiam* contrariam; nimirum quod dea fecerit, i. e. irasci perfido con-

jugi, hominem non decere. Nisi ex emendationibus Santenii et Eldickii iram Junonis cohibitam intellexeris, demonstrandum erit, cur poëta comparationem hominum cum diis dissuadeat. Ne tamen tibi fingas poëtam tam religiosum, ut deorum artis amandi peritissimorum mentionem caveret. Quæ cum ita sint, cumque locus, de quo loquimur, ad verba eorumque nexum quod attinet, male se habeat, sensum autem incommodum, ne dicam absurdum præbeat, non dubito, quin gravius vulnus carmini inflictum sit, quam quod singulorum verborum correctione possit sanari. Immo vis atque ordo sententiarum, alienis in hunc locum detractis verbis, periisse videtur. Versus 138—141 aliunde petitos, puto, adjecit interpolator quidam, vel, in margine exempli causa adscriptos, in textum recepit. Quibus remotis, locus optime ita legitur:

> Quæ tamen etsi uno non est contenta Catullo,
> Rara verecundæ furta feremus heræ.
> Ne nimium simus stultorum more molesti;
> Ingratum tremuli tolle parentis onus.

Jam vero difficultas etiam, quæ, ut dixi, extremum versum premebat, remota est, et versus ille, quem Muretus aliique spurium putabant, codicum vero auctoritas defendit, recte legitur. Sententiæ orationis nexu non destitutæ et eleganter expositæ sunt. Dicit enim poëta: "Ne moleste hæc feramus ex more stultorum; absit a me sollicitudo, qua severi parentes afficiuntur; remove culpæ curam, quæ solet esse onus parentis, non amatoris (ut recte Guarinus)." Ne vero ultimum quoque versum damnarem, me monuerunt causæ, quibus hæc interpolatio orta, scilicet orationis inversio male intellecta, et imitatio alieni loci. Nisi colore ac specie, quam versus illi suspecti præ se ferunt, fallor, e comici poëtæ aliquo loco huc traducti et ad metri rationem, quam adhuc v. *quotidiana* turbat, mutati sunt. Similitudo versus ultimi cum comici verbis, interpolationis occasionem præbuit. Apud comicum ira Junonis ob furta mariti descripta, et ex persona obloquentis mores hominum commemorati fuisse videntur. Orationis autem, ut hoc loco facta est inversio, non abhorret a nostri poëtæ more, quem alii quoque sequuti sunt. Ita quidem præferendum duco *persolves* Tibull. I. 9. 13. vulgato *persolvet*; ut poeta alloquatur alios, quanquam mutata subinde persona. Vd. Heynium ad h. l.—Quod Catullus dicit *tolle, parentis onus*, recte explicavit Santenius, et locis Ovid. Am. I. 8. 66. Art. Am. I. 718. Juv. VI. 171. illustravit. Verba *tremuli parentis*, quæ Schra-

derus in *queruli parientis* [illegible] perpetuo tenendi, Catulli sunt propria, ut jam monuit Vossius. Vid. LXI. 50. XVII. 13. Accedit, quod furta Jovis inprimis [illegible] ab aliis poetis sunt ita decantata, ut interpolatio facile fieri potuerit. Vid. Ovid. Heroid. XVI. 289. Propert. II. 2. 4.

Carmen vero, de quo loquuti sumus, ejusmodi corruptionibus turbatum esse, alii loci comprobant. In Codicibus nonnullis, quos nominavit Santenius, non legitur vs. 47; in plurimis adjectum est vel Senecæ supplementum,

> Omnibus et triviis vulgetur fabula passim:

vel alius poetæ versus,

> Omnibus inque locis celebretur fama sepulti,

Male cessit opera his poetis, et jure ejectus est versus a Scaligero tanquam Marulli, aut Pontani, aut Guarini commentum. Neque tamen melior est versus minor:

> Notescatque magis mortuus atque magis,

quem non majori suo versu destitutum, immo ipsum quoque ab interpolatore adjectum putaverim. Mirabilis in eo cernitur lectionis varietas. Gudianus unus codex habet *innotescatque*, Leidensis unus *omittitque*, reliqui *notescatque*; Muretus allegat *clarescatque*. Quodsi hunc versum, qui quocunque alio versu conjungatur, post verba *vos porro dicite multis Millibus* etc. magnopere languere, et non nisi explicationi vel simili sententiæ inservire videtur, mecum abjeceris, orationem habebis integram ac bene nexam. Quo facto etiam Codicum lectio vs. 43. *nec* pro vulgato *ne* restitui debet: nam ita loquuntur Latini. In margine adscriptus versus a scriba nimis sedulo in textum facile potuit recipi, cui Seneca, ut lacunam inde ortam repleret, suum versum adjecit; quod eodem modo factum videmus in loco Tibulli I. 2. post vs. 24.

Apertum exemplum interpolationis insulsæ ac stultæ reperitur in ultima stropha carminis LI., cui Lesbiæ nomen falso inscriptum. Iis, qui aliquem litterarum atque humanitatis sensum habent, non multis verbis demonstrandum est, quam inepta sit illa stropha; pannus in purpura positus, ut cum Nævio loquar; eos vero, quorum ex sensu dignitas et majestas conciliatur illis additis versibus, ne longissima quidem oratione meliora doceri posse

crediderim. Poeta omni pulchro ac sublimi sensu destitutus fuisset, si versioni Sapphici poematis, quod exemplum generis sublime dicendi esse voluerunt antiqui scriptores, adjecisset sententiam non solum ipsam insulsam, sed a loco et ab indole carminis plane alienam. Ne ita stultum fuisse Catullum credas, ut suum ingenium ipse illuderet. Omnium, quæ proposuerunt interpretes, explicationum maxime placuit illa Vossii, Catullum otio in adeo tenui re, vertendo Sapphus carmine, diutius abuti nolentem, abrupisse et hoc nomine ultimam stropham addidisse. Quid vero ineptius atque magis insulsum dici possit, equidem nescio. Catullus totum Sapphus carmen eleganter Latinis verbis expresserat, at ultima stropha æque ac versus octavus periit vel incuria librariorum, vel quoniam verba in codice obliterata legi non poterant. Lacuna inde facta, librarius nasutus ac nimis otiosus, ne quid codici deesset, hos versus videtur adjecisse, et occasione esse abusus, qua ipse, in describendo Catullo sudans atque otio poetæ invidens, mentem suam stupidam explicaret. Neque attendit metri defectionem in verbis *Otium Catulle.* Credibile enim est, Catullum iisdem numeris reddidisse carmen Sapphus, quod ita scriptum est, ut epitrito secundo versus incipiant. Hoc uno loco carminis leguntur trochæi (quod, aliorum Latinorum exempla sequutus, semper evitasse videtur poeta; nam e duobus carm. XI. locis, qui habent trochæos, alter cubat in mendo). In his versibus nullam exstare lectionis varietatem, id defensoribus non debebat argumento esse; immo, ut in aliis suppositis locis, recentiorem versuum originem prodit.

Locus est carminis XXV. vs. 5. qui criticorum nasos usque ad obelos exercuit, in quo tamen fere omnes emendandi vel explicandi operam perdiderunt. Mira cernitur varietas lectionis in codicibus, et emendationum farrago tanta est, ut eam enarrare me pigeat. Id tantum monere volui, lectionem editionum nonnullarum, (ut Gryph. 1537. Basil. 1569. Hannov. 1608.)

Cum dira maris hyems aves ostendit oscitantes,

neque codicis neque antiq. editt. esse, ut putant, sed correctionem Guarini patris, qui et hanc proposuit,

Cum diva mulier Laconas ostendit oscitantes.

In Libris MSS. hæc inveniuntur, et quidem in Statii et Dresdensi:

Quam diva mulier aves ostendit oscitantes,

in Guarini Cod. et in aliis Statii,

Cum diva mulier alios ostendit oscitantes.

Vossius ex libro Bibl. Palatin. perquam antiquo affert

Cum diva Maliæ naves ostendit oscitantes.

Quæ in editionibus aliter leguntur, omnia fluxerunt e conjectura, et ita, ut lectio codicum, mensura carent. Neque est, quod de metro verborum quæramus, quibus sensus bonus ac loco aptus non continetur. Verba autem *ostendit oscitantes* maxime mihi sunt suspecta. Oscitantes aves quæ sint, intelligi non possunt: nam quod Gellius IV. 20. dicit, quendam, oscedine laborantem, cum in jure staret, clare nimis ac sonore oscitasse, alia est res, nec cum clamore avium confundenda. Nec commemoratu digna sunt ea, quæ interpretes de halcyonibus (a quibus sereni et tranquilli dies dicebantur), vel de Helena ac Castore et Polluce, vel de nocte, diva muliere alios in somno nobis oscitante, satis inepte hariolati sunt. Scaligeri vero explicatio et correctio, quæ metrum non habet, ita absurda videtur, ut perplexa est. Verbis sensum inesse voluit, quem non continent. Catullo non erat omnino describenda turbida procella, sed rapacitas ejus; at descriptio qualiscunque absona atque antecedentibus parum apta fuisset. Tanta vero lectionis varietas, sensus plane expers, ac metri defectio non alio modo, puto, existere potuit, quam consutis variis verbis, quæ glossatores in margine adscripserant. Ac si quis de hac re conjicere velit, in verbo *oscitans* explicationem deprehendet vocabuli *mihi*, in corruptis literis *cum dia Malliæ* vocabula: *cinæde Thalle*, ad superiorem versum adjecta. Utcunque orta sit interpolatio, codicibus nostris antiquior, versus ille, quo hucusque carmen conspurcabatur, ejiciendus et in eum locum, unde venit, ablegandus videtur; quo facto oratio bene procedit, nec quidquam desideratur.

Carmini LXXIII., quod Catullus in ingratos scripsit, Grammaticus vel librarius aliquis versiculos tam ineptos obtrusit, ut mirum sit, quod interpretes fraudem non intellexerint, adeoque sensus percipiendi causa verba mutarint. Sunt versus 5. et 6. a loco, ubi leguntur, alieni, insulsi atque omni verborum mensura carentes. Ut de argumento, quod verbis continetur, primum loquar, sententia non modo nimis trita est, sed etiam omnis, quo poeta uti debebat, coloris expers. Quisquis ille fuerit, a quo hic locus male tractatus, in suam conditionem vertit epigramma Ca-

tulli, et, quod in ingratos scripsit poeta, in suum fraudulentum amicum scriptum esse voluit. Versus autem tam horribilis atque ingentis formæ, ut sextus est, non modo non scripsit noster, sed nulli sunt. Ac Scaligerum et Vossium jam offenderunt languida verba *ut mihi*, et reponi jusserunt *væ mihi*, quod jam Guarinus affert. Nec minus obstat loquendi ratio *quem nemo gravius urget quam qui.* Missis his versibus, non amplius dubitabis de voc. *pium* vs. 2. quod Gryph. et Tuscanell, edit., nescio quo auctore, mutavit in *tuum;* etenim gratus, accepti beneficii memor, recte dicitur *pius*, ut jam Parthenius monuit; sic LXXVI. 2. Accedunt hæc duo argumenta. Olim legebatur vs. 6. *habet*, ut exstat in Vicentina; hoc ipsum videtur a manu interpolatoris profectum. Deinde Avantius, quem scimus veterem codicem ante oculos habuisse, ita adnotavit. "Ille versus, *Desine de q.* est principium tetrastichii." Quam argumentandi rationem sequuti, expungendos illos versus putamus.—Ad reliqua verba quod attinet, vs. 1. ex uno Statii Cod. et ex vett. editt. omnibus recipiendum est *quidquam;* alii Statii libri habebant *quisquam* et *quemquam*. Vs. tertio secundum MSS. Cdd. et loquendi rationem, deleri debet *est;* neque legitur in edit. Vicent. Brix. et Venett. De vocab. *nihil esse* cf. Cic. in Cæcil. divin. 15. Ultimo versu exhibent recentiores editiones

Immo enim tædet, tædet obestque magis.

quod profitentur esse lectionem Codicum. At non est; nam unico testimonio Cantabrigiensis non fidem habeo. Guarinus vero, quem testem producunt, non affirmat lectionem esse codicum, sed correctionem hanc Aldinæ ei placuisse. Omnes MSS. Statii et Cujacii et edit. Vicent. Brix. Venett. ita:

Immo etiam tædet; stat magis atque magis,

vel *statque magisque magis*. Utrum vero corrigi debeat, an probari, finem epigrammatis periisse, et in recentioribus codicibus lacunam pessimis versibus expletam esse, decernere nondum ausim.

Ad Carmen II.

Vs. I. *Deliciæ meæ puellæ.* Alii in codicibus se legisse affirmant *delicium*. Perperam; nam a Catullo profectum esse voc. *deliciæ*, probare videtur Martial. VII. 14.

Accidit infandum nostræ scelus, Aule, puellæ;
Amisit lusus, deliciasque suas:
Non quales teneri ploravit amica Catulli
Lesbia, nequitiis passeris orba sui.

Quæ de versibus 5 et sqq. critici scripserunt, hic enarrare nimium esset. Varia tentarunt, nec tamen lectiones Codicum ita curarunt, nec conjecturis ad h. l. allatis ita expedierunt difficultates, ut de hoc loco non amplius dubitare liceat. Hæserunt in usu ac diversa significatione verbi *ut* (vs. 7. et 8.); et erat, quod offenderent. Verbis inest sententia satis lepida, quam si recte percepissent interpretes, non ad explicationes absonas adeoque obscœnas confugissent. Equidem, ut quod sentio exponam, omnes puto errasse, cum verba *sui doloris* ad dolorem amoris, quo Lesbia affecta esset, retulerunt. Catullus exprimere voluit hanc sententiam: "Passer, quocum puella mea ludere solet, et ea quidem ratione, ut leviore morsus dolore excitato gravis ardor amoris acquiescat." Quam sententiam eleganter invertit poeta suo more. Scripserim igitur levi mutatione ac interpunctione correcta ita:

———Quum desiderio meo nitenti
Carum nescio quid lubet jocari.
Est solatiolum sui doloris,
Credo, ut tum gravis acquiescat ardor.
Tecum ludere etc.

Vs. 7. et 8. tanquam in parenthesi dicuntur, et respondent vers. 10. In scriptis libris teste Scaligero et in Dresdens. et in omnibus vett. editt. Vicent. Brix. Venett. legitur *et sol.*, quod Aldinæ editionis corrector mutavit in *ut*. Levissimam mutationem voc. *et* in *est* requirit verborum structura, qua similiter usus est poeta LXXXIV. 5: Lepidam ac levem rem, amoris dolorem, dum digitus doleat, considentem, describi, ipsum indicat verbum *solatiolum*. (Cf. Plin. ep. 2. 7. ubi: *solatium doloris*.) Jam vero v. *tum* referas ad morsum passeris, neque explices cum aliis *inter jocandum*. Quod ex Vicentinæ correctione recepimus, *tum—acquiescat*, (cf. Vossium ad h. l.) mutatum videtur in aliis libris in *cum—acquiescet* (ita Dresdens. editt. Vicent. et Venet. 1500.) et a Parthenio in *cum—acquiesset* (ita Brix.) propterea, quod ibi cum sequentibus conjunguntur. De usu vocabuli *acquiescere* vd. Tibull. I. 2. 4.

Pergit poeta:

Tecum ludere sicut ipsa possem.

Ita enim recte legitur in MSS. omnibus Statii, Dresdensi, et in editt. Vicent. Brix. et Venett. Male Ald. I. *secum—ipse*, quam correctionem etiam Parthenius et margo Vicent. commemorant, Avantius e codice affert. In verbis autem *tam gratum mihi* minime hæreas, nec Cod. Dresd. et editt. vett. lectionem *gratum est mihi* recipias, quod Vossius, et Vulpius fecit. Omisit poeta *foret* vel *videtur*, quemadmodum in pluribus veterum locis observavi.

Ultimum versum Avantius ex antiquiore codice ita affert,

quod zonam soluit diu negatam;

quæ lectio non mala videtur. Attamen non dubito, quin recte legatur *diu ligatam*, et illud glossatoris sit. Priscianus enim (lib. I. p. 546. l. 23. Putsch.) ita: " Catullus Veronensis *zonam soluit ligatam* inter hendecasyllabos Phalæcios posuit. Ergo nisi *soluit* trisyllabum accipias, versus stare non potest." Cujus auctoritas non minoris momenti esse videtur atque Avantii codex.

Ad Carm. IV.

Vs. 3. Lectionem codicis optimæ notæ, quo usus est Hieron. Columna (vd. eum ad Ennium p. 143.) memoratu, nisi adeo receptu dignam putaverim. Affert eam etiam Pucc. in edit. Vicent.

Neque ullius volantis impetum alitis
Nequisse præterire.

Quæ verba auctor parodiæ (exstat inter Catalect. Virgilii VIII., et est nostris Catulli codicibus antiquior) ante oculos habuit, ita in suum argumentum componens:

Neque ullius volantis impetum cisi
Nequisse præterire.

In omnibus antiq. editt. legitur *trabis impetum* non *impetum trabis*; quasi, omisso ultimo vocabulo, glossema in textum inculcatum esset. Præterea, quod sententiam meam confirmat, plura hujus carminis verba, ut illa, ex imitatione Ennii fluxisse videntur. Sic

comparari debet cum nostro loco Ennii fragm. Annal. XIV. apud Macrob. VI. 1.

> Labitur uncta carina, volat super *impetus* undas.

Sic cum versu 26. fragmentum apud Cicer. de senect. 5.

> Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo
> Vicit Olympia, *nunc senio confectu' quiescit.*

et cum vs. 20. fragmentum apud Varronem de l. l. IV. p. 19. Bip.

Ad Carm. VIII. 14. 15.

> At tu dolebis, cum rogaberis nulla,
> Scelesta, nocte. Quæ tibi manet vita?

Ut aliorum codd., ita etiam Dresdens. et exc. P. lectio est *nulla scelesta ne te*. Scaliger invenit et defendit *nulla—rere*. Editt. Vicent. Brix. Venett.: *nulli—ne te*. Muretus ex memoria libri veteris (i. e. editionis) affert *quæ nunc, quæ tibi manet vita.* Duæ sunt res, ad quas in his offendi. Primum, quod plurimi receperunt *nulla rogaberis nocte*. Optime enim emendavit Vossius, assentiente Vulpio, *nullam rogaberis noctem*. Ita Latini dicere solebant, *promittere, dare, polliceri noctem*. (Martial I. 107. 4. ad q. l. vd. interpret. Heinsius ad Ovid. art. am. II. 308. cf. nostrum LXVIII. 145.) Deinde Santenius (ad Balbi carmina. vid. liter. Anzeiger. 1801. N. 192. p. 1846.) jure suspectum habet usum verbi *manere* cum dativo, et dicit, exempla apud Sanctium (in Minerva II. 4.) et Heinsium (ad Claud. II. in Eutr. 478.) omnia vel singulari cod. niti, vel explicanda esse per *perdurare*. Equidem nolim grammaticorum lites dirimere, tamen cum lectionis melioris vestigium exstet in except. P. (*quæ te tum*), legi posse putaverim ita:

> At tu dolebis, cum rogaberis *nullam*,
> Scelesta, *noctem*. *Quæ dehinc manet vita?*

Nisi malueris cum Santenio emendare *Quæ tibi imminet vita?* Verba autem *te, me, vos,* sæpe omittuntur, etiam apud prosaicos scriptores. Sic Liv. XXIV. 22: " Periculum ingens manet, nisi paci et concordiæ consulitis."—*Dehinc* ponitur eo modo, quo apud comicos *nunc dehinc*.

N

Ad Carm. IX. 1—2.

Veranni, omnibus e meis amicis
Antistans mihi millibus trecentis.

Dœringius ad h. l. ita: "hæc lectio omnium antiquorum librorum auctoritate munitur." Hoc falsum. Correctio est Palladii et Avantii. L. Carrio (in antiq. lect. II. 19.) refert, in codicibus religiose conservatam esse lectionem *antistes;* ut etiam in Dresdensi, sed crucis nota superimposita. Cujacii vero codex *antistas* (vide Scalig. ad c. LXXVII. p. 87.); item optimus liber msc. Columnæ (vid. eum ad Ennium p. 336). Et retinent editt. Vicent. Ald. I. In Brix. et Venett. correctum *antistes*, quod minime probandum, quia antistitis nomen non nisi de sacerdotibus et præpositis usurpabant. Immo graviori distinctione post vs. 2. facta, reponenda videtur lectio meliorum codicum *antistas*; quæ orationis generi, quo usus est Catullus, abrupto et exultanti, bene convenit. Nec debent hæc ad grammaticorum præcepta exigi, neque interrogatio, quæ sequitur, ipsa requirit participium. Gaudium et amicitiæ sensus comprimere non potuit poëta, quin, priusquam interrogaret amicum, nomini ejus adderet animi testificationem. Ex familiari loquendi usu hæc explicanda sunt, ut plurima apud Catullum. Verba *omnibus e meis amicis Antistas mihi millibus trecentis* eleganter et tanquam in parenthesi dicuntur. Ac Ennius quoque, quem Catullus, ut dixi, sæpissime imitatus est, utitur voce *antistare* in loco Iphigeniæ p. 336. Col:

Plebs in hoc regi antistat loco.

Cf. Quadrigarii fragment. ex Ann. I.: "Simulque virtute ceteris antistabant." Vd. Gifan. Index Lucret. s. h. v. Gellius, VII. 5. IX. 13. Symmachus, epist. I. 1. IV. 20.

Ad Carm. X.

Vs. 3. In Aldin. I. leguntur *Scortillum mihi cum repente*, ita ut conjungantur verba *otiosum scortillum*, quod etiam in Vicent. Brix. et Venett. Utrumque male. E Statii Codd. omnibus et Dresdens., et editt. Vicent. recipiendum est *ut mihi tum repente;* nec tamen ita, ut Statius voluit, explicandum *ubi mihi.* Verbum *tum* eleganter usurpant in narrationibus et confabulantium sermonibus, quod multa exempla apud comicos probant. Sic etiam c. VIII. 6. scribendum est:

Ibi illa multa tum jocosa fiebant.

quemadmodum legitur in libro optimo Commelin. et in editt. Vicent. Brix. Venett.—Codex Dresd. corruptum habet *tamen*. Tibull. I. 8. 45., ubi e codd. restituendum *tum*.

Vs. 4. reponas mecum *neque invenustum* e codd. et editt. Vicent. Brix. et Venett.

Vs. 8. Hoc loco probari potest, quam inconsiderate rem tractaverit Scaliger. Antiquarum editionum lectionem dicit *Et quantum mihi profuisset ære?* quæ correctio est Aldinæ I. asterisco notata. Statii MSS. omnes, et membr. Palatin., ut etiam editt. Vicent. Brix. et Venet., *et quonam;* Vossii Codd. *qm.* vel *quoniam*; item Dresdens. Vossius male mutavit *Et quanam mihi profuisset ab re?* Genuinum verbum e variis lectionibus eruisse mihi videtur Statius, corrigens, *ecquonam mihi profuisset ære?* Sic infra Catullus: ecquidnam in tabulis patet lucelli "Expensum?" XXVIII. 6.—Cic. Part. orat. 14: "ecquonam modo, ecquonam loco artis indigent."

V. 9. Verba, quæ vulgo leguntur, *nihil neque ipsis* non sunt e codicibus sumpta, sed orta ex conjectura Avantii. Statius in omnibus Codd. invenit corruptum *neque in ipsis*. In Dresdensi legitur *neque nec in ipsis*. Editt. Vicent. et Brix. habent *mihi nec ipsis*. Avantii correctionem recepit Venet. 1500., Ald. vero ita *nihil neque ipsi;* probavit Guarinus cum aliis. Vossius e libro Commelin. recepit *nihil met ipsis;* unde horribilis recentiorum quorundam editionum lectio *nihil neque ipsis — Met prætoribus*. Equidem, ne elegantia et verborum lepor pereat, recepto voc. *mihi* (nam dissimulat Catullus, sibi nihil esse), ita legendum putaverim:

> Respondi id quod erat: sibi neque ipsis,
> Nec prætoribus esse etc.

Ipsis, intellige *incolis*, Bithynis, ut jam docuit Parthenius. Liv. VI. 30: "Setiam, *ipsis* querentibus penuriam hominum, novi coloni adscripti." cf. Plin. ep. I. 10. 6. Vocabula *ibi* et *in* et *mihi* ut omnino literæ *b. d.* et *h.* sæpe in MSS. confunduntur. Qua ex commutatione vitium ortum est carm. XCVIII. De verboso et fatuo loquitur poëta:

> Si nos omnino vis omnes perdere, Vetti,
> Dicas: omnino quod cupis, efficies.

Ita edidit Doering. cum aliis, sed male; nam comprobare debe-

bat aliis exemplis, v. *dicere* eo sensu poni posse, quo sit *exercere linguam*, vel *loqui*. Sua propria conditione differunt *loqui* et *dicere*. Sic recte legitur *dicere* Martial. 7. 92. At in omnibus codd. et antiq. editt. exstat *discas*. Nec dubitari potest, quin Vossius optime correxit,

Hiscas: omnino quod cupis, efficies.

Nonius Marcell. de honestis etc. (p. 120. Merceri): *Hiscere* est proprie *loqui*. Accius *Armorum Judicio*: "Hem vereor plus quam fas est captivum hiscere." Ut omnes perderet Vettius, os impurissimum modo aperire debebat; hoc jam sufficiebat. Cf. de voc. *hiscere, conatum loquendi* magis quam *loqui* significante, Prop. III. 3. 4. II. 31. 6. cf. Ovid. Heroid. VI. 144. In ejusdem epigrammatis primo versu, ut hæc addam, revocanda est antiqua eaque elegantior lectio Cod. Cujacii, Vicent. Brix. et Venett., *in te si quidquam*; quod Ald. I. et post eam fere omnes correctum ab Avantio receperunt *In te si in quemquam*. Dicit poëta salse atque ingeniose: "Si quid est, quod in te dici possit, (quod scio, quam indignum sit commemoratu), id est, quod dicitur verbosis." Amat vero Catullus hanc loquendi formulam. vd. c. XCVI. CII.—Vocabulum *ibi*, de quo loquuti sumus, jure restitutum est loco Martial. III. 38. 10. pro *tibi*.

V. 13. Præsertim, quibus esset irrumator
Prætor, nec faceret pili cohortem.

Hæc non in codicibus leguntur, quamquam Doeringius affirmavit; est Avantii emendatio, in Aldin. I., et inde in alias recepta. Cujacii liber et codex Dresdens. nec non editt. Vicent. Brix. Venet. exhibent *non facerent*. Quod revocandum videtur, mutato *non* in *nec*. Sententia hæc est: "nihil esse præsertim iis, quibus prætor esset irrumator, et qui, suis libidinibus indulgentes ac luxuriantes, cohortem non pili facerent, non curarent." Verborum vero constructio Latinis usitata. Sallustius eodem modo Jug. 101.: "Cum peditibus, quos Volux adduxerat, neque in priore pugna adfuerant." Tacit. Annal. XIII. 41.: "eoque oportere dividi sacros et negotiosos dies, quis divina colerentur, et humana non impedirent."

Vs. 14. Ac certe tamen, inquiunt, quod illic
Natum dicitur esse, comparasti
Ad lecticam homines.

Avantius ad h. l. Potes, ait, legere *ære comparasti* et *esse comparasti.* Quamquam vero Statius dicit, se in Codd. reperisse *natum dicitur esse*, revocaverim tamen lectionem Cod. Dresdens. et, ut videtur, aliorum, nec non editt. Vicent. Brix. Venet., quam etiam servarunt Ald. I. et Guarin.

——— quod illic
natum dicitur, ære comparasti.

non solum elegantia, sed etiam sensu præstantiorem. Nam v. *esse* glossematis speciem præbet, nec, cum recipitur, patet, quo reliqua referenda sint. Dicunt vero Latini proprie *ære comparare* vel *parare*. Sic Sallust. Jugurth. 34.: "Servi *ære parati* injusta imperia dominorum non perferunt." Similiter Plin. h. n. XXXVII. 7.: "Nero vicit omnes, trecentis talentis capidem unam *parando*." Columell. de re rust. IX. 1.: "examina *ære parta*." Corn. Nep. Attic. 13. 4.—Sabellicus (vd. Gruteri Lampas T. I. p. 163.) et alii ante eum, male scripserunt *hominum;* Avantius correxit. Quod autem ad sensum adtinet, a vero aberrasse mihi videntur interpretes, facetias orationis non sentientes. Alii (ut Scaliger, Gronovius de pecunia vet. c. 17., Doeringius) æs negotiatione quæsitum intelligunt; alii (ut Vossius, Vulpius) de lecticæ inventione, unde res in Bithynia nata dicta sit, cogitant. Quodsi illud poëta voluisset, non addidisset *dicitur;* sin vero hoc, alio modo scribere debebat. Præterea si quis e loco Ciceronis, quem præeunte Popma, excitat Vossius, inventionem et usum lecticarum primum ad Bithynos referendum existimet, nobis liceat eodem jure ad Syros, vel ad Cappadoces referre, secundum Martial. IX. 3. et IV. 77. At Bithynis, æque ac Syris et Medis et Mœsis lecticæ usus erat communis. Quæstio videtur de lana caprina. Quod vero Græci usuram et pecuniam e mercibus factam nominabant τόκους (vd. Intpr. ad Aristoph. Nubes 18. et Spanhem. de usuris p. 581.), id non facit ad illustrandum nostrum locum; neque æs, quod illic natum dicitur, poni poterat pro eo, quod ibi lucratus esse *tu diceris.* Aliam explicationem circumspiciens, probabiliorem hanc reperisse mihi videor. Vocabula *natum æs*, æque ac *gigni* propria erant rei metallicæ. De voc. *gigni* vd. exempla apud Plin. XXXIII. 21. *Natum* vero dicebant æs, quod purissimum effoditur, et ab ipsa natura factum videtur. Sic Agatharchides, qui multa de fodinis ac re metallica tradit, in fragmentis libri de rubro mari: οὐ συντηκόμενον μετ' ἐπιστήμης καὶ τέχνης ἐκ τοῦ ψήγματος, ἀλλὰ τὸ αὐτόματον, non arte eli-

quatum, sed ipsum natum. Sic Plin. h. n. XXXV. 15. Rubrica *nascitur* et in ferrariis metallis. (cf. Plin. XXXIII. 2.: eruitur aurum—non *natura*. XXXVII. 3. *non arte* sed *sponte naturæ*.) Eodem modo e montibus dicitur æs fluxisse, et reclusa metalla sponte oblata esse, ut Lucret. V. 1254. sq.

> Manabat venis ferventibus in loca terræ
> Concava conveniens argenti rivus et auri,
> Æris item et plumbi.

Nec deerant fabulæ, quibus terrarum loca, rerum pretiosarum et copia et proventu æris abundantia, ita fingerentur, ut in iis aurum et argentum ad usum jam idonea nascerentur. Inter has fabulas ea, quam de insula Cypro plures veteres scriptores narrant, maxime digna est memoratu. Aristoteles, ut uno eoque antiquiore teste utar, in libr. de mirabil. auscult. c. 45. p. 87. Beckm. ita narrat: *Φασὶ καὶ ἐν Κύπρῳ περὶ τὸν λεγόμενον Κούριον* (ex emend. Meursii) *χαλκὸν ὅμοιον γίγνεσθαι· κατακόψαντες γὰρ, ὡς ἔοικεν, εἰς μικρὰ, σπείρουσιν αὐτόν· εἶτα ὑδάτων ἐπιγενομένων, αὐξάνεται καὶ ἀνίεται καὶ οὕτως συνάγεται.* Et c. 45. p. 87. *Περὶ Παιονίαν λέγουσιν, ὅταν συνεχεῖς οἱ ὄμβροι γίνωνται, εὑρίσκεσθαι, περιτηκομένης τῆς γῆς, χρυσὸν τὸν καλούμενον ἄπυρον.* (Cf. c. 42. p. 85. ubi *Φύειν χρυσόν*. et 49. p. 92. *γένεσις σιδήρου*.) Inde dicitur etiam *aurum liquidum*, pro *ramentis aureis* iisque *puris*. vd. Valer. Flacc. VI. 710.; aurum apyron. Similiter de sulphure puro Plin. XXXV. 50.; *vivum*, quod Græci apyron vocant, *nascitur solidum*. Sed satis exemplorum. Propria verba, quibus artis periti utebantur, ut sæpe in communis vitæ sermonem abierunt, ita hic quoque factum videtur, eoque magis, quum vulgus fabulis delectetur. Facile igitur, quum terram aliquam vel argento et auro fertilem (ut Plinius loquitur), vel divitiis abundantem describere volebant, eam vel patriam æris et argenti nominare vel dicere poterant, æs ibi nasci vel natum esse, i. e. sponte naturæ provenire. Quod etiam in nostro loco Catullus satis eleganter et ingeniose fecisse mihi videtur. Etenim puella: "At certe, inquit, ære, quod in iis terris ipsum natum dicitur, homines ad lecticam comparasti." Bithyniam vero, cujus prætores luxuria et lascivia ita diffluere solebant, ut plerique, Memmius Gemellus æque ac postea Cadius Rufus et Tarquinius Priscus repetundis damnarentur, provinciam fuisse opulentissimam et metallis fœcundam, pluribus veterum locis probari potest, et urbium nominibus

inde deductis (ut Chrysopolis, Chalcedon) significatur. Vd. Solini Polyhistor. c. 44.

vs. 17. ut puellæ
unum me facerem beatiorem.

Ita recte legitur, ut est in omnibus Statii MSS., in Cod. Cujacii et Dresdensi et in editt. Vicent. Brix. et Venett.—Aldinæ lectio *beatiorum*, a Scaligero jam oppugnata, conjectura est Avantii. Sic infra dicitur *unus caprimulgus*. XXII. 10. *Unus beatiorum* esset i. q. unus vel solus ex beatis ut I. 5.; quod poëta noluit. Vd. nos ad XXII. Optime vero hunc locum illustrat Plaut. Asin. II. 2. 84.

vs. 19 ———provincia quod mala incidisset.

Hoc quoque ab Avantio profectum, et in Aldinam receptum est, unde in alias migravit. Postea Statius in Maffei libro idem invenit *quod mala*, in reliquis vero Codd. *qui mala*. Ipse emendavit, *quam mala*. Editt. vett. Vic. Br. et Venett. *quæ male*, quod etiam Guarinus commemorat.—Perei. adscripsit *si mala*. Dicunt Latini *quum* (i. e. *quamquam*)—*tamen*, vel hoc omisso. Sic Cic. p. Milo. 35. et all. ll. Quod, cum in Codd. *qui* et *qm* facile commutari potuerint, fortasse etiam hoc loco recipiendum, ut sic legatur *quum mala incidisset*. De verbo *incidere* cf. Prop. I. 15. 28.

vs. 25. Quæso, inquit, mihi, mi Catulle, paulum
Istos commoda, nam volo ad Serapin
Deferri.

Ita legitur in omnibus MSS. Statii, Commelin. Palat. Membr. et Papyr. in Dresdens. et in edit. Vicent. Brix. et Venett., quod metro laborans jam editores Aldinæ mutarunt *istos commodita, volo.* Idem tentavit Guarinus pater, rejecit Statius. Scaliger, ut metro consuleret, scripsit *istos, commodo nam volo*, quod plures receperunt. At quam male consuluerit, Doeringius satis declaravit. Guarini mutatione vocabulum a Latino sermone alienum introducitur. Quæ Vossius de ultima correpta verbi *commoda* dicit, nugæ sunt. Conjecturam vero, quam Doeringius protulit *paulum istos, commode*, intelligere vix posses, nisi auctor explicationem addidisset hanc: "quæso, mihi paulum istos, note mihi liberalitate tua; vel, tu qui commodo tempore jam me con-

venis." At vide, ne utrumque ineptum ac falsum sit; quod dici potest fere de omnibus emendationibus, quarum in verbis duplicem vel adeo multiplicem sensum inesse volunt critici. Contorta existit oratio, si legis *commode* i. e. *tu commode;* nec aptus sensus inest. Nam *commodus*, altero significatu, quem primum proposuit, dici potest *amicus* (ut in allato Horatii loco), sed eo nomine Catullus non potuit appellari a scortillo isto Varri. Altero vero significatu, ut sit, qui *commodo* et *opportuno tempore* me convenit, tam absolute poni et allocutioni inservire usquam posse comprobandum erat. Nec placet positio verborum. Equidem, cum a codicibus auxilium petere non liceat, et sanatio loci conjecturæ relicta sit, ita scribendum putavi:

> Quæso, inquit, mihi, mi Catulle, paulum
> Istos. Commodùm enim volo ad Serapin
> Deferri.

Quod ad verbum *istos* reticetur *cede* vel *mutua*, non indiget explicatione. Satis notum est, verba dandi, ferendi et mittendi sæpe, præcipue in vulgari sermone apud comicos omitti. Sic noster LV. 10.: "Camerium mihi pessimæ puellæ." Virgil. Georg. III. 513.—C o m m o d u m est opportuno tempore, eodem tempore, in tempore; nostrum *eben*. Sic Plaut. Stichus II. 3. 40.

> ——postquam me misisti ad portum cum luci simul,
> Commodum radiosus ecce sol superabat ex mari.

Mercat. I. 2. 106.

> Si istac ibis, commodum obviam venies patri

Terent. Eun. II. 3. 51.

> Illa sese interea commodum huc advorterat.

ubi Donatus explicat *ipso eodemque tempore*. Adde locos Gellii noct. Attic. II. 2.: "sectatoribus commodum dimissis." Apulei. Metam. init. Cic. ad Attic. XIII. 19. X. 18.—Quod denique ad vocabulum *enim*, id eleganter inseritur ejusmodi orationibus vel ironice vel jocose expressis, quas non tam graviter, ut alibi, intendit. Tunc idem est, ac *videlicet*, quocum etiam sæpe conjungitur, ut apud Cicer. II. Catil. 4. §. 12. ubi Ernesti male delebat. Cic. Brut. 84. II. Verr. 55. §. 137. Plaut. Bacch. IV. 4. 51. Unde formula *quia enim*. Sic Terent. Heaut. I. 2. 14: "Qua-

propter ? Cl. *quia enim* incertum est, etiam quid se faciat." Plaut. Curc. III. 79. Truc. II. 2. 11.—Codicum vero scriptura *commod-enim* facile potuit transire in *commoda nam.*

vs. 27. mane, inquii puellæ;
Istud——

Ita edidit Doeringius, metri ratione non habita. Nec melius legitur in antiq. editt. Brix. et Venett. *mane tum inquio*, in Vicent. *mane tum inquam.*—Ald. I. correctum habet *minime*, ut etiam Meleager conjecit. Guarinus pater legi voluit vel *Ferri; mane, inquio*, quod filius recepit; vel *ferri; mane mane, inquio*, ut sit *alterum mane* i. q. cras. Utrumque male.—In omnibus Codd. Statii, Cujac. Vossii, Commelin. Palatin. Membr. et Papyr. et Dresdens. *mane me inquit*, quod jam ante Parthenium mutarunt in *inquii*. Est oratio perturbati ac confusi; quare voc. *me* non παρέλκει, ut suo more dicunt interpretes, sed legendum est:

Mane, me—inquii puellæ,—
Istud; quod modo dixeram me habere,—
Fugit me ratio.

Vocabulum *m a n e* nullo pacto sollicitandum. Eodem modo adhibet Plaut. Mil. V. 10.; noster verbum *cave*, ultima brevi L. 19. LXI. 152.

vs. 32. —quam mihi pararim.

Confirmant hanc lectionem Codd. Statii et Dresd. Antiq. editt. Vicent. Brix. et Venet. *pararem*, quod ipsum non male, sed ex more Latinorum dictum. Guarinus, ut videtur suo ex ingenio, *p a r a s s e m ;* male. Imperfecta enim ita ponuntur non loco plusquamperfecti, ut multis exemplis probavit Nagel in actis Soc. Traject. T. IV. p. 275., sed propria sua significatione, vel ut Græcorum imperfecta. (Vd. Leipz. Littz. 1807. n. 111.) Sic recte legitur Cic. II. Catil. 4. 13. *pararet*, quem locum optime illustravit Goerenzius. Sic Tacit. Ann. XIII. 9. recte: " priusquam ipse, dux bello delectus, spes ejus ad metum *mutaret ;*" ubi male Ruperti conjecit *m u t a s s e t.*

vs. 33. Sed tu insulsa male, et molesta vivis

Quod Aldina I., errore ut videtur typographi, exhibebat, in exempla post eam edita fere omnia receptum est. Vossius jam animadvertit, si ita legeris, corrigendum esse, *vivas*, ut commodus

[illegible] existat. Pucc. correxit, nimis molesta es. Revocamus igitur bonam lectionem antiqq. editt. Vicent. Brix. et Venett. (unde Guarin.)

Sed tu insulsa, mala et molesta vivis.

Sic Plaut. Trinum. II. 2.: *lepidus vivis*; quod Dousa allato nostro loco recte explicat. Amphitr. prol. 75. Tibull. II. 6. 53.: *satis anxia vives* (ita legendum). Lectio Codicis Dresdensis ipsa non mala, vereor ne correcta sit, *male ac moleste vivis*; ut carm. XIV. 5. ubi falso legitur *malis* pro *male*.

Ad. Carm. XII.

vs. 8. ——est enim leporum
Disertus puer ac facetiarum.

Præferendam puto aliam lectionem, quam Guarinus codicis auctoritate, ut ex verbis ejus apparet, defendit, quamque exhibent antiquissimæ editt. Vicent. et Brix.: *est enim leporum Disertus pater ac fac.*—*Pater leporum* et *facetiarum* dicitur ita, ut infra XXI. 1. *pater esuritionum*; apud Petronium c. 132. *pater veri*, et similiter apud Prop. II. 32. 38. *pater chori.*, vd. Barth. ad Stat. Thebaid. III. p. 815. Est igitur quasi *leporum* et *facetiarum auctor*, vel *præses*. De voc. *disertus* cf. Terent. Eun. V. 7. 10.—Verba *per* et *puer* et *pater* sæpius confundi (scribuntur enim in MSS. *pr.*) probat locus Taciti (Ann. IV. 28. 1.) non uno modo ab aliis, nimis audacter a Ruperto emendatus. Utique legendum est: "Ab exsilio retractus, illuvieque ac squalore obsitus, et tum catena vinctus pater, orante (*pro* perorante) filio, Præparatus adolescens multis munditiis" etc. *Orante* filio, i. e. *causam dicente, agente*. Dialog. de orat. 6. 6. An. XI. 5. 3. XIII. 6. 1. Hist. I. 90. 3. *Præparare* proprie usurpatur de iis, qui causam dicunt, (Senec. controvs. II. procem). Et munditiis atque externo cultu capere voluit adolescens favorem. Eleganter vero repetit verba *pater* et *filius*, in miseriæ et sævitiæ exemplo tam atroci.

vs. 15. Hæc amem necesse est,
Ut Veranniolum meum et Fabullum.

Elegantiam loci non percepisse mihi videntur, qui ita correxerunt. Codicum quorundam, teste Palmerio (in Spicileg. vd.

Gesneri Lampas T. IV. p. 802.), et editionum antiqq. Vicent. Brix. et Venett. (Ald. I. quoque in priori verbo) lectio est:

Hoc amem necesse est
Et Veranniolum meum et Fabullum.

Codex Dresdens. *Hic* amem, *Et* Veran.—Correcto verbo *ut*, necesse erat reciperetur etiam *hæc*, quod Guarinus primus probavit, Statius in codd. repertum dicit. Tunc enim non linteum solum, sed sudaria quoque intelligenda erant. At multo præstat codicum, quam attuli, lectio. *Hoc* non est i. q. *ea gratia*, ob hoc munus, in gratiam muneris, quod non dixisset Catullus, sed i. q. *in eo;* hoc munere mihi amandi sunt amici; quemadmodum nostri poëtæ dicunt, *einen in einer Sache lieben*. Eodem modo Cic. (ad Attic. IV, 16.) *in eo* me valde amo. Et Catull. XIV. 3. munere isto odissem odio Vatiniano. Ita explicandus est locus Virgil. (Æn. IX. 94.) quid petis istis?

Ad Carm. XIII. 9.

Sed contra accipies meros amores.

Ex duabus lectionibus, quæ jam ante Parthenium exstabant, editores elegerunt deteriorem. Ita enim, ut scripsi, legimus versum in edit. Ald. I. Muret. Vossii, Vulpii, Doering. et al.—Muretus de *unguento* ipso intelligit; Vossius eum sequitur et explicat *meram suavitatem*, allegato Horatii loco (epist. II. 288.), qui huc plane non pertinet. Nec probari potest Doeringii interpretatio, " quidquid amorem meum probet spiretque, luculenta voluntatis meæ et placendi studii signa." Ex his non satis intelligitur, qui sint meri amores; nec *amores* dicuntur, generali notione, vel, ut vocant, abstracto sensu, pro amore, vel amoris testificatione. Sive pro *unguento*, sive pro *amore* dictum accipias, non extricabis sensum commodum ac verbis Latinis congruum. Antiquissimæ editiones Vicent. Brix. et Venett. (quod etiam, ut videtur, legebatur in Statii codd.) habent *meos amores*. Revocandum hoc arbitror. Ac ita loqui solet Catullus de puero suo, vel de puella. XV. 1. VI. 16. Valer. Flacc. VI. 268. 121. Hoc loco intellexerim " puerum, cujus suavitati atque elegantiæ opponitur unguentum a puella donatum;" nam ipsam puellam Catullus non concessisset amico. Nec obstat, ut Doeringius putabat, sequens particula *seu*, quæ eleganter ponitur pro *sive*

citur; nec mutari debet *quid* in *quid*. Ut bene ac concinne procedat oratio, scripserim:

> Sed contra accipies meos amores,
> Seu quid suavius elegantiusve;
> Nam—

Est in fine versuum sæpissime interpolatum esse, satis constat, et alio loco comprobabo.

Ad Carm. XIV. 8.

> Quodsi, ut suspicor, hoc novum ac repertum
> Munus dat tibi Sulla litterator.

Critici nonnulli, quum non intellexissent, "quid sit novum ac repertum munus," varias apposuerunt vel receperunt emendationes. Omnium pessime Vossius r e f e r t u m. Doeringius, qui vestigia Vulpii premere videtur, positum putat pro "excogitato, exquisito." Servandum est voc. *repertum*. *Reperio* fit a *pario*, et *repertum* dicitur, quasi *repartum*, atque in lucem editum, eodem modo ac c o m p e r t u m. Cic. de fin. III. 1. *parere verba*, i. e. nova fingere.—Lucret. III. 420:

> dulcique *reperta* labore
> digna tua pergam disponere carmina vita.

Eodem fere modo Plaut. Capt. III. 4. 86:

> Tu enim *repertus*, Philocratem qui superes veriverbio.

Cæcilius in Epistola apud Priscianum:

> Nam novu' quidem deus repertus est Jovis.

In Dresd. Cod. pro *ac* legitur *et*; non repugnarem, si plane abesset copula.

Ad Carm. XVII.

> O Colonia, quæ cupis ponte ludere longo,
> Et salire paratum habes.

Vossius, et qui eum sequutus est Vulpius, pro *longo* ediderunt *ligneo*; placuit etiam Doeringio. At a sensu satis eleganti verborum longe aberrarunt. Nec argumento uti debebant, quod in sqq. dicitur *ponticulus*. Etenim Colonia in votis habuit, ut lon-

quin ponte spectacula ederentur, quod in ponticulo infirmo, qui ibi erat, fieri non potuit. Catullus igitur Coloniæ promittit bonum pontem, quo vel Saliorum sacra suscipiantur, i. e. satis longum ac firmum. Recte legitur *longo*, quod omnes Statii codd., Dresdens. et omnes vett. editt. exhibent. Corruptum *lædere* omnium Codd. et vett. editt. jam Perrei. mutavit in *ludere*.

Verba *et salire paratum habes*, quibus male intellectis orta est lectio *quem cupis*, non nisi ex loquendi ratione, Græcis usitata, explicari potest. At Latini quoque poëtæ utuntur ea infinitivi constructione, qua tamen infinitivus non substantivi nominis (h. l. accusativi) vice ponitur, ut a Grammaticis satis expositum. Quæ Vossius affert exempla, rem non illustrant. Meliora hæc. Ut aliis in locis *paratus amare* XLV. 4. et *tentare parati* XI. 14. Catullus dicit, et Horatius *paratus subire*, aliaque hujus generis, ita simili ratione *paratum habes* i. e. paratus es *salire*. Plaut. Pœn. I. 2. 100: "At ego amo hanc. Mil. at ego esse et bibere."— Propert. I. 1. 12.

vs. 2. Sed vereris, inepta,
Crura ponticuli adsulitantis irredivivus,
Ne supinus eat, cavaque in palude recumbat.

Non minus aberrarunt a vero, qui verbum *inepta* retulerunt ad Coloniam. Conjungenda sunt "inepta crura," i. e. non satis conjuncta nec firma; nam proprie ita dicuntur. Aptis rebus opponuntur etiam dissolutæ (Cic. de off. I. 35. Apulei. de Mundo 20. apta et revincta), et conjunguntur cum rebus connexis (Cic. part. orat. 39.).—Tertium versum e conjectura Scaligeri recepit Doeringius; jure repugnavit Vossius. Mss. Statii omnes *Crura ponticuli ac sulcis tantis inredivivus*, in quo vitium inesse, et metri et sensus defectione intelligitur. Nam sensus, quem ex illa lectione extricare studuit Doeringius, non solum durus esset atque ineptus, sed ne verbis quidem congruus. Quo modo vero Cicero dixit (orat. de harusp. resp. 23.) "posteaquam—emergere auctoritatem e fluctibus illius servitutis, reviviscere memoriam videt,"— eo modo non potest commode dici "ponticulus ex sulcis tantis irredivivus," quasi hoc sit i. q. *irrevocabilis*. Præterea libri plerique exhibent *ac*, non *ex*, ut Doering. putat. At metrum quoque obstat, quod satis argumenti est. Cujus ratione etiam correctio Scaligeri rejicitur; nam versus Priapeius ad asynartetos pertinet, de quibus vid. Hermannum Comp. art. metr. §. 425.—Dresdens. codex hanc præbet lectionem: *Crura ponticuli ac sulci tantis.*

Antiquæ editt. Vicent. Brix. Venett. Ald. I. Guarin. et aliæ correctum, *sub his totus*, nescio quo auctore. Statius emendavit ita, *Crura p. assulis tantis irredivivus ne supinus eat*, et explicat "ne tantus homo tamque vastus ex assulis eat irredivivus." Male. Magis ingeniose Vossius, *ponticuli assulis stantis*. Equidem hunc locum ita expediendum putarim, et codicum vestigia sequutus, una litera mutata, scripserim;

> ——sed vereris inepta
> Crura ponticuli, assulis tactis, irredivivus
> Ne supinus eat.

Assulæ (diminitivum a verbo *assis* vel *asser* deductum, et a poëta nostro in re vili et contempta adhibitum) dicuntur tabellæ, sectiles, tigilla (LXVII. 39.), sudes, *Breter*, *Spaene*, (asseres lecticariorum, Sueton. Calig. 58.). Plaut. Merc. I. 2. 20. cf. Captiv. IV. 2. 52. Tangi ponticulus dicitur pedibus (cf. LXIII. 2. XI. 24.), ut fores manibus (Plaut. Mostell. II. 2. et all. ll.).—Quod in Dresd. Cod. et lib. Commelin., nec non in edit. Vicent. legitur *in redivivis*, ortum est ex vocabulorum male acceptorum separatione.

> vs. 14. Cui cum sit viridissimo nupta flore puella,
> Et puella etc.

Editiones recentiores ne uno quidem verbo commemorant varietatem lectionis, et verba Avantii et Guarini patris sine ulla dubitatione in textum recipiunt. In Cod. Dresd., et in aliis, ut videtur (nam Statius varietatem adnotare omisit) æque ac in editt. Vicent. Brix. et Venett. legitur *cui jocum sit viridiss.* vel *cui sit jocus virid.* etc. Neque interpretes offendit pessimus orationis nexus: "cum (quia) nupta sit ei puella pulcherrima, ludere hanc sinit, ut lubet." Revocanda mihi videtur antiqua eaque probabilis lectio, quam cum metro non apta esset, correxerunt. Legerim;

> Cui jocus viridissimo nupta flore puella est,
> Et puella tenellulo delicatior hædo,
> Asservanda nigerrimis diligentius uvis.

Quod commendatur non solum auctoritate codicum, sed etiam sensu commodo ac bono. Dicit poëta: "Puella viridissimo flore nupta huic jocus est, et quidem puella pulcherrima atque maxi-

mo cultu digna." Huc respicit vs. 17. Sicuti noster "flore viridissimo nupta," ita Apuleius (Apolog. p. 524. Paris.) "nova nupta flore exoleto." Cf. Virgil. Æn. VII. 162: "primævo flore juventus." Add. locum Plin. ep. IV. 21. quem laudavit Vulpius. Similiter Tibull. III. 4. 66.: "casta nupta Neæra domo." *Jocus esse de iis* dicitur, quos ludibrio habemus, parvi pendimus. Sic infra XLII. 3.—Jocum risumque facere Petron. c. 57.—Terent. Eun. II. 3. 7:

> Hic vero est, qui si amare occeperit, ludum jocumque dices
> Fuisse illum alterum.

Horat. Satyr. 2. 5. 36.—Lucilii fragmentum apud Gellium. XVI. 9.—Prop. II. 24. 16:

> Fallaci dominæ jam pudet esse jocum.

Nostra lectionis restitutione omnis difficultas tollitur, qua commotus Doeringius in sq. vs. scribi jusserat, *ah puella.* *Et* sæpe, quod satis notum, ponitur pro *et quidem*, ut *atque* pro *atque quidem.* Cic. p. Mil. 23. II. Catil. 8. Tusc. V. 45.

Ad Carm. XIX.

In hoc carmine elegantissimo et dignissimo, quod inter Catulliana legatur, nonnulla occurrunt vel ab interpretibus non recte percepta, vel non ita, ut debebant, emendata. Vulpius de argumento ita loquitur: "Inducitur Priapus fures admonens, ut ab horto sibi commisso manus abstineant." Quod non sufficiebat. Cardinem, in quo vertitur carmen, Vulpius non observabat. Nec melior est expositio recentissimi editoris, qui sententias singulares, ut solet, repetit, argumentum, id est occasionem ac materiem omittit. Priapus, qui hic loquitur, in vicinia alius Priapi, a domino suo neglecti ideoque negligentis, positus, suam, qua beatur, conditionem prædicat, et, respiciens ad illum deum, fures ad negligentis Priapi agros accedere jubet, ne ipse negligentiæ et ingrati animi specie suspectus fiat.

> vs. 1—4. Hunc locum—
> Nutrivi, magis et magis, ut beata quotannis.

Extrema verba ad villulam retulit Muretus, ut haberet, quocum conjungi posset sequens v. *hujus.* Omnes eum sequuti sunt. Nec tamen ita flagitat verborum positio; immo dura et falsa existit sententia. Nam supplendum esset hoc: "ut magis et ma-

gis beata fiat quotannis." Omitti tamen non commode potuit verbum; neque intelligitur, quo modo, cum de villula sermo sit, addi potuerit, *nam domini* etc. Equidem olim cogitavi de versu post hanc amisso; sed perperam. Nihil desideratur, si recte scripseris hunc locum, levi medicina adhibita:

> Nutrivi magis et magis, et beata quotannis.
> Hujus nam domini colunt me etc.

Priapus, " ego, ait, arida quercus, magis magisque nutrivi villulam, et quidem ego beata, i. e. muneribus oblatis, quotannis; nam domini me colunt etc." Omnia bene cohærent. Quod adtinet ad verba, *et* sæpe, ut supra dixi, ponitur pro e t q u i d e m. Grammatici hoc docent. Sæpe etiam *magis et magis* collocantur post suum verbum; ut LXXII. 4. Virg. Æn. II. 299. B e a t u s proprie dicitur Priapus, i. e. muneribus, cultu; vd. Horat. carm. II. 18. 14. ep. I. 18. 75. cf. noster XXXIII. 27. Mutationem vero voc. *ut* in *et* defendam non opus est; centies in MSS. confunduntur. Neque obstat vocab. *hujus;* nam loquitur Priapus, locum et villulam digito monstrans, ut vs. 1.

vs. 6. Pauperis tuguri pater filiusque*

Hariolationibus virorum doctorum de hoc loco, codicum auctoritate nondum restituto, hanc qualemcunque adscripserim:

> Pauperis tuguri pater ipse filiolusque.

Ab domino ipso salutari, maxime honorificum erat Priapo. cf. vs. 9. Sic Tibull. I. 10. 41.

> Ipse suas sectatur oves et filius agnos

(ita enim legendum est). Add. vs. 51.

vs. 9. Alter parva ferens manu semper munera larga.

Impedimentum, quod Burmannus et Schraderus in metro quæsiverunt, nullum est, et ex illius ratione recte legi potest *semper.* Basis non rhythmo circumscribitur. Nec tamen diffiteor, me quoque in hoc verbo hæsisse, et quidem ob jejunum, quem præbet, sensum. Si quid mutandum, scripserim,

> Alter parva ferens manu campi munera larga.

Munera campi sunt fructus floresque. vd. LXIV. 280. Tibull. II. 5. 37: *munera ruris.*

vs. 15. Sanguine hanc etiam mihi (sed tacebitis) aram
Barbatus linit hirculus—

Ita optime emendavit Muretus, qui tamen verba doctiuscule exponit. Nec probari potest Livineii, quem Doeringius sequutus est, sententia, majoribus tantum diis hostias mactare licitum fuisse; Vossius contra eam Petronii locum excitat, in quo Polyænus hircum et porcellum Priapo vovit. Sed Priapus nihil aliud dicit h. l., quam hæc: " tacebitis, ne invidi audiant, ne quis malus invidere possit, quum me, Priapum pauperis domini, tanta pietate cultum, meque in custodiendo ac nutriendo agro gratum videat."

vs. 20. ——negligensque Priapus.

Optimam lectionem mutari voluerunt Heinsius et Doeringius, ille reponens, *negligensque Priapi;* hic, *negligensque Priapum.* Si ita corrigis, fit ut versus, quem cardinem totius carminis nominavi, vi sua ac elegantia careat. Opponitur enim non solum versui sexto, sed totius carminis narrationi. Negligens est Priapus, quum, quod eo intelligitur, dominus, quamquam dives, eum negligit, nec honoribus oblatis sibi obstrictum habet. Nisi Priapum negligentem nominasset, alter non potuisset fures ad vicini agrum amandare.

Ad Carm. XX.

Valde se torserunt interpretes in explicando verbo *sinistra* (vs. 3.), quod, pro sinistra parte dictum, metri rationi repugnat. Non uno modo emendarunt; Doeringius audacter, ut ipse dicit, ita; *Agellulum, ad sinistram abinde quem vides;* quod ne recipiatur, durities structuræ et mutandi licentia obstat. Equidem olim ita conjeci: *Agellulum hunc sinistra et ante quem vides* (*links und vor dir*). Sic Cic. Acad. IV. 14. sinistra, ante, post. Sed ejusmodi emendatione non opus est. Interpunctione, quæ, ut vulgo ponitur, prohibet, quo minus sensum percipias, omissâ, recte mihi videor, Muretum sequutus, explicare hunc locum ita: " Ego populus, e regione agelli ad sinistram sita." Ut antea inceperat, ita pergit poëta: " Ego hæc arte fabricata, ego arida populus, sinistra, agellulum tueor." Ne tertium redeat verbum *ego*,

omittit, et invertit structuram. Tantum vero abest, ut duritiem dictionis, quæ ferri nequeat, poetæ imputem, ut vocabulum *hunc*, quod non minimam difficultatem creat, a glossatore adscriptum, et eo deleto, locum omni suspicioni eripi posse existimem. Poëta scripsisse videtur:

———ecce populus
Agellulum sinistra, tute quem vides etc.

Versus, qui post quintum usque ad nonum leguntur, dubitationem et, puto, non vanam mihi injecerunt. Sententia, quam continent, non solum male nexa cum superioribus, sed etiam ab iis plane aliena est. Loquitur enim Priapus de officiis suis, et narrat, se tueri agellulum, et pascua sua ope ac tutela ita virere et florere, ut dominus inde fructum capiat uberrimum. Quod singulis rebus eleganter exposuit auctor carminis. Quis autem non videat, ineptius hic inseri versus illos de honoribus, quibus se ornatum prædicat Priapus, agentes? Quibus ejectis, Priapi oratio ita procedit, ut non solum nihil desideretur, sed etiam nexus sententiarum verus et elegans restituatur:

Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malasque furis arceo manus.
Meis capella delicata pascuis etc.

In ejusmodi vero argumento, quod carmina in Priapum scripta tractant, facile fieri potuit et facta est interpolatio. Ac sunt simillima verba anteced. carminis vs. 9 et 10., quæ occasionem interpolationis præbuisse videntur. Cf. carm. inter lus. Priap. 84. Neque de auctoribus horum carminum, neque de fatis, quibus ad nos pervenerunt, adhuc satis liquet, ut ne putemus, plura esse a recentioribus poëtis composita, plura ab auctore collectionis, vel post eum interpolata. In versibus, de quibus sermo est, correctionis recentioris vestigium cernitur vs. 9.

Mihique glauca duro oliva frigore.

Ita emendavit Muretus. Olim legebatur vel, *mihi glauca dura cocta oliva frigore*: vel, in Aldinis, *mihi glauca duro cocta oliva frig.* vel, *mihi glauca duro ol. fr.* Quum vero Vossius in Codd. reperiret *duro oliva cocta*, nec verbum *cocta* speciem glossæ præ se ferat, non dubito, quin varietas lectionis e correctione recentioris vocabuli *mi* in *mihi* orta sit. Poëta igitur, cujus hi versus sunt, vel non scripsit puris iambis,

Mi glauca, duro cocta oliva frigore.

vel, si scripserit puris iambis (in quibus tamen prima anceps, vd. 29. 21.) legendum est.

Mi glauca, duro oliva cocta frigore;

Cocta oliva est matura. Vd. Cic. de senect. 19. cf. Prop. IV. 5. 60.

Vs. 14. optima et receptu digna est correctio Dorvilli: *tenella*, cum ob facilitatem, tum ob elegantiam. Neque enim cum Mureto legi potest *tenerque*; nec cum Vossio *teneraque*.—Optimam vero emendationem, vs. 18., quam, omisso nomine auctoris, in textum recepit Doeringius, Muretus fecit.

Ad Carm. XXI.

Aureli, pater esuritionum,
Non harum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut sunt, aut aliis erunt in annis.

Verba non harum modo explicari debent "non solum in conviviis, quæ apud Aurelium aguntur;" nisi existimaveris, poëtam ut pluribus in locis sua repetiisse et scripsisse,

Non harum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut posthac aliis erunt in annis;

ut in carmine XXIV.—Harum, i. e. quæ sunt.—Carm. XLIX. alia est orationis ratio, et recte præmittitur *quot sunt*.

vs. 5. ——nam simul es, jocaris una,
Hærens ad latus omnia experiris.

Ita legendum puto, et quidem hanc rationem probans. Codd. Statii et Cujacii *exjocaris*.—Cod. Dresd. editt. Vicent. Brix. Venett. *simul et jocaris*, quod placuit Statio. Male.—Optime restituit hunc locum ante Vossium Lucas Fruterius (Verisimil. Lib. II. c. ult.) *simul es, jocaris una*.—Ita L. 13.: *ut tecum loquerer; simulque ut essem*. Quod ad alterum versum adtinet, lectionem *experiris*, quam e codicibus recepisse videtur Parthenius, confirmare mihi licet auctoritate cod. Dresd.—Mureti et Cujacii libri *experibis*, quod Scaliger probavit, equidem non defendam.—

Verbum *hærens* nostrum in locum recepi e codd. Statii, Cujacii, Dresdensi et antiqq. editt.; ac præstat correctioni *hæres*, nescio unde petitæ.

vs. 8. tangam te prior irrumatione.

Bene ita Statius, secundum libros suos omnes; defendit Vossius.—Cod. Dresd. Editt. Vic. Brix. Venett. Ald. I. Muret. Guarin. exhibent *prius*. Discrimen est apud bonos scriptores, neque ubique potest poni *prius* pro *prior*, ut interpr. ad Tibull. I. 4. 32. volebant. In Tibulli loco Brouckhusius verum sensisse mihi videtur, reponens *prius*; equus enim ibi non dicitur prior missus, i. e. emissus prior in cursu, sed prius, i. e. antea missus. Sic recte noster: LXI. 208. *subducat numerum prius* LXIV. 318. 209. In nostro vero loco Catullus se ipsum dicit priorem, i. e. præventurum, et alia debuisset uti verborum structura, si dixisset te prius tangam. Oppositionem, quæ illorum verborum usum constituit, habemus in verbo *instruentem*. Pergit poëta:

Atqui, si id faceres satur, tacerem.

Ita legitur in omnibus editionibus, præter Vicent. in qua est *At quæ si faceres*.—Pucc. emendat *At hæc si*.—Codd. vero Statii omnes *atque ipsi faceres*: quod ille mutandum censet *atque id si faceres*.—Dresd. memb.: *atque ipsi facerem*. Qua in codicum lectione inesse mihi videtur aliquid frugi. Legendum puto:

Atqui, ipse id faceres satur, tacerem.

Lepidus est sensus, eleganter expressus. Poëta dicit: "Si tu id faceres ipse satur, i. e. si tu saltem satur esses, tacerem; jam vero id quoque doleo, quod puer meus apud te esurire discet;—libidinem tuam tolerarem, si ipse satur esses, nec puer apud te fame laboraret." *Atqui* scribendum erat; nam ita loquuntur Latini pro *et tamen*, quod satis notum. Vocabulum *ipse*, vel ad ironiæ vim augendam, vel ad restringendam sententiam sæpius adjicitur, ut fere idem sit, ac *minimum*, *saltem*. Quod non solum apud comicos, sed etiam apud alios prosaicos scriptores occurrit. Cic. ad Div. II. 16.: "Acerbitatem—a republica, meis privatis et domesticis incommodis libentissime, vel istis *ipsis*, quæ tu me mones, ut caveam, redemissem."—Quod vero in nostro loco omittitur *si*, id in aliis quoque factum est a Catullo II. 10. vd. Burmann. ad Ovid. Amor. III. 3. 9. Nec obstat nostræ lectioni seq. *ipsum id*, quasi langueat. Amat Catullus ejusmodi

rationem loquendi; multo etiam magis videtur ita scripsisse, ut verba significanter sibi respondeant. Sic Cic. Tusc. Q. I. 17.: "ego ipse cum eodem ipso non invitus erraverim."

v. 10. Nunc ipsum id doleo, quod esurire
Ah! meus puer, et sitire discet.

Correxit ita Vulpius, recepit Doeringius, dum, ut ipse dicit, melius deesset, licet metrum laboraret. Metrum non erat, quod dubitationem moveret; at alia obstant. Codd. Statii omnes, libr. Cujacii et Dresdens. *me me puer;* quod defendendum inepte putavit Scaliger, scribens *ah me me puer.*—Membr. Commel. *meus me puer;* probavit Vossius, in *meus mi* mutavit Meleager.—Editt. antiq. Vicent. Brix. et Venett. *Næ meus puer.*—Nec desunt conjecturæ virorum doctorum. Guarinus pater conjecit *meus jam puer:* Pucc. *jam meus puer:* Faernius, *ve meus puer:* Statius, *me meus puer:* Vulpius, *ah meus puer:* Heinsius, *una meus puer:* Doeringius, *a te mox puer,* vel, *mox tecum puer.* Inter has emendationes plane ineptæ sunt Statii, Meleagri et Heinsii; non prorsus improbabiles Pucc. et Guarini; reliquæ vel a sensu ac orationis indole alienæ vel languidæ, ne dicam de corrigendi audacia. Exclamatio, quam h. l. inserunt, mihi valde displicet; nam non solum ipsa superflua est, sed etiam orationem turbat. Poëta, "frustra," inquit, "irrito conatu studioque hæc agis,"—et postquam esuritionem Aurelii illuserat, addit: "id doleo, quod esurire meus puer et sitire discet." Nec de puero sollicitus esse debebat, quum Aurelium prius, quam puerum attrectaverit, irrumatione tactum iri, dixisset. Minime vero probari possunt audaciores emendationes Doeringii, quarum altera *(a te mox)* languet, altera *(mox tecum-discet)* prioribus non convenit; nam famelico Aurelio non opus erat, esurire et sitire disceret; ac tamen alius sensus illis verbis, ita positis, inesse non potest. Equidem, si quid sentio, desiderari puto epitheton pueri pulchri ac venusti, quod mihi videor reperisse in carmine XCIX. 1. Legerim igitur,

——— quod esurire
Mellitus puer et sitire discet.

Verbum *mellitus* in codice, e quo alii descripti, oblitteratum, puto, fuit; librarii, ne lacuna existeret, superstites literas *me* duplicarunt. Proprie vero dicuntur pueri et puellæ *mellitæ,* i. e. suaves,

jucundæ, ut apud Catullum l. l. (cf. III. 6.), ita apud alios: Cic. ad Att. I. 18. *mellitus* Cicero. Plaut. Pseud. I. 2. 47.

Ultimo versu quod legitur, verbum *sed* non debebat suspectum esse Statio, qui duplici modo mutat. Guarinus recepit *nisi*. Quemadmodum sæpius ponunt *sed et* pro *quin etiam* (Plin. h. n. VII. 31.), ita *sed* sæpe pro *at quidem* Juvenal. XV. 94. *Sed res diversa, sed illic Fortunæ invidia est.* Similiter Græci ἀλλά. vd. Hermann. ad Viger. p. 778. Qua ratione ductus, corrigendum puto Prop. III. 25. 14.

Sed speculo rugas increpitante tibi.

Ad Carm. XXII.

De nomine *Fuffeni* vd. præter Muretum, Columna ad Enn. p. 101. et Drakenborch. ad Liv. I. 23.

vs. 5. —— nec sic, ut fit, in palimpsesto
Relata.

Recte legitur *palimpsesto*, ut exhibent editt. Brix. Venett.; non *palimxysto*, ut Vicent. Ald. I.—Vide de hac re P. Leopardi Emendatt. XIV. 13. In verbis *nec sic, ut fit*, variæ exstant lectiones. Tres Statii MSS. *nec scit*, unus *nac scit*.—Vicent. Brix. Venett. *nec sicut fit.* Optime cod. Dres. *nec sic, ut fit*; quod receptum in Ald. I.—Pro verbo *relata* Heinsius scribi jubet *releta*; quod quid sit, probare debebat. Attamen correctio Doeringio ita placuit, ut vel in textum hanc recipiendam vel corrigendum contenderet *in palimpsestum*. Utrumque perperam. Ne dicam de inepta Heinsii conjectura, defendi debat lectio codicum ex usu Latinorum proprio. *Referre* idem est ac *scribere, inscribere*. Ac dicunt *in codice referre*, et, *in codicem, in commentarium referre*. Sic Cic. ad Att. VII. 3. all. ll. in codice relatum Cic. pro Rosc. Com. 2. 5. Idem reponendum cap. 3. 9. Quo pacto vero inter se hæc differunt, omnium primus, quod scio, subtiliter ac accurate demonstravit Goerenzius in lect. in Cic. Catilin. II. p. 5. quem vide.

Vs. 8. Antiquiorum editt. Vicent. Brix. et Venett. lectionem *desecta*; et Codicum, *detecta*; quam etiam in cod. Dresd. inveni; bene emendavit Palladius *directa*. De re vide interpr. ad h. l.

vs. 10. —— unus caprimulgus, aut fossor.

Vulpius explicat: "unus de caprimulgis, vel quidam caprimulgus;"

utrumque male; quanquam pro altera explicatione plura exempla, a nostro loco maximam partem aliena, affert. Nunquam ponitur *unus* pro *quidam*, ut vulgo creditur. Præter primam significationem, numeralem dico, verbum *unus* hanc habet vim usumque, ut præstantiam atque excellentiam, vel in re ipsa contentam, vel cum aliis comparatam, indicet. Quo fit, ut et id, quod integrum ac perfectum est, et id, quod aliis præstat, dicatur *unum*. Vario modo cum aliis verbis conjunctum plerumque explicari potest per *adeo, et quidem, atque etiam*. Sic opponitur vel pluribus, vel plerisque, vel omnibus atque universis. Satis notæ sunt dicendi formæ, "unus omnium, unus ex omnibus" (Catull. I. 5. Cic. ad div. V. 16. XVI. 1.). Conjungitur cum superlativo (*cum uno fortissimo viro*, i. e. cum viro et quidem fortissimo, Cic. ad div. XV. 19. I. 9.—Plautus Truc. II. 1. 39.—Virgil. Æn. II. 426.) vel cum comparativo (Catull. CVII. 6.), vel cum verbis *aliquis*, *quidam*, ubi ceteris vel omnibus opponitur, vel cum substantivis verbis, quibus hanc vim addit, ut notio, quam vocant, perfecta et magis adstricta fiat, i. e. ut res, de qua agitur, ambitum verbi completum contineat. Et sic dicitur *unus caprimulgus* (*ein ganzer Schaafknecht*). Eodem modo Cic. de orat. I. 29.: "qui sicut *unus* paterfamilias his de rebus loquor." Quodsi verbum *unus* his significationibus adhibetur, apud prosaicos scriptores bonos semper ante verbum, quocum conjungitur, poni solet. A poëtis, inprimis a Virgilio, hoc negligitur, et vel metri ratione, vel ipsa negligentia excusari potest. Quod pertinet etiam ad formulas *unus ex omnibus*, et alias. Apud Ciceronem igitur legendum est pro Rosc. Com. 5. 15.: "ut unum judicem vereri debeamus;" nec tamen explicandum *aliquem judicem*. Pro Rab. 9. ita interpungendum: "Virum, unum totius Græciæ facile doctissimum."

vs. 11. —— tantum abhorret ac mutat.

Ita recte legitur in MSS. Statii. membr. Dresd. Vicent. Brix. Venett.—Avantii correctio *nutat*, in Aldinam I. recepta, a Lucio Fruterio, (Verisim. II. c. ult.) Palmerio, (Spicileg. XIV. p. 866.) (Gruteri Lampas. T. IV.) et ab aliis repudiata est.—Pucc. conjecit *a cultu*.—Gellius noct. att. XVIII. 12. ita: "Varro in libris, — de lingua Latina fecit: In priore verbo graves prosodiæ, quæ fuerunt, manent; reliquæ mutant. *Mutant*, inquit elegantissime pro *mutantur*." Livius XXXIX. 51. *mutaverint* pro *mutati sint*.—cf. Cort. ad Sallust. Catil. 38. 10.

vs. 12. ——— qui modo scurra,
Aut si quid hac re tritius, videbatur.

Illustratur hic locus Plautino Mostell. I. 1. 14.

Tu urbanus vero scurra, deliciæ populi,
Rus mihi tu objectas?

Quod vero legitur *si quid hac re tritius*, correctio est Pontani, probata ab omnibus interpretibus præter Parthenium et Guarinum.—Pucc. in marginem adscripsit *suavius*.—Omnes MSS. Statii, Cod. Dresd. editt. Vicent. Brix. Venett. exhibent *tristius*. Equidem non corrigendum puto, nec majori difficultate premi antiquam lectionem, quam Pontani correctionem. Quo pacto enim Catullus *scurram* appellare posset *tritam rem*, non liquet. Vossius, ipse desperans de explicatione, nequitiam, nescio quam, expressam esse vult. Videamus, an verbum *triste* significationem nostro loco congruam habeat. Propria hujus verbi significatio est, ut indicet omne, quod acerbum, amarum, durum et molestum adeoque dirum sit. Inde dicuntur *tristia* absynthia (Ovid. ex Pont. III. 8. 15.); suaviolum *tristius* helleboro, (Catull 99. 14.) *tristia* jejunia, (Moretum 4.) temporum *tristitia* (Cic. ad Att. 12. 40. Symmach. ep. I. 64.) *tristis* morbus (Virg. Georg. IV. 252. Cic. senect. 19.) *tristis* senectus (Virg. Georg. III. 67. Æn. VI. 275.) *triste* lignum (Horat. II. 13. 11.) *tristius* illis monstrum (Æn. III. 214.). Ad animum relatum, significat omnem ejus conturbationem ægritudinemque. Et sunt hæ animi conturbationes, quæ *tristes* dicuntur, triplicis generis; ira et iracundia, (Virg. Ecl. II. 14. Æn. II. 337. Tibull. IV. 4. 18. Prop. I. 6. 10.) nimia severitas (Tacit. Hist. I. 144. Agr. 9. in quo loco delendum est voc. *avaritiam*), mœror. Cum vero is, cujus animus conturbatus, non solum vultu ac facie suam tristitiam prodat, sed etiam, ut fit, alios reddat tristes, uterque unius verbi ambitu comprehenditur, et is, qui ipse tristitia afficitur, et is, qui tristitiam ac molestiam aliis creat, *tristificus*. Qua ratione omnes verbi significationes, inde deductæ, intelliguntur. Sed quid hæc ad nostrum locum? Pertinent huc, et probant codicum lectionem. Catullus enim non ad Fuffeni urbanitatem describendam addit verba *si quid est hac re tristius*, sed ad irridendos scurras, abominabile hominum genus. Scurræ vero, sive sint, qui alios sequi soleant, quasi *securræ*, interprete Verrio apud Festum; sive ita appellati quia sint *sine cura*, (vd. Turneb. Ad-

vers. XIX. 13.), ad eos homines referuntur, qui, jocis ac verbis, quæ eleganter dicta esse volunt, nimium abundantes, non nisi molesti atque odiosi esse possunt aliis meliora sentientibus. Fœdam et insulsam scurrilitatem dicit auctor dial. de orat. c. 32. Ut vero jejunia dicuntur *tristia*, monstrum *triste*, ita Catullus scurram appellat *tristissimam* rem; et addit hæc ex sua sententia. Ipsis verbis: *hæc res* irridet illos homines miserabiles. Cf. 42. 13.

v. 19. Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis.

Legendum est *quem non in ulla re*, cum ob metri rationem, tum ob loquendi usum. Corruptum esse voc. *aliqua*, ostendit lectio cod. Dresd. *in aliquo videre*.

Ad Carm. XXX.

Quod legitur vs. 4., vocabulum *nec*, positum putant pro *non*; vd. Statium et Doering. ad h. l. Immo est i. q. *non vero, sed non;* et ita dicere debebat poëta, ut omnes scriptores Latini in ejusmodi orationibus. Connectuntur enim hæc verba cum antecedentibus, ac respondent verbis *jam te nil miseret*.

v. 6. Eheu! quid faciant dehinc homines, quoive habeant fidem?

Statius e codicibus affert *dico*, quod etiam habent Cod. Dresd. et editt. Vicent. Brix. et Venett.—Statius emendavit *dehinc*; in textum receperunt Vossius et Doeringius. At non consideravit auctor hujus conjecturæ, eam non minus languere, quam codicum lectionem *dico*. Poëta quidem dicere noluit, Alpheni perfidiam esse, cur homines in posterum nemini fidem habeant. Sententia ejus hæc est: "Quid faciant homines, siquidem amici ita se gerant, ut Alphenus?". Differt vero hæc aliquantum ab illa. Quare difficile erit Pontano non assentiri, qui salva orationis vi atque elegantia scripsit *quid faciant, dic, homines*. Sic Horat. I. 8: *Lydia, dic,—Sybarim cur properas amando perdere.*—Virg. Æn. VI. 343.

vs. 11, 12. Si tu oblitus es, at di meminerunt, meminit Fides;
Quæ, te ut pœniteat postmodo facti, faciet, tui.

Neminem ad languorem, quo hi versus premuntur, offendisse

vehementer miror. Elegantissimum est carmen, et præclaris sententiis affectiones animi ac dolor perfidi amoris tam egregie describuntur, ut nemo non sentiat, ultimum versum, ad quem Catullus totius carminis summam referre solet, haud parum frigere. Multo magis augetur languor recepta meliore lectione prioris versus. Nec erat Catullo ira, sed animi ægritudo, qua amicum moveret, describenda; queritur perfidiam, nec tamen deos implorat, ut ultores forent violatæ fidei, quam restituendam ipse cupere videtur (*jam te nil miseret*). In codice Mureti optimæ notæ legebatur ita; *Si tu oblitus es, at dî meminere, at meminit Fides:* quod, quantum elegantia et gravitate præstet vulgatæ lectioni, bene sensit vir doctus. (Guarinus in notis ad h. l. affert *et meminit F.*) Orationi vero tam gravi non adjecisset poëta *quæ te;* saltem dixisset *teque.* Sed displicet etiam verborum structura *si—at.* Equidem sensum poëtæ, quo nihil suavius esse potest, restituisse mihi videor correcta interpunctione et levissima mutatione adhibita:

> Si tu oblitus es, (at dî meminere, at meminit Fides)
> Quæ, te ut pœniteat postmodo facti, facient, tui?

Quodsi tu hæc omnia, tua dicta factaque, et amorem meum oblitus es, quæ tandem te movebunt, ut te pœniteat facti tui?" Quum vero poëta oblivionis mentionem fecisset, graviter adjecit verba *at dî meminere, at meminit Fides.* Similiter Virg. Æn. I. 543:

> At sperate deos memores fandi atque nefandi.

Ad Carm. XXXIII.

> Vs. 3, 4. Nam dextra pater inquinatiore,
> Culo filius est voraciore.

Inquinatas dici posse manus, quasi multis furtis pollutas, non negaverim; sed hoc loco minime apta videtur illa verborum compositio, cui sequentes versus 6. et 7. respondent *patris rapinæ, nates pilosæ.* Jamdudum corrigendum hunc locum putavi ita, ut membra versuum diruptorum jungerentur:

> Nam dextra pater est voraciore,
> Culo filius inquinatiore.

Postea ex L. Carrionis antiq. lect. Commt. I. c. 16. cognovi, ita

legi in membranis. Librarius ob similem clausulæ sonum facile potuit errare et verba in alium locum transponere, quod sæpissime factum invenitur.

Ad Carm. XXXVII.

V. 1—5. Salax taberna, vosque contubernales,
A pileatis nona fratribus pila,
Solis putatis esse mentulas vobis?
Solis licere quidquid est puellarum
Confutuere, et putare ceteros hircos?

Hæc verba interpretes explicatu faciliora putarunt, quam sunt; et ita leviter tractarunt, ut diversas explicationes quorumdam verborum conjungerent atque permiscerent. At, ni totus fallor, nec recte sensum perceperunt, neque manifestam occasionem arripuerunt quærendi, quid a poëta, quid ab aliis profectum esset. Alia ratione huic loco vim suam atque elegantiam reddere debebant. Equidem, ut sententiam meam, argumentis, quibus fulcitur, adjectis, exponam, versum quintum arbitror non a Catullo conscriptum, sed vel ab antiquiore interpolatore, vel a lectore aliquo libidinoso adjectum esse. Primum enim offendit longæ syllabæ solutio, quam poëta nusquam alibi admittit; nec probabile videtur, eum, qui ex formulis severe præscriptis iambos suos composuit, hoc uno loco ab istis legibus recessisse. Deinde verbum *confutuere* vellem aliis locis comprobassent. Nusquam occurrit, et male factum est; quamquam Catulli ingenium in ejusmodi verbis fingendis non tardum dixerim. Tum vero poëta ne potuit quidem ita dicere. Omni sensu caret vocabulum *hircos*. Interpretum nonnulli, ut Vulpius, intelligunt de vetulis hircis, qui viribus defecti; quæ significatio non solum non verbo inest, sed etiam a loquendi usu abhorret. Hircorum nomine appellantur homines salaces (Sueton. Tib. 45.), vel alio sensu h i r c o s i dicuntur, qui hircum olent (Plaut. Merc. III. 3. 14. Catull. LXXI. 1.). Illa significatio a nostro loco plane aliena est; hæc quodammodo ferri potest, quamquam non intelligitur, quo pacto ii, quos, axillarum odore laborantes, fugiunt puellæ, opponantur iis, qui putant sibi solis esse mentulas. Aliorum explicationes de hominibus, qui, similes castratis hircis, viros se præstare nequeant, quasi illud ipsum vocabulum significet hircum castratum, vel de rivalium contemptoribus, ut ait Parthenius, omnes sunt absurdæ. Accedit, quod h. l. vehementer displicent

cum vocabulum *putare* quater repetitum, tum etiam tota verborum structura, *putatis vobis licere putare.* Postremo potest argumento esse, quod, si hunc versum suspectum missum fecerimus, præcedens ad elegantiam suam reducatur, et quod causam intelligemus, qua interpolatio orta sit. Quum enim lector aliquis non intelligeret, quo referendum esset voc. *licere*, eo sensu, quo significat i. q. *concedi, permitti,* infinitivum adjecit; nec deerant ingeniolo salaci nova vocabula, ad hanc rem apta. Quare scribendum puto,

Solis putatis esse mentulas vobis?
Solis licere quidquid est puellarum?
An, continenter &c.

Verbum *licere* eo sensu, quo idem est ac *prostare, prostitui,* non modo de rebus venalibus omnino dicitur, sed etiam proprie de puellis, quæ, ut Catullus ait (CX.) se corpore prostituunt, vel corpus suum ad libidinem vendunt in tabernis, quas Catulli contubernales obire solebant.—Martial. VI. 66. *Parvo cum pretio diu liceret* &c.—Plaut. Menæch. V. 9. 97. ad q. l. vd. interpr.—Eodem modo Juvenal. IV. 24; *quo non prostat femina templo.* —Ovid. ex Ponto II. 3. 19;

Illud amicitiæ quondam venerabile numen
Prostat, et in quæstu pro meretrice sedet.

Hinc Statius (Silv. I. 6. 67.) *Huc intrant faciles emi puellæ.*—Prop. III. 19. 19. Horat. Sat. I. 2. 30.

vs. 9. Atqui putate: namque totius vobis &c.

Usum particularum *nam* et *jam* critici non semper diligenter, quemadmodum debebant, curarunt, ut *nam* sine ulla significatione connectendis sententiis inservire putarent, et, ubi non primo adspectu intelligi posset, statim mutarent in *jam.* At consideranda est sermonis ratio et vis, quæ nunc illam, nunc hanc particulam, in codicibus plerumque confusas, exigit. Legitur apud Propertium I. 3. 37.

Namque ubi longa meæ consumsti tempora noctis
Languidus exactis, heu mihi, sideribus?

In quibus quum primum verbum non videretur intelligi posse, Heinsius et Kuinoelius mutarunt *jamque*; male et præter necessitatem. Nam in interrogatione quacunque, præcipue vero, cum

orationem reddere debet graviorem, Latini ponere solent *nam*, Græci *γάρ*. Vd. Hermann. ad Viger. p. 790. Virgil. Ge. IV. 445. Plaut. Aul. 2, 1, 17. 1, 1, 5. Eadem ratione dicunt *quia nam* Virg. Æn. X. 6. Male, quod miror, Burmannus correxit Propertii locum, *nempe ibi*. Vocabulum *namque* ipsum sæpissime significat id, quod *nempe*. Sic Tacit. Agric. 21.—Catulli locus, LXXI. 3—6. ita legendus mihi videtur.

> Æmulus iste tuus, qui vestrum exercet amorem,
> Mirifice est adeo nactus utrumque malum.
> Jam quoties futuit, toties ulciscitur ambos,
> Illam affligit odore, ipse perit podagra.

Sensus est: " æmulus tuus, qui tuos amores sollicitat, mirum in modum laborat hirco et podagra. Jam vero illam perfidam puellam ulciscitur et se ipsum." De contagione, ut volunt, non est sermo, neque esse potest. *Nancisci* vero proprie dicitur de morbo. Corn. Nep. 29. 21.

Ponitur, *nam* et *namque* tunc, cum aliquid vel præcedit, vel, ut in interrogationibus, omissum est, ad quod referri debet. Cum vero finita est ratio, vel cum, quemadmodum in nostro loco, is, qui loquitur, rem differt et ad aliam transit, orationis ratio efflagitat vocabulum *jam*. Quod etiam sensisse videtur Doeringius, suadens, verbum *irrumare* non propria significatione accipere, quoniam paulo post adjiciatur *namque*. Propriam vero hujus verbi significationem totius orationis ratio requirit. vd. c. XXI. 8. *Namque* h. l. non potest explicari *nempe*, nec referri ad antecedentia; immo de more loquendi scribendum est,

> Atqui putate. Jamque — vobis —

Ita plane, ut Catullus, dicit Statius Theb. IV. 517;

> Illum, sed taceo; prohibet tranquilla senectus.
> Jamque ego vos.

et Lucanus Pharsal. VI. 732;

> jam vos ego nomine vero
> Eliciam. —

Sequitur versus, laborans vitio antiquiore, quam quod codicum auctoritate corrigi possit:

> Jamque totius vobis
> Frontem tabernæ scipionibus scribam.

In omnibus libris MSS. et editt. vett. leguntur v.: *scipionibus*

scribam. Commentatiorum auctores, non multum hæsitantes, explicant, scipiones esse semiustos baculos. Quo modo vero scipiones, simpliciter ita dicti, de inustis baculis, seu carbonibus intelligi possint, me aliorum locorum exemplis, quæ interpretibus afferenda erant, nequaquam edoctum fugit. Difficultatem Scaliger intellexit, sed, cum Dousa patre (Præcid. in Petr. I. c. 10.), mendum tollendum aliis reliquit. Parthenius loquitur de soporifera virga, qua poëta se dicat omnium contubernalium frontem ita percussurum, ut omnes in sopore solutos facillime posset irrumare. Quod probari non potest. Nec magis verbis convenit obscœnus sensus, quem Palladius explicat. Guarinus pater, metrum non curans, emendat *siphonibus inscribam*, Vossius *sopionibus* vel *soprionibus*, quæ sine adjectis auctorum explicationibus vix intelliges. Cum verba respicis, similis nostro locus est Petronii, c. 96.: "Quum Ascyltos gravatus tot malis in somnum laberetur, illa, quæ injuria depulsa fuerat, ancilla totam faciem ejus fuligine longa perfricuit, et non sentientis labra humerosque sopitionibus pinxit." Optime correxerunt hunc locum Gruterus (Suspic. II. 3.) Boschius et Erhardus ad h. l.; et est legendum vel cum illis *sopiti* (dormientis Ascylti) *titionibus*, vel cum hoc *sopitis titionibus*, quod Glossator quoque probasse videtur. Titio est torris, baculus adustus. vd. Celsus II. 17. Lactant. IV. 14. Ancilla quidem potuit Ascylton fuligine et atro carbone pingere; nam ad manus ei erant lucernæ. vd. c. 97. Apud Catullum vero lectio *titionibus*, quam nonnulli e Petronianis verbis receperunt, varias ob causas displicet, inter quas metrum primum obtinet locum. Corruptam esse lectionem *scipionibus* nemo negabit. Occasio vero corruptionis in verbo *scribam* latet, et ex literarum earumdem repetitione orta videtur. Equidem Catullum scripsisse arbitror:

> Jamque totius vobis
> Frontem tabernæ inscriptionibus scribam.

Poëta dicit: "Putate me ausurum, una ducentos sessores et simul vos omnes irrumare. Jamque ego in vestram contumeliam totius tabernæ frontem epigrammatibus et titulis inscribam." Minatur igitur, injuriam graviter se ulturum esse inscriptionibus, ut supra c. XII. hendecasyllabis. Arma, quæ poëtam decet ferre, induit et *vibrat truces iambos* XXXVI. 5. cf. c. XLII.—Ut Petronius c. 55. dicit, *Ita non oportet hunc casum sine inscriptione transire* (sequitur epigramma Trimalcionis), ita Catullus quoque haud dubie usurpavit nomen *inscriptionis* pro vulgato græco epi-

grammatis. Sed etiam ad aliam rem respexisse videtur. Fornices et cellæ meretricum, nec non tabernæ inscribebantur nominibus puerorum et puellarum, quæ ibi prostabant, ut dicit Schol. Juvenal. ad Sat. VI. 123. Quod proprie vocabatur *inscriptio* vel *titulus*. Martial. XI. 45.

> Intrasti quoties inscriptæ limina cellæ,
> Seu puer arrisit, sive puella tibi.

Seneca Controv. I. 2. "Meretrix vocata es, in communi loco stetisti, superpositus est cellæ tuæ titulus." Et in sqq.: "Nomen tuum pependit in fronte;—tot intraverunt cellam tuam gladiatores, tot juvenes ebrii."—In frontibus ædium et tabernarum atque in parietibus titulos, versus cujusvis generis et elogia in infamiam hominum scribere solebant, quod multis veterum locis demonstrari potest. Pauca sufficiant. Mart. I. 118:

> Contra Cæsaris est forum taberna,
> Scriptis postibus hinc et inde totis.

Plaut. Merc. II. 3. 74:

> Impleantur meæ fores elogiorum carbonibus.

Culex 410. fronte locatur elogium. cf. Petron. c. 29. Add. dicendi formulam, *per totum parietem inscribere* apd. Quinct. Decl. I. 5.

Sequuntur hi versus:

> Puella nam mea, quæ meo sinu fugit,
> Amata tantum, quantum amabitur nulla—

Ita edidit Scaliger, nescio quo auctore. Sed neque in codicibus hæc leguntur, neque recipi possunt ob metrum. Codd. Statii omnes et Dresd.: *puella nam me, quæ*, quod recepit Guarinus; Aldinæ editionis auctor mutavit in *puella namque, quæ*.—Editt. Vicent. Brix. Venett., *Puella nam modo, quæ*, quod placuit Mureto et Vossio. Codicum lectionem manifeste corruptam ita emendandam arbitror:

> Puella amata, quæ meo sinu fugit,
> Amata tantum, quantum amabitur nulla—

In ejusmodi vero orationibus eleganter omittitur *nam*. Vd. Tibull. II. 1. 37. IV. 1. 133. Verbum *amata* facile in literas *namme* abire, vel ob sequentem repetitionem corrigi potuit.—Ac graviter ita loqui solet Catullus, ut XLIX.

> —pessimus omnium poëta,
> Tanto pessimus omnium poëta,
> Quanto tu optimus omnium patronus.

Cf. Terent. Adelph. I. 1. 31.—Alter versus iterum legitur in carm. VIII. 5. sed, ut mihi videtur, ab interpolatore illuc deductus.

vs. 13. Pro qua mihi sunt magna bella pugnata.

Non sollicitanda sunt hæc verba, quamquam Scaliger e codice affert *patrata*, quod corrigi vult *parata*. Lectionem plurimorum codd. jure defendit Statius, excitans locum Lucilii apud Donatum (ad Terentii Eun. V. 2. 60. et Adelph. V. 4. 5. ad verba. *vitam duram, quam vixi*.)

Vicimus o socii, et magnam pugnavimus pugnam.

Virgil. VIII. 629; *Pugnataque in ordine bella.*—Quod legitur in Cod. Dresd. et in editt. Vic. Brix. et Venett. *sunt mihi* pro *mihi sunt* correctum primum vidi in Ald. I.

Quatuor ultimi versus, quos recentiores editores huic carmini adjunxerunt, in Cod. Dresd. novum carmen efficiunt. Palladius et Guarinus pater post vs. 9. seq. carminis posuerunt. In editt. antiq. cum sequenti carm. conjunguntur. Duos versus ex iis affert Priscianus lib. V. p. 673. 10. et iterum VI. p. 741. 24. Putsch. (In altero loco mendose leguntur:

Tu præter omnes une de capillatis
Celtiberosæ Celtiberiæ fili.

MSS. Catulli omnes *Cuniculosæ*.) Tantum vero abest, ut hos versus cum carmine XXXVII. conjungendos defenderim, ut ex alio carmine desumptos, e Capri Grammatici libris, quos Priscianus ante oculos habuit, in codices Catulli receptos, et, ut fere semper factum est, juxta carmen similis argumenti (XXXIX.) positos existimem. Nexus enim cum antecedd. ab his versibus prorsus abest, et descriptio illa in fine carminis non parum displicet. Verba *tu præter omnes*, puto, Catullus non posuisset, nulla adjecta copula, pro *ac tu maxime*. Quod vero Egnatium dicit *bonum*, id non referri debet ad verba *boni beatique;* recurrit idem c. XXXIX. 9. Nec quidquam desideratur, cum carmen nostrum in vs. 16. exitum habet.

Londini imprimebat J. F. DOVE, in Area quæ est Divi Joannis.